Digitized by Google

6
10-e
34
M

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
4 A
18

6.10.e.34

XXXIII.?.13.

R. P. PETRI

IOANNIS PERPINIANI VALENTINI

Societatis IESV Presbyteri,

ORATIONES DVODEVIGINTI,

EDITIO NOVA.

Cui acceſſerunt Orationes quinque, à totidem eiuſdem Societatis Presbyteris Romæ pridem dictæ; nunc primùm in Gallia excuſa.

A næuis omnia, quibus hactenus abundarunt, quâ potuit diligentiâ, fideliſſime vindicata.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LVGDVNI,

Sumptibus Horatij Cardon.

M. D.CXII.

FRA CISCVS BE CIVS EX ſietate IESV,

ODO DO FARNESIO incipi, S. P. D.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

RECTE *ſanè ac ſapienter*, ODOARDE FARNESI, *eruditi homines ac literis dediti, plurimum ſibi præſidij ad omnẽ vitæ cultum & fructum, in nobiliũ virorũ & omni dignitate principum patrocinio poſitum eſſe voluerunt: ex quo factum eſt, vt non tantùm quod Ariſtippus dicebat potentiorũ ædes celebrent, ſed etiã nihil literis mandent, quod non eorũ, quos ſibi colendos ſuſceperunt, præfulciendum nomine atq; honeſtan-*

ſtandum putent. etenim, etſi lux quædam videtur ineſſe in omni genere monumentorum, tamen haud fieri poteſt, vt eluceat priùs, quam eam clariſſimi alicuius viri illuſtret nobilitas, & quaſi lumen accendat: vt vitrum quamuis ſuâpte naturâ pellucidum ſit ac ſplendidũ, nullam tamen ex ſe effundet lucem, quæ fulgeat ad oculos, niſi acceperit aliunde. Id verò cùm alij ſunt aliàs experti, tũ maximè experiuntur hoc tempore moderatores Collegij Romani (qui mihi mandarunt, vt hæc ad te ſcriberem) in edendis orationibus Petri Ioannis Perpiniani, cui etiam dum viueret, à ſummis noſtræ ætatis oratoribus primæ deferebantur. Sunt illæ quidem per ſeſe illuſtres ac nitidæ, ſed ſi tuo conceſſu & munere Farneſiani, vt ita dicam, ſolis, omnem iam dudum Chriſtianorum orbem admirabili ſua luce complentis, fuerint colluſtratæ radiis, ſpes eſt fore,

re,

re, vt et eo videantur ſplendore prædita, qui nullis vnquam poſſit temporibus extingui. Nobis profectò ita faciendum fuit, non eam quidem ob cauſſam, hac vt ratione oſtenderemus gratum animum ac memorem, erga auguſtiſſimam familiam tuam, cùm ex eorum ſimus ordine religioſorum hominum, quem Pontifex ſanctiſſimus atque optimus abauus tuus decretis conſtabiliuit ampliſsimis, inuictiſſimus auus beneficiis auxit: nunc etiam duo illi Alexandri, *Chriſtianæ alter militiæ fulmen pater tuus, alter lumen togæ, patruus magnus, ita fouent atque ornant, vt nihil noſtra in eos obſeruantia fieri poſſit ardentius. Enimuerò immortalia hæc ſunt omnia erga nos ac planè diuina promerita, & , quando commemoratione ac verbis pro dignitate prædicari non queunt, aſsiduâ potius, vt ſit, recordatione ſacróque ſilentio veneranda: non hanc*

igitur ob cauſſam, ſed vt ab his initiis tu etiam incipias de nobis, quaſi de tuis clientibus, bene mereri. Quanquam erit tibi, illud vbi feceris, nonnulla fortaſſe, ex facto, vel gloria, vel voluptas. Dabis lucem operi, niſi nos amor fallit, pulcherrimo: in quo non eſt, quod hoc aut illud viſendũ præ ceteris eſſe contendam, cùm apta quædam & æquabilis totius corporis compoſitio admirationem ſingulis partibus abſtulerit. illud vnum non minùs verè quàm liberè dixero. Perpinianum felici quâdam ac perpetuâ Ciceronis imitatione conſecutum videri, vt eum tanquam Ciceroni ſimilem poſteri imitentur. Nec erit iniucundum iſt ætate; in qua ductis veluti lineis exarſiſti ad propriam generis tui virtutum ſpeciem exprimendam, earum lectione, atque adeò animaduerſione rerum, quæ hoc volumine continentur, quaſi colores parare qui-

bus

quibus efficias quod inſtituiſti: vt vbi excellens fueris orator verborum, quod de Achille ſcribitur, fortis idem ac ſtrenuus rerum actor exſiſtas. Quod non dubium eſt, quin vtrumque multò & meliùs & feliciùs aſſequare, quàm is qui à Phœnice olim præcepta accipiebat pulchra dicendi, magnaque faciendi: cùm diuino prorſus conſilio datum tibi ſit, vt ad omnem exerceare virtutem, non in ſæua illa ac turbulenta præliorum tẽpeſtate & procella, ſed in magiſtra optima, non tantùm alumna tranquilliſsimæ pacis atque otij: in aula videlicet florentiſsima ALEXANDRI FARNESII CARDINALIS:*qui cùm tot abundet laudibus, vt quot ſunt homines, tot propè videatur habere laudatores, in eo tamen laudando nihil dici tam amplum ac magnificum poteſt, quin plurimis omninò partibus ab eis virtutum præſtantia copiáque*

*ſuperetur. Ex huius porrò Herois tam ſingularis diſciplina, aut, vt dicatur audacius, officina clariſsima; è qua ſemper viri fortiſsimi animi, ſummi conſilij, diuinæ pietatis ac religionis, bellorũ duces, Chriſtianæ ſenatores & principes reipubl. ipſi etiam Pontifices maximi exſtitere: qualem te & quantum, O*DOARDE*, ſperemus futurum, cùm ad egregiam iſtam indolem ſummæ probitatis & ingenij tale ac tantum exemplum quotidianum & domeſticum acceſſerit? Perge, adoleſcens illuſtriſsime & optime, atque in præclara æmulatione* FARNESIORVM *Principum, quorum non antiquorum modò & virtute functorum, ſed viuorum etiam & ſpirantium, exemplar propoſitum tibi eſſe debet, ne illam quidem laudem neglige humanitatis erga ſodalitatem noſtram & beneuolentiæ: vt quod illi ſua primùm ſponte, id eſt, Dei, vt arbitramur, inſtinctu,*

ſtinctu, deinde etiam voluntate fecerunt: tu ſimiliter, in tuendis eorum in nos beneficiis, nobiſque omnibus complectendis, & iudicio tuo, & aliquo etiam fortaſsis officio adductus facere videaris. Quod etſi, quæ tua eſt facilitas, libenter facturum te eſſe confidimus, nihilominùs tamen hunc ad te cuicuimodi eſt Perpinianarum orationum libellum, nunc per te primùm FARNESII *fulgore nominis illuminatum non moleſtum certè flagitatorem, ſed modeſtum tantummodò admonitorem, allegare voluimus Vale.*

Ex Collegio Romano Societatis Ieſu, prid. Non. Martij, CIↃ.IↃ.XXCVII.

HORATIVS TVRSELLINVS.

è Societate IESV,

SOCIIS ELOQVENTIAE *Studioſis ſalutem.*

MAGNA planè ac mirifica in PETRO IOANNE PERPINIANO indoles ad eloquentiã exſtitit, cuius admodũ adoleſcẽtis ingeniũ (quod de Hortẽſio accepim⁹) itẽ vt Phidię ſignũ ſimul & adſpectũ, & probatũ eſt, ſic prorſus vt florẽte adhuc ętate omniũ ſuffragiis, non in diſertorũ modò, ſed in eloquentiũ etiã numerum perueniret. Nam & adoleſcẽtulus in Luſitania cũ primis dicẽdi laude floruit, & in Italiæ ac Gallię luce ſpectatus ingenij gloriâ ſic excelluit, vt paucos haberet pares, ſuperiorem fortaſſe neminẽ. Quod quidem hoc etiã admirabilius videri oportet, quòd in ipſo ætatis flore (nondum enim quadrageſimũ annum attigerat) cùm maximè ad eloquentiã efloreſceret in religionis propugnatione, Pariſiis extinctus eſt. Hic enim par ingenio ac virtuti ſuæ theatrũ nactus, vbi cũ teterrimis opinionũ mõſtris decertaret, poſt multorũ menſium

certamina, non minore impiorum gaudio, quã bene ſentientiũ mœrore ſpiritum effudit in victoria. Atq; vtinam longior ei vita ſuppeditaſſet, vt pręclara illa dicẽdi vis maturitatem ſuã conſequi potuiſſet, profectò eſſet (etſi alii noſtra ętate non deſunt) quem cum antiquitate, cùmq; eruditi illius ſeculi oratorib. quodámodo conferremus. Omninò illũ ad Tullianũ orationis genus natura ipſa ducebat; efferebat ſe in eo illa, quã eloquentię parẽs optat in adoleſcẽte fœcũditas nõ deſiderabatur, id cui idem ille ſuã in hoc genere excellentiã acceptam refert, ſtudiũm vrgendi ſtyli accurateq; ſcriptionis: quod ſi ei cõtigiſſet, vt ad M. Tullij, cuius dicendi laudem sũmo ſtudio æmulabatur, ætatẽ quę quinq; & viginti annis lõgior fuit, perueniret; ne ille ad eximiam ſummi oratoris ſpeciem ac ſimilitudinem, quam propoſitam habebat, haud paulò propiùs acceſſiſſet. Etſi autẽ in quinq; primis orationibus quas adoleſceutulus effudit nonnulla ſunt, quæ nõ ſatis deferbuerũt; ea tamẽ ſũt eiuſmodi, vt quod de iuuenilib. orationibus ſuis ſcripſit Cicero, nõ tã re, quàm ſpe & exſpectatione laudẽtur. Nimirũ ſatis cõſtat, eum cũ ſe naturâ duce ad diuini in dicẽdo hominis imitationem totum contuliſſet, aliquot etiam antè annis quàm è vita diſcederet

Digitized by Google

FRANCISCVS BENCIVS EX Societate IESV,

ODOARDO FARNESIO Principi, S. P. D.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

R*ECTE ſanè ac ſapienter,* ODOARDE FARNESI, *eruditi homines ac literis dediti, plurimum ſibi præſidij ad omnẽ vitæ cultum & fructum, in nobiliũ virorũ & omni dignitate principum patrocinio poſitum eſſe voluerunt: ex quo factum eſt, vt non tantùm quod Ariſtippus dicebat potentiorũ ædes celebrent, ſed etiã nihil literis mandent, quod non eorũ, quos ſibi colendos ſuſceperunt, præfulciendum nomine atq; honeſtan-*

ſtandum putent. etenim, etſi lux quædam videtur ineſſe in omni genere monumentorum, tamen haud fieri poteſt, vt eluceat priùs, quam eam clariſſimi alicuius viri illuſtret nobilitas, & quaſi lumen accendat: vt vitrum quamuis ſuapte naturâ pellucidum ſit ac ſplendidũ, nullam tamen ex ſe effundet lucem, quæ fulgeat ad oculos, niſi acceperit aliunde. Id verò cùm alij ſunt aliàs experti, tũ maximè experiuntur hoc tempore moderatores Collegij Romani (qui mihi mandarunt, vt hæc ad te ſcriberem) in edendis orationibus Petri Ioannis Perpiniani, cui etiam dum viueret, à ſummis noſtræ ætatis oratoribus primæ deferebantur. Sunt illæ quidem per ſeſe illuſtres ac nitidæ; ſed ſi tuo conceſſu & munere Farneſiani, vt ita dicam, ſolis, omnem iam dudum Chriſtianorum orbem admirabili ſua luce complentis, fuerint colluſtratæ radiis, ſpes eſt fore,

re, vt et eo videantur ſplendore prædita, qui nullis vnquam poſſit temporibus extingui. Nobis profectò ita faciendum fuit, non eam quidem ob cauſſam, hac vt ratione oſtenderemus gratum animum ac memorem, erga auguſtiſſimam familiam tuam, cùm ex eorum ſimus ordine religioſorum hominum, quem Pontifex ſanctiſſimus atque optimus abauus tuus decretis conſtabiliuit ampliſsimis, inuictiſſimus auus beneficiis auxit: nunc etiam duo illi ALEXANDRI, *Chriſtianæ alter militiæ fulmen pater tuus, alter lumen togæ, patruus magnus, ita fouent atque ornant, vt nihil noſtra in eos obſeruantia fieri poſſit ardentius. Enimuerò immortalia hæc ſunt omnia erga nos ac planè diuina promerita, &, quando commemoratione ac verbis pro dignitate prædicari non queunt, aſsiduâ potius, vt fit, recordatione ſacróque ſilentio veneranda: non hanc*

igitur ob cauſſam, ſed vt ab his initiis tu etiam incipias de nobis, quaſi de tuis clientibus, bene mereri. Quanquam erit tibi, illud vbi feceris, nonnulla fortaſſe, ex facto, vel gloria, vel voluptas. Dabis lucem operi, niſi nos amor fallit, pulcherrimo: in quo non eſt, quod hoc aut illud viſendũ præ ceteris eſſe contendam, cùm apta quædam & æquabilis totius corporis compoſitio admirationem ſingulis partibus abſtulerit. illud vnum non minùs verè quàm liberè dixero. Perpinianum felici quâdam ac perpetuâ Ciceronis imitatione conſecutum videri, vt eum tanquam Ciceroni ſimilem poſteri imitentur. Nec erit iniucundum iſt ætate; in qua ductis veluti lineis exarſiſti ad propriam generis tui virtutum ſpeciem exprimendam, earum lectione, atque adeò animaduerſione rerum, quæ hoc volumine continentur, quaſi colores parare qui-

bus

quibus efficias quod inſtituiſti: vt vbi excellens fueris orator verborum, quod de Achille ſcribitur, fortis idem ac ſtrenuus rerum actor exſiſtas. Quod non dubium eſt, quin vtrumque multò & meliùs & feliciùs aſſequare, quàm is qui à Phœnice olim præcepta accipiebat pulchra dicendi, magnaque faciendi: cùm diuino prorſus conſilio datum tibi ſit, vt ad omnem exerceare virtutem, non in ſæua illa ac turbulenta præliorum tẽpeſtate & procella, ſed in magiſtra optima, non tantùm alumna tranquilliſſimæ pacis atque otij: in aula videlicet florentiſſima ALEXANDRI FARNESII CARDINALIS:*qui cùm tot abundet laudibus, vt quot ſunt homines, tot propè videatur habere laudatores, in eo tamen laudando nihil dici tam amplum ac magnificum poteſt, quin plurimis omninò partibus ab eis virtutum præſtantia copiáque*

ſuperetur. Ex huius porrò Herois tam ſingularis diſciplina, aut, vt dicatur audacius, officina clariſsima, è qua ſemper viri fortiſsimi animi, ſummi conſilij, diuinæ pietatis ac religionis, bellorũ duces, Chriſtianæ ſenatores & principes reipubl. ipſi etiam Pontifices maximi exſtitere: qualem te & quantum, ODOARDE, *ſperemus futurum, cùm ad egregiam iſtam indolem ſummæ probitatis & ingenij tale ac tantum exemplum quotidianum & domeſticum acceſſerit? Perge, adoleſcens illuſtriſsime & optime, atque in præclara æmulatione* FARNESIORVM *Principum, quorum non antiquorum modò & virtute functorum, ſed viuorum etiam & ſpirantium, exemplar propoſitum tibi eſſe debet, ne illam quidem laudem neglige humanitatis erga ſodalitatem noſtram & beneuolentiæ: vt quod illi ſua primùm ſponte, id eſt, Dei, vt arbitramur, in-*

ſtinctu,

ſtinctu, deinde etiam voluntate fecerunt: tu ſimiliter, in tuendis eorum in nos beneficiis, nobiſque omnibus complectendis, & iudicio tuo, & aliquo etiam fortaſsis officio adductus facere videaris. Quod etſi, quæ tua eſt facilitas, libenter facturum te eſſe confidimus, nihilominùs tamen hunc ad te cuicuimodi eſt Perpinianarum orationum libellum, nunc per te primùm FARNESII *fulgore nominis illuminatum non moleſtum certè flagitatorem, ſed modeſtum tantummodò admonitorem, allegare voluimus Vale.*

Ex Collegio Romano Societatis Ieſu, prid. Non. Martij, CIↃ.IↃ.XXCVII.

HORATIVS TVRSELLINVS.

è Societate IESV,

SOCIIS ELOQVENTIAE *Studioſis ſalutem.*

MAGNA planè ac mirifica in PETRO IOANNE PERPINIANO indoles ad eloquentiā exſtitit, cuius admodū adolſcētis ingeniū (quod de Hortēſio accepim⁹) itē vt Phidię ſignū ſimul & adſpectū, & probatū eſt, ſic prorſus vt florēte adhuc ętate omniū ſuffragiis, non in diſertorū modò, ſed in eloquentiū etiā numerum perueniret. Nam & adoleſcētulus in Luſitania cū primis dicēdi laude floruit, & in Italiæ ac Gallię luce ſpectatus ingenij gloriâ ſic excelluit, vt paucos haberet pares, ſuperiorem fortaſſe neminē. Quod quidem hoc etiā admirabilius videri oportet, quòd in ipſo ætatis flore (nondum enim quadrageſimū annum attigerat) cùm maximè ad eloquentiā efloreſceret in religionis propugnatione, Pariſiis extinctus eſt. Hic enim par ingenio ac virtuti ſuæ theatrū nactus, vbi cū teterrimis opinionū mōſtris decertaret, poſt multorū menſium

cer

certamina,non minore impiorum gaudio, quã bene ſentientiũ mœrore ſpiritum effudit in victoria. Atq; vtinam longior ei vita ſuppeditaſſet ,vt pręclara illa dicẽdi vis maturitatem ſuã conſequi potuiſſet, profectò eſſet (etſi alii noſtra ętate non deſunt) quem cum antiquitate,cùmq; eruditi illius ſeculi oratorib. quodãmodo conferremus. Omninò illũ ad Tullianũ orationis genus natura ipſa ducebat;efferebat ſe in eo illa,quã eloquentię parẽs optat in adoleſcẽte fœcũditas nõ deſiderabatur,id cui idem ille ſuã in hoc genere excellentiã acceptam refert,ſtudiũm vrgendi ſtyli accuratæq; ſcriptionis: quod ſi ei cõtigiſſet,vt ad M. Tullij,cuius dicendi laudem sũmo ſtudio æmulabatur , ætatẽ quę quinq; & viginti annis lõgior fuit,perueniret ; ne ille ad eximiam ſummi oratoris ſpeciem ac ſimilitudinem, quam propoſitam habebat,haud paulò propiùs acceſſiſſet. Etſi autẽ in quinq; primis orationibus quas adoleſceutulus effudit nonnulla ſunt, quæ nõ ſatis deferbuerũt; ea tamẽ ſũt eiuſmodi,vt quod de iuuenilib.orationibus ſuis ſcripſit Cicero,nõ tã re,quàm ſpe & exſpectatione laudẽtur. Nimirũ ſatis cõſtat, eum cũ ſe naturâ duce ad diuini in dicẽdo hominis imitationem totum contuliſſet,aliquot etiam antè annis quàm è vita diſcederet

in ſummis noſtræ ætatis oratoribus numeratū. Itaque habenda eſt Deo gratia, quòd talis noſtræ ſocietati vir diuino munere datus conceſſúſque ſit, vnde politiorum literarum ſtudioſi non imitandi ſolùm Ciceronis rationem percipere, verùm etiam piæ Chriſtianæque eloquentiæ formam petere poſſemus. Atque vt eius in hôc genere præſtantia teſtata magis ac perſpecta ſit, præclara de illo Q. Marij, Corradi, Pauli Manutij, & M. Antonij Mureti teſtimonia proferemus. At quorū virorum? nempe eorū qui noſtra tēpeſtate eloquētię lumina ſine cōtrouerſia fuerūt. Q. igitur Marius Corrad' in epiſt. quadā ad Perpinianū: *Marcellus* inquit, *frater meus, qui ſuperiorib. dieb. Roma ad nos rediit, miros de te mecū ſermones agitat quotidie & omnino tibi vix vnū aut alterum confert plurimarum artium, ſcientia, ſplendore orationis, acumine iudicij, & omnium elegantiâ & grauitate ſtudiorum.* & in alia ad eundem Epiſtola: *Sic itaque ex his rebus te velim exiſtimare, me tibi deuinctum eſſe, memoriamque nominis, ſcientiæ, & virtutis tuæ in omne tempus conſeruaturum colere enim ſoleo doctiſſimos homines. vt nullos Romæ pauciſſimos in Italia eſſe ſciam tui ſimiles, quibuſcum mihi amicitia non ſit aut vſus literarum* Paulus autem Manutius Zerbino

Teſtimoniū Marcelli Corradi.

Teſtimoniū Q. Marij Corradi.

tio ita ſcribit:: *Deceſſit alieniſſimo tempore, cum ad eum ſalutaris doctrinæ dogmata de loco ſuperiore oſtendentem omnis omnium concurſus fieret, cùm hæreticæ factionis inſidias pateſaceret, impetum frāgeret, tela retunderet; deceſſit, inquam, florente adhuc ætate nimis immatura morte, ſummo ingenio, vir incredibili ſcientia copia maxima iam apud omnes bene ſentiētes exiſtimatione & auctoritate Perpinianus noſter.* Muretus porrò ſermonem exponens habitum cum Dario Bernardo, ſcribit in hunc modum: *Habet & Italia præclaros viros, quique & ornatiſſimè ſcribant, & diſertiſſimè ac copioſiſſimè, cum opus eſt loquantur. Manutium* inquit, *fortaſſe dicis, & Sigonium, & Ioannem Petrum Maffeium, aut ex eadem ſodalitate eum, cuius audita morte, ubertim tibi nuper lacrymas iſſe memini, Perpinianum, & ſi quos tales vix ſingulos ſingulæ ætates ferunt, & iſtos inquam, & alios, quamquam quidem, quem tu poſtremo loco nominaſti Hiſpanus, non Italus fuit, ſed ita diu in Italia fuerat, vt pro Italo haberi poſſet, quem tu virum, Dari vtinam audire potuiſſes, neque te, quo tempore ille in hac urbe eloquentiæ præcepta tradebat alio vitæ genere implecatum aula tenuiſſet) nūquā enim quēquā audiſti, ac ne audies quidē (vt opinor) in quē illud de Neſtore elogiū meliùs cōueniret, cuius ex ore melle dulcior*

Teſti. monium Pauli Manutij lib. 7. epiſt.

Variarū lect. lib. 15. Teſtimonium Mureti.

flue

bat oratio. Sed quid externis præconiis Perpiniano opus eſt? Satis iis qui modò eius ſcripta legerint, tacito quodam domeſticóque præconio ſe ipſe commendat, nullius vt teſtimonium magnoperè cõmendationémque deſideret. Ac mihi quidem de rerum humanarum fragilitate cogitanti, ſæpenumerò in mentem venit extimeſcere, ne fortè egregia illius facultas dicendi, quæ in eius maximè orationibus ſpirat ac viget, cũ his pariter, vt fit iniuriâ tẽporũ interiret. Quocirca vt insignis illa, etiã ſpecies etiã poſteris noſtris non tã ad intuendum, quàm ad imitandum proderetur, feci ſedulò ac denique effeci, vt omnia penè ex hoc genere eius ingenij monumenta aliquando proferrentur in lucem. Nec verò ſum neſcius, me apud quoſdam qui diuturnâ huius libri expectatione cruciabantur, aliquam, negligentiæ notam eſſe ſubiturũ, quippe qui eiuſmodi expectationem iã diu cõcitatã nõ ſemel viſus ſim fefelliſſe. verùm me quidem conſcientia conſolatur ſedulitatis meæ; illis autem cauſſa tarditatis cognita (niſi iniqui iudices eſſe volent) profectò ſatiſfaciet. Nam meũ hunc conatũ ex plurimorum voluntate pendentem (vt in huiuſmodi rebus plerumque vſu venit) aliud ex alio impediuit: ita multi

ac varij caſus certam iam & exploratam negotii conficiendi ſpem perſæpe fregerunt. Qua me res eò etiam vehementiùs afflixit, quam cæteros, quò propior ac maior me ſpes & expectatio tenebat. Sed tamen hanc præteriti temporis quærelam, præſens Perpiniani tollet adſpectus, qui, vt ſpero, ſic oculos animóſque omniũ afficiet, vt non tam ſerus, quàm expectatus eſſe videatur. Itaque non dubito quin vobis ſocij ac fratres mihi cariſſimi, äliiſque dicendi cupidis meus hic qualiſcumque labor, hoc gratior, quò optatior ſit futurus. Iamque mihi videre videor complures veſtrûm imitandi ſtudio incenſos, Perpiniani noſtri ſcripta lectitantes, atque in hanc curam toto, vt dicitur, pectore incumbentes, non ſolùm cum Societatis laude, ſed etiam (quod caput eſt) cum vtilitate populorum. Nam (vt principia ſe dant) Deo bene iuuante, fore non diffido, vt ex noſtris rethorum ſeminariis pro vno plures Perpiniani; vel ad patrocinium vel ad ornamentum Chriſtianæ Religionis exiſtant.

Vale.

PETRI

PETRI IOANNIS PERPINIANI

DE SOCIETATIS IESV GYMNASIIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ORATIO I.

Habita eſt cùm Rex Luſitaniæ inuictiſſimus Ioannes, hoc nomine tertius, Conimbricenſe gymnaſium Societati IESV *tradidiſſet.*

ET ſi naturâ ipsâ ita comparatum eſt, Pontifices vigilantiſſimi, viriq; doctiſſimi, vt maiora ſe quiſque ſuſtinere poſ[...] arbitretur, quàm quantum eius inge[...]um ac vires ferre queant: ſæpeque falſa [...]adam exiſtimatione roboris, mediocria [...]a onera eſſe putet, quorum pondere op[...]eſſus, vix ſe vſquam commouere poſ[...]; tamen huius rei, quæ à nobis ho[...]rno die ſuſcipitur, magnitudo tanta [...] & grauitas, vt facilè cuiuſuis hominis

animum,& ſe rebus omnibus futurum eſſe parem exiſtimantis, debilitare poſſit ac frangere, ne dum noſtrum, quorum ſuſceptæ vitę rationes id quodam modo videntur ſuo iure poſtulare, vt nullum tam leue ducamus onus, cui nō vires noſtras impares eſſe fateamur: nam ad illud nos aggredi video, in quo, vt à nulla officij parte recedamus, difficile factu eſt, vt vero afferamus aliquid omnium ordinū expectatione dignum, vt doctiſsimorum virorū animos expleamus, vt reſpondeamus tam celebris Academiæ nomini atque famæ, quæ magnam iam terrarū orbis partē peragrauit; vix ab hac mediocritate, vel tenuitate potiùs requirendū eſt. Cogitate enim de primis illis initiis huius auguſtiſsimi ſapientiæ domicilij ac repetite memoriâ, qui primi in his muſarumq́ ſedibus Luſitanā iuuentutem ad humanitatē informarint: atq; inde ſenſim, quaſi per quoſdam annorū gradus, ad hęc noſtra tempora delabētes, ſingulorum doctorū qui ſunt in hac aliquando luce verſati laudem atque gloriā ponderate: nimirum primos illos huius Academiæ patronos tales fuiſſe comperietis, quales à potentiſsimo rege, literarúmque amantiſsimo accerſiri debuerūt, & quibus vix quidquā perfectius in hoc docendi genere

nere Luſitania, illis præſertim temporibus, auſa eſſet optare: quorum nomini hoc ſanctiſsimum philoſophię ſacrariũ: hæ humanitati conſecratæ ſedes, mirum quantũ ſint dignitatis & amplitudinis conſecutæ; eos autem qui illis ſucceſſerunt, tam ſingulari fuiſſe doctrinâ fatebimini, tam ſubtili ac reconditâ imbutos maximarũ artiũ ſciẽtiâ, tantâ in docendo ſubtilitate ingenij vt priorum habitu hinc, vix vllã hæ ſcolæ iacturam, inde lucrum ingens fecisſe videãtur, quæ pro doctiſsimis exteris hominibus doctiſſimos Luſitani nominis viros accepiſſent. Quamobrẽ nihil equidem miror, ſi expolitiſſimi humanitate homines rebus maximis aſſueti omnia magna incredibilia, diuina deniq; expectent illud eſſet miradum magis, qui omnia ſumma ſẽper habuiſſẽt eos quauis mediocritate poſſe eſſe contentos. Coniicite nunc oculos nõ illos humanitatis ac beneuolẽtiæ plæniſſimos, ſed illos acutiſſimos veritatis indagatores in nos qui hodierno die in eorum locum ſufficimur, non dubito quin eiuſmodi eſſe exiſtimetis, vt neque ingenii, neq; doctrinæ ornamẽtis, neq; vſu ſimus cũ illis multis partibus cõparandi. Ac de noſtra quidem tenuitate, viri ornatiſſimi plura hoc loco dicerẽ, niſi mihi verẽdũ eſſet, ne mo-

deſtiæ cauſſa magis quàm quòd vera eſſe putẽ, hæc à me dicta eſſe videantur. Quod ſi fortè pro veſtro erga nos animo, quẽ ſingularem ſæpe ſumus experti, creditis, id certè cogitate, quod nemini dubiũ eſſe poterit, tantas eſſe ſuperiorum doctorum copias, vt præ iis omnis copia pro ſumma inopia putanda ſit. Itaque non eſt planè, non eſt ingenij noſtri atque doctrinæ tantæ rei pondus ſuſtinere: humanitatis veſtræ eſt, viri ornatiſſimi, perficere, vt quod doctrinæ viribus ſuſtinere non poſſumus, id ſtudio & alacritate veſtra perferamus. Ego quod in re tam magna, in qua omnis huius Academiæ exiſtimatio maximũ; præſtantiſſimæ vrbis decus & ornamentum, totius ferè Luſitaniæ vtilitas agitur, fieri neceſſe eſt, primùm à Deo Opt. Max. cuius imperio atque nutu ſola terrarum gubernantur, cuius beneficio magis, quam hominum ſtudio ac labore ſapientia comparatur: deinde à ſacra Virgine, ceteriſque Sanctis omnibus, quorum preces plus apud Deum, quàm merita noſtra valent, pacem ac veniã peto, precorque ab iis, vt hodiernum diem, & ad gloriam huius Academiæ cõſeruandam, & ad pulcherrimum ciuitatis decus retinendum, & ad prouinciarum omnium fructus amplificandos, & ad harũ

rerum

terum quandam quaſi immortalitatẽ illuxiſſe patiãtur. Pulſus eſt iam omnis metus animo, viri ornatiſſimi, fugatus eſt, exceſſit: liberiorẽ poſthac curſum noſtra tenebit oratio, nam & diuinam opem imploratam imbecillitati noſtræ ſpero prǽſidio futuram, & frequens hic veſter conſpectus, hæc omnium ordinũ alacritas, vultu, oculis, voce ſignificata, hic tantus concurſus, quantum me vnquam vidiſſe vix memini, meum animum mirandum in modum recreauit: cùm enim tam frequentes tanto ſtudio concurriſtis, tanta audiendi cupiditate inflammati, intellexi vos ad bene de re literaria ſperandũ eſſe vehementer excitatos. Quare vos oro atque obſecro, vt iſtam ipſam alacritatẽ animi, quã concurrendo declaraſtis, mihi apud vos verba facienti præbeatis: & dum vobis aperio, quid in his collegiis ſuſcipiendis, in quibus literæ docentur, Societas ſequatur vniuerſa, quæ res regem Luſitaniæ Chriſtianiſſimũ impulerint, vt hoc eius poteſtati permitteret, & quam in docẽdis literis, viam ac rationem teneamus, me ſicut ceteros ſoletis, bona cum venia audiatis, nam neq; ab huius Academiæ dignitate, neque ab vtilitate cõmuni neque à veſtra voluptate animi abhorrebit oratio mea. Atque illud quidẽ,

quod ego mihi primo loco propoſui, viri ornatiſſimi eiuſmodi eſt, vt vel ſine mea, aut cuiuſquã oratione hominis cognoſci planè poſſit ac perſpici. Quis enim ſuperiorib. annis ſic in hac vrbe delituit, vt nihil de collegiis illis, quæ ſunt à Societate ſuſcepta, vel ex ſermone rumor ad eius aures attulerit? quis verò tam hebes ſit atque rudis vt cùm publicas priuataſq; de neceſſariis rebus admonitiones Chriſtianæ doctrinæ pro eorum captu, qui audiunt, exercitationes, confeſſiones de peccatis menſtruas, alia item quæ ſalutariter inſtituta ſatis auidè recepta ſunt acceperit, non faciat facilè animi noſtri coniecturam, & intelligat, omnia ad illud, quod eſt in hominum vita maximum, à quo & ſuæ cuiuſq; ſalus & cæterorum omniũ pendet, ad virtutis ſtudium honeſtatiſque coferri? quod tum nemo dubitare poterit, nec audebit, ſi poſſit, vbi noſtræ vitæ genus, qui id facimus, animo ſibi ac cogitatione depinxerit. nos enim ij ſumus, viri ornatiſſimi, qui tametſi longè abſimus à veriſſima perfectiſſimaq; virtute, tamen aliquam eius partem conſequi, ſi minus quantum par eſt, at nõnihil certè cupiamus, neq; alia de cauſſa arctiorẽ vitæ morumq; diſciplinam ſubiecimus, niſi vt omnem operã, curam, ſtudium

dium,quod in aliis rebus ponendum fuit, in vna virtute comparanda defigeremus. Quid ergo aut illis ſtultius,in quorū quaſi mancipio ac poteſtate ſumus,fingi poſſet, qui nobis hoc docendi negotiū impoſuerunt,aut nobis ipſis leuius,qui obliti quid ipſo nomine totiuſq; vitæ ratione profiteamur,nos alienis à propoſito noſtro rebus,Grammatica,Rethorica, ,Dialectica, Philoſophia pueris adoleſcentibus, viris, quaſi quibuſdam laqueis irretitos conſtrinxerimus,niſi hæc omnia ad illud ipſū, quod nobis omnibus in rebus propoſitum eſſe debet, ſtudiū virtutis Chriſtianæ pertinerēt:ſed ego plurimum illos vidiſſe arbitror,qui nec literas ab illa virtutis perfectione ſuapte naturâ abhorrere ,perſpexerūt & magnoperè referre intellexerūt,vt quāprimùm etiam in ipſa inſtitutione puerili cum illa coniungantur. Quæ etſi tam clara & illuſtris eſt, vt aciem veſtræ mentis effugere nullo modo poſſit,tamē oratione nunc illuſtranda eſt,vt cùm ad ipſius rei lumen hoc alterum orationis lumē acceſſerit,nihil ne ab iis quidem quibus cæcus ſit quodam modo animus,deſideretur. Duo genera ſemper in Chriſtiana republica fuerunt eorum qui verſari in literarum ſtudiis,atque in iis ſe excellētiùs ge-

rere ſtuduerunt:quibus ex generibus alteri quadam doctrinarum pulchritudine honeſtatiſq; ſimulatione capti, in eo vno vehementer omni neruorum cõtentione elaborarunt,vt facilè diſputandi ſubtilitate, dicendi vi atque copia, arcanarum naturæ rerum ſcientia, quæ ſunt à communi hominum ſecretæ ſenſu,ceteris omnibus antecellerent:alteri ſtudio publicę ſalutis accenſi,vtriuſque virtutis ſplendorem admirantes,eius maximè,quæ in communi hominum vtilitate tuendą agendáque verſatur,quæ & pulcherrima eſt,& ad hominum naturam vehementer accommodata, in eo curam omnem & cognitionem animi collocarunt, vt & virtutem præſtantiſſimarum artium ſcientia,quaſi quibuſdam armis inſtruerent,& hanc omnibus virtutum ornamentis honeſtarent, & illorum quidem animos tantus ſæpe ſtupor occupauit, vt Chriſtianæ virtutis immemores, præclarè ſatis ſecum agi crederent, ſi quid ex cognitione rerũ gloriæ inanis ac falſæ, vel ſceleratæ potentiæ nanciſcerentur:horum verò mens tantum in re perdifficili potuit tenere modum, vt nec doctrinam illam,quam honeſtatis expertem, ne doctrinæ quidem dignam nomine iudicaret; amplecterentur:nec honeſtatem ipſam ar-

tibus

tibus deſtitutam bonis, quam velut inermem cernerēt omnibus omnium telis expoſitam, ſibi ſatis eſſe exiſtimarent. Itaque illi cùm famam dumtaxat prædicationemque popularem ſibi in omni ſtudiorū ſuorum ratione propoſuiſſent, ad eam, literarū ſcientia ſunt abuſi: hi cùm mentem vimq; omnem animi in vnam virtutem conieciſſent, ad eam prorſus ipſa ſtudia literarum accommodauerunt. Illi aura illa populari, quam ſtudioſiſſimè captabant, cùm adſpiraret leniſſimé, vltra fortaſſe quàm vellent prouecti, cò ſæpe delati ſunt, vbi amiſſis rationis gubernaculis ac iudicij, ſic variis errorum fluctibus iactarentur, nullum vt capere poſſent veritatis portū & honeſtatis: hi cùm aliquando eſſent in tranquilliſſimū tutiſſimúmque veræ pietatis portum, modeſtiæ, caritatis, cæterarúmque virtutum ingreſſi, iactis anchoris conſtantiæ ac fortitudinis, ne vehementiſſimis quidem gloriæ famæque flatibus, in altum, in tēpeſtates, in periculum impelli potuerūt: illi cùm de eo quem tenere debuiſſent, curſu multum deflexiſſent, in ſcopulos, in vada inciderunt, vnde ſe vel ægrè miſeri, vel omninò nunquam expedirēt: hi rectum ſemper tenentes curſum, cùm de eo tempeſtatibus dimoueri nō poſſent, quò intendebant, fa-

cilè nullo labore, nulla moleſtia peruenerunt. illi in quaſcunque inſulas, in quaſcūque terrarum oras & litora illo quaſi æſtu fuerūt, atque illis animi fluctibus eiecti omnia paſſim amẽtiâ & furore incitati, motibus inſaniſſimis perturbârunt, populiſque rudibus ac imperitis, tranquillitatem vitæ ſimul & mentem ademerunt: hi cùm oratione ſua, integerrimæque vitæ exemplo, amore quodam & ſtudio terras omnes peragrātes, aut domi ſe neceſſariis de cauſis continentes, ſcriptis libris ac epiſtolis, tumultus ab illis excitatos ſedauiſſent, tranquillitatem vitæ quam amiſerāt, multis gentibus afflictis reddiderunt. Etenim repetite memoriâ, viri ornatiſſimi inde vſque ab Eccleſiæ Chriſtianæ primordiis omnes tẽpeſtates & procellas, quibus vbique ſacra Chriſti Opt. Max. iactata eſt & afflicta nauicula, ſic credo ſtatuetis, aut omnes, aut longè grauiſſimas quorundam ſuperbiſſimorum hominū (ſi homines eos appellare fas eſt) fuiſſe concitatas amentiâ qui inani quadam & ſtolida inflati exiſtimatione ſapientiæ, cùm nihil illis eſſet inſipientius, linguis ſuis ſcriptiſque impiis oppugnare tentauerunt ipſum Deum. An non erat initiatus Chriſtianorū ſacris, ineptiſſimus ille atque inpudentiſſimus diui-

natum literarum irriſor Porphyrius? non fuerat Origenis in ſtudiis Philoſophiæ ſocius ac penè par: ſed viſus eſt ſibi acumine ingenij, maximarum rerum ſcientia, conſilio cæteris anteire mortalibus, dignúſque planè, qui veritatem ipſam mendaciis, Dei ſapientiã ſtultitię, ſupremi illius æternique Patris ſplendorem turpiſſimorum errorum argueret, contempſit ſtultus arrogánſque philoſophus, quę prudẽs ac modeſtus idiota probauerat, ridebat Apoſtolos duces Chriſtianæ militiæ, illudebat Euangeliſtarum monumentis, in ipſum Chriſtum huiuſmodi machinæ molitorem ac moderatorem furens atque amens inuehebatur, cúmque à vera philoſophia, illius inanis ſtudio defeciſſet, eas ſuis ineptiis atq; nugis turbas fecit, quas longa vix omninò ſecula compreſſerũt. Imbutus erat Arius ille (quem aptiſſimè Gręci χριστόμαχον & θεόμαχον nominârunt) inde à prima pueritia religionem noſtram, ſacroſque ritus vnà cum nutricis lacte ſuxerat. verùm cùm intereſſet ſubtiliſſimæ Alexandrini Epiſcopi diſputationi, quâ vir ſumma pietate, acutiſsimè de ſuprema diuináq; natura diſſerens, vnam diuinitatem in triplici hypoſtaſi eſſe aſſerebat: homo gloriolæ cupiditate inflamatus, & vt ſcripſit Socrates, dialecticæ lo-

quacita

quacitatis non expers, pati nō potuit ſuas illas nō ineptas minùs quam impias argutias latere, reſtitit Epiſcopo ſuo acriter, vt videbatur, & incontrariam planè ſententiā declinans, nefariam illam diuinarum hypoſtaſεων diuiſionē, ore pluſquam ſacrilego inuexit quam cùm puerilibus quibuſdam argumētatiunculis ac ſpinoſis cōprobare niteretur, tātum vbique terrarum tumultum aliis alio inclinantibus excitauit, vt ne incredibili Conſtantini magni diligentiâ & curâ nec ſacri Cōcilij Nicæni diuina auctoritatę, facilè cōponi potuerit, nec ducentorum ac trecentorum annorum ſpatio, nec vnius alteriúſue prouincię finibus terminari: ergo multis ætatib' propagata peſtis illa, omnes ferè terrarū oras, omnia maria peruaſit: vt publicè, atque in ipſis theatris Chriſtiana pietas ab hominibus flagitioſis rideretur. Taceo Iulianum deſertorem religionis, Chriſti ſeruatoris capitalem hoſtem: taceo cæteros qui iam olim dum veræ pietatis ſtudium contemnunt, cuiuſdam ſcientiæ puerilis opinione cæci ſtatum reipublicæ Chriſtianæ vehementer perturbarunt. Iſtos ipſos ne nimis antiqua repetamus, ſacrorum ac religionū hoſtes infeſtiſſimos, qui noſtra ferè memoriâ in Germania exſtiterunt, recordamini,

qui

qui cùm tantam ſibi diuinarum literarum ſcientiam adepti eſſe videantur, tantam rerum humanarũ cognitionem, tantam occultiſſimorum myſteriorum notitiam, vt non ſolùm eorũ hominum, qui nunc ſunt, gloriam, ſed etiam antiquitatis memoriã ſe ſapientiâ ſuperâſſe arbitrentur, euertunt omnem morum ſanctiorem diſciplinam, labefactant non doctiſſimorum hominum modò ſententias, quorum & literæ quondàm & religio plurimùm enituit? verùm ipſius etiã Eccleſiæ vniuerſæ ſanctiſſima decreta; ſacra profana omnia habent promiſcua, ſe tãdem primos rectè ac perfectè libros ſacros intellexiſſe, & eorum abditiſſimas ſẽtentias peruidiſſe credunt, ceteros fuiſſe plerũque grauiter hallucinatos: nullius neque hominis neque concilij tã acre vnquam extitiſſe iudicium, vt cum ſuo debeat vlla ex parte comparari: ita harũ furiarum & peſtium humani generis amẽtia atque ſcelere, tantã fecit Eccleſia Chriſti iacturam, quantam vix multis ætatibus complurium pietas ſingularis, cum admirabili quodam doctrinæ genere coniuncta reſarcire queat, & erit noſtrûm aliquis, viri ornatiſſimi, qui tot calamitates per homines literatos illos quidem, ſed ambitione ac ſuperbiâ furioſos, priſcis tẽporibus importor

portatas legimus, tot ipſi audiuimus, propeque vidimus hiſce oculis, quis dubitet quanti referat, quibus, qui ſe ad philoſophiã contulerunt, moribus à teneris aſſueſcant? an parum ea res ad communem Chriſtiani populi ſalutem pertinere videri debet, ſine qua ille tam ſæpe in ſummum eſt adducta diſcrimen? Vtinã nõ eſſemus, tantis cladibus edocti, & tam recentibus, atque etiam nunc id ambigi ac diſceptari poſſet, ſed noſtra ipſorum mala nullum iã nobis penitus reliquerunt dubitandi locũ. Maxima ſanè quidem, maxima ad pietatem, tranquillitatem, ſalutem Chriſtianæ reipublicæ: vel omnium potiùs in eo momenta ſunt, vt nullum fiat vnquam veræ virtutis & philoſophiæ in hominũ animis diſſidium, ſed pariter omnia bene ſubactis (vt ita dicam) nouatis & iteratis ingeniis, quaſi quædã mandata ſemina pariter etiã ſurgant & augeſcant, pariter ſuam maturitatẽ aſſecuta, omnibus vberrimos ſuauiſſimoſque fructus afferant. At enim princeps ingenij & doctrinę Plato, Philoſophiã Dei donũ eſſe prędicabat, quo maius bonum neque donatum eſſet vnquam hominibus diuino cõſenſu neque tribuendum. hanc Marcus Tullius medicinam eſſe animi dicebat, hanc inanes ſollicitudines de trahere

in Timeo

Tuſcul. queſt.

trahere, cupiditatibus liberare, pellere timores: hanc eſſe vitæ ducẽ, virtutis indagatricem, expultricem vitiorum, ſine hac nihil hominum vitam eſſe potuiſſe. Quam ergo, dicat aliquis, viri ſummo ingenio, ſumma ſapientia, verbis ampliſſimis laudatam eſſe voluerunt, omnium ingenuarũ artium & diſciplinarum quaſi procreatricem quandam, hanc tu in celeberrimo doctiſſimorum virorum conſenſu, in his ipſis dedicatis ſedibus accuſare audes? nec eorũ qui ſe penitùs eius ſtudiis dediderunt, cogitationes occultas & tacita iudicia extimeſcis? Ego verò, viri ornatiſſimi, ſi vel id tentem, vel efficere me poſſe ſperem, vt maximum Dei munus aut reprehendam. aut verbis eleuem, amens ſim. ac de eius quidem laudibus alio loco dicam, viri ornatiſſimi, atque ita dicam, vt vix vnquam ampliores laudes illi à quopiam tributas eſſe fateamini. Nunc id mihi diligenter expédite quàm ſit noſtra ſuperior oratio cum iſtis ipſis Philoſophiæ laudibus coniũcta. ſi enim illa medetur animo, quia cõprimit tumultus eius omnes virtutem indagat, vitia expellit, iiſdemque de cauſis á Deo conceſſa mortalibus exiſtimanda eſt, atq; his maximè rebus omnis eius nititur commendatio, cui poterit eius Philoſopia

pro

probari quæ vires illius non ad ſedendas, ſed cõcitandas magis perturbationes animi, nõ ad virtutem indagandam; ſed ſepeliendam, non ad extirpanda vitia, ſed in hominum mẽtibus ſerẽda contulerit? Tuámne ego (Porphiri) philoſophiam medicinam animorum putem? quæ velut venenis inbuta malis, & tuum & multorũ animos infecit, corrupit, perdidit? An tuã (ſcelerate Ari) cõtaminatam impietate loquacitatem? quæ tanquam peſtis cõtagioſiſſima cùm ex Alexandriæ, & Aegypti finibus ad omnium gentium perniciem erupiſſet, nõ ſolùm per innumeras Aſiæ prouincias manauit, ſed ſuperauit etiam mare, & obſcurè ſerpens, cum bonam Europæ partem occupauiſſet, vſque in Hiſpaniã extremã penetrauit; & quaſcũque terras attigit, ita crudeliter in iis graſſata eſt, vt vulgato morbo miſerrimam intulerit Chriſtianæ ac veræ pietati vaſtitatem? An tuam illam furioſam (nefarie Iuliane) rabiem? an tuã (Manichæe) dementiam? An veſtram (perfidioſi Lutherani) veſaniam? an eorũ omnium præſtigias, fallacias, machinas, qui vano quodam nomine ſapiẽtiæ cùm eſſẽt medicos animorum emetiti infinitos populos maximas nationes à ſanitate mẽtis ad furorem & amentiam traduxerunt? hæc

ego

ego ampliſſima Dei munera cõfiteat? Quod venenum, quam peſtem, quod exitium humani animi eſſe dicam teterrimis dęmonũ furialium faucibus terris ac mortalibus afflatũm, ſi huiuſmodi hominum, aut furiarũ potiùs non philoſophia, ſed virus, animorum medicina, Deique donum exiſtimari debet? Auertat princeps ille mundi tantum à nobis malum, nec eò dementiæ fideles ſibi gentes venire patiatur, vt hoc ad ſanãdos animos remedium tam peſtiferum adhibeant. Eſt planè animi medecina philoſophia, indagatrix virtutis, expultrix vitiorum, ſed illa quæ in comprimendis animorum motibus, qui ſæpe vehementiùs cõtra rationem incitantur, occupata eſt, non quę in pacatis tranquilliſque mentibus maximos ac turbulentiſſimos variarum perturbationum fluctus excitet. Spero probari vobis orationem meam, viri ornatiſſimi, vehementer ſum iſto ipſo veſtro vultu recreatus, quantum potero voce contendam, vt me illi etiam, qui ſtant extremi, exáudiant. Illa philoſophia medetur animis eorum, quos apud Platonem Socrates nunc verè philoſophos, nunc rectè tractantes philoſophiam, nunc probè philoſophantes vocat: quorum omnis exercitatio nihil eſt aliud, niſi mentis quædam à corpore ſeiũ- *In Phædone.*

ctio atque auocatio: qui vt paulò ante coactus erat, diſputatione Socratis, confiteri Simmias, neque ſtudio tenētur huiuſmodi voluptatum, quales ex cibo atque potu, rebuſq; venereis capiuntur: neque ceterum corporis cultum magni ducunt, vt veſtem pretioſam, vel calceos, neque alia corporis ornamenta in pretio habent, ſed ſpernunt potiùs & rejiciunt, niſi quoad omninò neceſſe eſt illis vti: quorum ſtudium non in corpore defixum, ſed quoad fieri poteſt, ab ipſo auocatum, ad animum videtur eſſe conuerſum, quos in hiſce rebus apparet ſegregare animum quàm maximè à ſocietate corporis, cōtra quàm faciūt ceteri mortales: denique vt omnia paucis cōplectar, qui nihil aliud meditātur niſi mortem: cuius ſententiam literis Latinis illuſtrans M. Tullius, totam philoſophorum vitam, mortis commentationem eſſe ſcripſit: quibus addamus nos etiam, ſi placet: qui nulla cupiditate gloriæ incitātur, nihil aura mutantur populari, ſpernunt inſanos multitudinis applauſus, ac clamationes temerarias rident, quæ pleriſque magna ac præclara videntur, parua ducunt, eaque ratione ſtabili firmáque contemnunt, res verò duras atque aſperas ita ferunt, vt nihil à ſtatu naturæ diſcedant, nihil à dignitate ſapientis:

Tuſcul. quæſt. li. 1.

tis:quæ res non minùs ad Platonicam illã mortis commentationem,quàm ſuperiora pertinent,ac neſcio an multò etiam magis. Audiant igitur qui magiſtri Platonis,Marcique Tullij auctoritatibus maximè nituntur,agnoſcant illam propè diuinam eorum,quos laudãt vocem, agnoſcant verba, agnoſcant ſententiam. vbi effecerint, vt tota vita Philoſophorum mortis ſit commentatio,& nihil aliud illi agant, niſi vt animum è corpore omnibuſque rebus ad illud ſpectantibus quàm maximè abducãt & ſeuocent,tum ego illud ipſis tribuam & dabo,vt Philoſophiam animorũ medicinam, diuinúmq; donũ eſſe prædicent:quãdiu animus inflaminatus cupiditatibus,lætitiâ elatus ác geſtiens,acerbiſſimis dolorũ aculeis cõfixus, perterritus impendentium malorúm metu,fœdiſſimis corporis voluptatibus demerſus, curis rerum labentium veluti quodam pondere depreſſus, ad res viliſſimas,hominiſque præſtãtiâ indigniſſimas abiectus,non ſeſe erigere poterit, nõ rerum cœleſtium ſplendorem intueri,nihil magnum aut præclarum, nihil diuinũ agitare:non dubitabo eius qui ita ſit affectus, philoſophiam perniciem humani generis, religionis Chriſtianæ labem atque ruinam nominare.eſt illa quidem per ſe pulchra,&

ſuâpte natura ſalutaris: verum vt medecina aliqua vel ad ſanandũ appoſitiſſima, ſi tũ, cùm capitur, venenum admiſceatur, nõ remedium illa quidem morbo, ſed exitium afferat laboranti, ſic Philoſophia, ſi dũ hauritur ad curationem animi, cupiditatis, ambitionis, ſuperbiæ veneno inficiatur, nõ in mentibus ſanitatem, ſed furorem, ſed amẽtiã ingeneret, quibus ſacra profana omnia labefactentur, euertantur, extinguantur. Quod certè vos, viri ornatiſſimi, tam multis exterarum gentium exemplis admoniti, veriſſimum ducere debetis exiſtimareque, nihil referre magis non ad eorum qui diſcunt modò, ſed etiam ad populorum omnium ſalutem, pacem, tranquillitatem, quàm quibus initiò moribus, qui ad philoſophandum accedunt, imbuantur. Sed quoniam non omnes, qui parum rectè philoſophantur, ipſáque philoſophię præcepta aut perexiguam, aut nullam in ſuis animis vim habere patiuntur, eo furoris & audaciæ procedunt, vt variis rerum nouarum motibus rempublicam Chriſtianam conturbẽt. Age illud etiam videamus, quid virium in iis habeat illa diuinarum humanarumq; rerum ſapientia, quí multis contaminati ſordibus vitiorum aut certè parum amantes probitatis, populos imperitos veram

pietatem edocent nam ſi adeò infirma eſt ac debilis, vt nihil poſſit efficere: ſi adeò inſana, vt omnium irriſione ludatur, nemini credo dubium eſſe poterit, quin illa cũ virtute maximè ac probitate coniungẽda ſit. Atque vt omittatis nunc de ſingulis cogitãdo recordari, vno adſpectu intueri poteſtis eos, qui ſpretis bonis integriſq; moribus, ſola mediocri, vel etiam ſumma rerũ inſtructi ſcientia, ſe aliquando ad tractandos multitudinis animos contulerunt, cùm ita laborantes acriter, tum ita nihil proficientes, vt aliis miſerandi, aliis irridendi eſſe videantur. nec ſanè immeritò. eſt enim virtus morum quidam tanquam ſpiritus literarum, hæ verò quoddam quaſi corpus virtutis. hæc vbi abeſt, iacent literæ, veluti membra ex anima: nec ſolùm nullam habent officiendi vim, ſed nec ſe quidem poſſunt commouere. Quid facient pedes, quid manus, quid caput, quid ceteri corporis artus vitali ſpiritu deſtituti? Quid adhortatio, quid obiurgatio, quid admonitio, quìd reliqui literati hominis conatus à virtute tanquam anima derelicti? Mihi verò non temerè videtur ſeruator ille hominũ priùs ſalem dixiſſe terræ diſcipulos ſuos, quàm mundi lucem, ſed diuina illa, qua cuncta ſolebat ſapientia. Eſt enim honeſtè acta *Matth. 5.*

BIBLIOTECA NAZ.

vita, cuius exemplo ſaliuntur quodam modo corrupti mores hominum, & quę delapſa iã fluxerunt, adſtringuntur, vt S. Chryſoſtomus adnotauit, longè doctrinâ prior, cuius lumine terrarum orbis illuſtratur. Multò magis exemplis, quæ cernant oculis, quàm verbis impelluntur mortales, illa quæ maximè vel ab imperitiſſimis ſolent in iis, à quibus admonentur, requiri. Nulla eſt orationis, quamuis doctiſſimæ, auctoritas, nullum pondus, quam ipſi dicentis mores confutant, & quantum affert virium ac momenti vel eloquentia, vel rei honeſtiſſimæ, de qua dicitur natura, tantum vitæ detrahit turpitudo: neque eſt quidquam ſuperbius, nec arrogantius, quàm velle, vt alij tuam ſequantur doctrinã à qua tu ipſe turpiſſimè diſſideas: neque ſtultius, quàm ſperare ceteros id eſſe facturos, quod videant te ipſũ nõ facere, qui doceas. Quanquam iſtud ipſum, aliter loqui, aliter viuere, tantæ turpitudinis eſt, tantæ leuitatis, tantæ inconſtantiæ, vt etiam ſi noſtra ſine virtutis præſidio philoſophia plurimum ad mentes hominum, quo vellemus, impellẽdas, vnde vellemus deducendas poſſet, tamen ne ita viueremus, eſſet propter ipſam rei fœditatem magnoperè fugiendum. An excogitari quidquam turpius, aut fingi poteſt,

Hom. 15. in Matth.

teſt, quàm in eo ipſo peccare, cuius ſcientiã profitearis, cuiúſque magiſter eſſe velis? Quis grammaticum barbarè loquentẽ ferat? quis non ſtomachetur, ſi bene dicẽdi magiſtrum balbutientem audiat? quis non rideat, inſanúque ac furioſum iudicet hominem, qui cùm ipſe perabſurdè canat, ſe tamẽ muſicum & canandi magiſtrum haberi velit? quis nõ os atque oculos auertat, vbi penicillum manu tenentem cernat illum, qui ne lineam quidẽ ſciat ducere, quà velit, & diſcipulorum turbæ, vt ſe pingentem intueatur, præcipientem? & nos illum philoſophum ferendum eſſe nobis arbitrabimur, qui cùm ſe vitæ ducem profiteatur, ipſe turpiſſimè viuat, & in officio labatur, cuius ſe doctorẽ egregium credi velit? Accipite ſapientiſſimã illius Baſilij grauiſſimámque ſententiam, qui ob inſignem omnium ingenuarum artium ſcientiam, & ingenij ſingulare lumen, Magnus eſt ab ipſis Græcis Athenis nominatus: accipite, inquã, ſanctiſſimi doctiſſimique viri de iis, qui ita philoſophantur ſententiam, atque eam ſic animis veſtris infigite, vt nunquam excidat, ſic imprimite, vt nulla vnquã obliuione deleatur. Qui aliorũ verbo tenus philoſophiam re factisque confirmat, is ſolus ſapit, ceteri tanquam vmbræ volitãt. nam

Diui Baſilij Laus

ὁμιλία πρὸς τοὺς νέους.

publicè quidē ornatiſſimè laudare virtutē, & multa de ea verba facere, priuatim autē voluptatem pluris quàm continentiam putare, & nimiarum opum potētiam præferre æquitati, id equidem ſimile eſſe dixerim ei quod in ſcena faciunt fabularū actores. illi namque regum vel magiſtratuum perſonam ſuſtinent interdum, cùm neque ſint reges, neque magiſtratus, ac ne liberi quidē & ingenui fortaſſe. Quid? muſicus non facilè pateretur habere ſe minùs temperatā lyram, & chori princeps non habere chorum quam maximè concinentem, & quiſquam noſtrum à ſe diſſidebit, neque vitam ſuam congruētem verbis præbebit, verùm lingua iurauit (inquiet cum Euripide) animus iniuratus eſt? & vehementius contēdet vt videatur quàm vt ſit bonus? atqui hoc eſt iniuriæ extremum, ſi cuius rei fides eſt habenda Platoni, videri bonum cùm nō ſis. his verbis ille ſingulari ſapientia vir, cùm adoleſcentes quoſdam ad verè philoſophandum hortaretur, quàm turpe ſit demonſtrauit non re, ſed nomine, verbóque tenus eſſe philoſophū, atque ita vitā inſtiiuere, vt cum ea mirabiliter pugnet oratio. Rem ergo per ſe deformem ac fœdam, & ſi verè loqui volumus, flagitioſam, ſperem ego aliquid momēti ad honeſtatem habituram?

turam? aut illā philoſophiam apud alios in pretio futuram, quam ipſe, in quo ſit, impudē.iſſimè contemnat? aut eius oratione obſtinatiſſimas improborū voluntates flecti poſſe, qui ipſe non verbis, ſed re, nō cōcluſis ratiunculis, ſed factis: non contraria oratione, ſed vita atque moribus quæcūq; doceat, euertat? Quæ tandē impudētia eſt, dicat is, quē admoneas, aliis pręcepta viuēdi dare, teipſū ex præceptis tuis nō viuere? fac tu diligēter quæ me mones, tū ſi voles, mihi etiam vitæ rationem præſcribes. Nec verò eos laudo, au defendo, qui ſic rerum ſalutarium admonitionibus reſpondent, ſed hæc vna res, quæ ſolet vſu venire ſæpe, facilè declarat, quæ ſit literarum ſine virtute vis, ad aliorum animos permouendos, at vbi huius ſplendor acceſſit, tantum illæ poſſunt, vt nullius tanta ſit obſtinatio ſententiæ, nullius tanta pertinacia, vt queat, nullius tanta impudentia, vt audeat earum viribus reſiſtere. Quis ſuſtineat eius orationis impetum, ſplendore non admiretur, quam non ex inani quodam vanæ ſapientiæ ſtudio ſed ex vera germanáque Philoſophia & eius qui dicit, moribus effloruiſſe videat? cuius mira ſit cū omni vita, incredibiliſque conſenſio? quam ſeuera diſciplina morum commēdet, vitæ integritas ſan.

-ctam quodammodo efficiat, conſtantia firmam atque grauem? quis illa monita leuia eſſe putet, quæ ipſum admonitorem inaudità diligentià, ardétiſſimo ſtudio, infinito aſſiduóque labore præſtare cernat? quis ei⁹ præcepta non amplectatur ſtudioſè, cuius ſermo atque vita eodẽ adhortentur & impellãt? cuius pectus maximis refertum eſſe virtutibus mẽtem tum ſapientiâ, tum pulcherrimis totius honeſtatis ornamẽtis cõdecoratam intelligat? Maxima profectò eſt, maxima diuináque vis, ſũma dignitas auctoritáſque virtutis: quocunque illa incubuerit, eò cetera inclinent neceſſe eſt. Itaque videre eſt eos, qui ab vtraque re bene parati ad docendum accedunt, tantâ apud omnes auctoritate, vt hîc in terris neſcio quid diuinitatis iam habere videãtur. hos ceteri non vt quoſdam annalium memoria, ſed tanquam è cœlo deſapſos homines intuentur, hos ſibi vitæ duces, morũ magiſtros depoſcunt, horũ orationem non vt ex humano illo pectore, ſed ex diuina mente manantem audiunt. hi ſunt illi Platonis verè philoſophi, quorum facta quodã admirabili conſenſu ac penè conflato cum oratione conſpirârunt. hæc illa Dei munere mortalibus donata & conceſſa philoſophia, quâ nihil ab illo rerum parente, neq;

Dialog. de repub. & in Georg. 4.

vbe

yberius, neque florentius, neque præſtabilius vitæ noſtræ datū eſt. hæc illa præſtantiſſimæ ægræ mentis medicina, quæ cupiditates effrenatas coërcet, ſpes vanas aufert, formidines inanes depellit, mitigat acerbiſſimos dolores, auellit prauas opiniones, inter ipſa nutricis vbera, inter oſcula parentum hauſtas, inſerit alias hominū excellẽtia & nobilitate dignas. Atq; vt omnes intelligant, me tantum veræ philoſophiæ imperriri laudis, quantū rei pulcherrimæ, vitæq; parenti debeatur, & quantum vix illa priſca ſecula tribuerunt, dico nihil eſſe in hominum vita maius, nihil humano ingenio ac naturæ accõmodatius, nihil Chriſtianæ religioni neceſſarium magis, quàm ſummam & diuinarum, & humanarū reiū ſapientiam ſingularis virtutis illuſtratam ſplendore. quid enim nobis poteſt præſtãtius ad dignitatem, ad laudẽ prædicabilius, illuſtrius ad ſolidam verámque gloriã cõtingere, quàm vt illius auguſtiſſimæ naturæ, quam diuinam vocamus, nonnullam ſimilitudinem aſſequamur; Atqui cùm ex infinitis aliis, quæ in illa tanta ſunt, quanta nullius hominis mens & cogitatio capere poſſit, illa certè quodammodo emineant magis atque exſtent, bonitas, ſapientia, poteſtas atque vis; quæ illa maximè hac tã-

ta rerum molitione declarauit, efficit hoc vera philoſophia, vt bonitatem rectis moribus augeat, amplificet multiplici rerum cognitione ſapientiam, æque huius finibus dilatatis, ipſa quoque vis efficiendi latiùs multò pateat & poteſtas. Quia enim multa, quæ aliorum vires effugerent, eorum vim, qui Mathematici vocantur, nō effugiſſe credimus? quanto latiùs, quam imperitorum hominum, Archimedis patuit poteſtas, vnici ſpectatoris cœli ac ſiderũ mirabilioris tamen inuentoris bellicorũ tormentorum? Quanto Callimachi hominis in hac ipſa philoſophiæ parte vehementer exercitati? de quibus ille nobiliſſimam Siciliæ vrbem Syracuſas multùm ac diu à Romanorum impetu defendit, cui tantum attulerat philoſophia facultatis, vt quę hoſtes ingenti mole agerent, ea ipſe perleui momento ludificaretur, & cuius imperatoris armis vniuerſa ciuitas terrâ mariq; munitiſſima non facilè potuiſſet reſiſtere, eius impetũ, vnius induſtria vel frangeret, vel retardaret, hic Amiſum clariſſimam Cappadociæ vrbem obſeſſam & oppugnatam à Lucullo non ſolùm diu ſaluã & incolumẽ conſeruauit ſuis machinis, ſed affecit Romanas copias multis cladibus, vt non potuerit Imperator fortiſſim⁹ aliter ea, quam calliditate

Plut. in vita Marcel.

Plut. in Lucul.

calliditate ac dolo potiri. Quid illi qui medici vocantur quàm multa, quàm incredibilia ſæpè philoſophiæ viribus efficiunt? quid phyſici? quid ceteri? quantò propius quàm alij homines, ad diuinam poteſtatē accedere videtur? Itaque nulla propior, neque certior cognatio cum Deo nobis eſſe poteſt, quàm veræ philoſophiæ, quæ illius ornamenta quę ſunt illuſtriora quam cetera, & notiora mortalibus multis in animis noſtris auget. nunc quemadmodum eadem cum noſtra natura congruat, cōſideremus. Non enim vt tardæ languidæque pecudes ad obſequium, & indulgentiam corporis illud animal natum eſt, quod vnum ex omnibus particeps diuinæ mentis, plenum cōſilij, libarâ voluntate præditum videmus. facti ſumus ab illo ſapiētiſſimo mundi architecto, multiſque præſtantiſſimis muneribus exculti tum ad intelligendum, tū ad agendum. ſuſcipere] nos ille iuſſit hūc pulcherrimum ornatum, & admiratione tātarum rerum inueſtigare ipſius numen: inueſtigatum autem non venerari ſolùm & colere, vti par eſt, ſed tanquā exemplar etiā nobis proponere ad imitandum, vt non ſecus nos ipſos, noſtráq; omnia priuatim ac publicè tueamur & gubernemus, atque ab illo cernimus omnes mundi partes regi &

conſeruari. ita viuentes in altiſſimas & illuſtriſſimas beatorum ſedes aſcendere voluit, ad aliam quandam vitam æternis refertam & cumulatam bonis perfruendam. Et quoniam parentem vniuerſitatis inuenire, difficile eſſe intelligebat, inuentum autem in vulgus indicari nefas, ſe ipſe quondam quibus voluit indicauit, reconditáq; myſteria ênucleauit. Itaque non eandem nobis quam ceteris animantibus attribuit corporis figurā, ſed noſtro ingenio habilē atque apta: cumque; illas prono corpore ad paſtū, & reliquas corporis voluptates abieciſſet, nos tanquā ſpectatores huius vniuerſitatis, ad cœli & aſtrorum conſpectum excitauit. vt illud ipſum domiciliū erecti cōtueamur, quò nobis eſt omnis huius vitæ curſûs dirigendus. At quænam res ſit conſentanea magis & cōgruentis, qui ad contemplationem huius pulchritudinis, & honeſtas actiones procreati ſunt, quàm & humanæ; & cœleſtis philoſophiæ doctrina, quæ in duas diuiſa partes, altera ponit ante oculos mare terram, aërem, cœlum, & partim ex his, & partim ex illis quæ ſunt hominibus patefacta diuiniùs, fabricatorem tanti operis inueſtigat, altera demonſtrat quemadmodū illum iam cognitū & debito cultu proſequi, & ſapientiā, conſilio, ge-

neris humani caritate,iuſtitiâ,clemẽtiâ,ceteriſque virtutibus,quoad eius fieri poteſt, exprimamus. Abeant nunc pecudũ ſimiles homines ac ferarum,iiſdem,quibus illæ, ſe voluptatibus oblectent,paſcãt oculos, atq; animum,belluarum ſpectaculis,ibi cogitationem omnem habẽat defixam. Qui congruenter velit hominum naturæ viuere,& pro ea,quã à Deo omnes accepimus dignitate, ambas vtriusque philoſophiæ partes amplectatur & quæ in cõtemplatione rerũ & quæ in actione verſatur,in his ſe diligẽter exerceat,in his elaboret, his vitã ſuam omnem inſtituat.hæc ſunt hominis nobilitate digna ſpectacula.hæc ſola hominũ naturæ cõſẽtanea voluptas, quæ ex humanarũ diuinarũq; rerum cognitione , & actionum honeſtate capitur,quibus duabus partibus omnis humana & diuina ſapiẽtia cõtinetur. Infinita viri ornatiſſimi de his philoſophiæ laudibus dici poſſunt : verùm ad ea quæ lõgè omnium ampliſſima videtur, noſtra feſtinat õratio. Vos ego oro atq; obſecro,quãdo vos illa tales;quales nũc eſtis, quodammodo genuit,& in eius quaſi gremio magis educati eſtis,quàm in ſinu matris,ne in laudibus illius,cui vos tãtum debere intelligitis,audiẽdis defatigemini ſic enim fiet non ſolùm vt quã æquũ eſt. pietat

tate erga communem omnium parentem fuiſſe videamini, ſed etiam quod volumus planè cognitum habeatis atque perſpectũ. ſũt illa quidẽ ſuperiora ſatis ampla & præclara, ſed quanto hoc maius videri debet, veræ philoſophiæ præſidiis Chriſtianam religionem contineri, & ex ea pendere noſtræ Reipubl. ſalutem? Poſtquã enim ſummi philoſophi & iidem noſtræ religionis ſigniferi atque duces, eius vim omnem ad pietatem, à qua hominũ vitio diſſidere videbatur, defendendam tranſtulerunt, eiſq; præſidiis ſepti ac muniti ſteterũt cõtra temerè irruẽtes hoſtiũ acies: poſtquã noſtra fides iiſdem armis & oppugnari cœpta eſt & defẽdi, & vnde furioſi eius oppugnatores ſuxerant venenum, inde hauſerunt antidotum eiuſdẽ ſtudioſi defenſores, implicata eſt quodã modo cum philoſophia pietas & cohæret. vix poteſt illa ruere, quin hæc (niſi Deus præter hominum opinionẽ ſubueniat) eodem labefactata motu concidat. Fingete animis, quod ſæpe iã accidit, exſiſtere quàmplurimos homines oratione ornatos, copioſos, & graues, ſingulari armatos variarum rerum cognitione, qui furore inaudito, inuſitatâ rabie extinguere Chriſtianam pietatem ac ſepelire conẽtur: nullum eſſe qui inſtructus iiſdem armis, ob-

uiam poſſit eorum conatibus, amentiam frangere,audaciã refrenare:quanto in periculo verſabitur populi Chriſtiani ſalus? quàm liberè illi & impunè vagabãtur?quo impetu omnia deiicient atque proſternẽt? Nam etiam ſi Deus tum maximè res labãtes confirmare ſolitus ſit,& erigere iacẽtes atque proſtratas,cùm omnino ſumus humanis auxiliis deſtituti,poſtulat tamen ex ſpectatque ſæpe,vt nos induſtriam virtutemque noſtram excitemus,omnem ſpem conſeruandæ ſalutis in eo vno collocãtes. Sapientiſſimè igitur maiores noſtri,quod eſt vel in pugna,vel in omni medẽdi arte multò maximum,& in quo exclamãt homines & admirantur,gladium extorſerunt hoſti de manibus,eiq; illâ ipſâ acie caput amputauerunt,quâ is ipſorum iugulũ petebat; eamq; refecerũt morbo medecinã, ex qua vis eius omnis profluxerat. Nihil apud Ethnicos ſcripta prophetarum,nihil Apoſtolorum,nihil Euangeliſtarũ auctoritates poterant:at philoſophorum monumenta ſententiæque plurimum, plurimũ oratorum & poëtarũ. Hæretici verò magni faciebãt illi quidẽ ferè quæ ſũt ſcripta diuinitùs aut certè ſe magnifacere ſimulabant:ſed omnia quibuſdã argutiis tortuoſisq; interrogatiũculis ac Chryſipeis ſo-

phiſmatis,& ſentētiis,è media philoſophia petitis corrumpebant. Quid ergo vel aduerſus illorum impetū firmius excogitari potuit,quam miſſis iis,quæ irridebāt,poetarum,oratorū, philoſophorum argumentis pugnare,quos ipſi ſolos ſapientes fuiſſe arbitrabantur:vel contra horū rabiē ſalutarius, quàm Chryſippeis illis nodis diſſolutis,vitatisque cornibus hinc inde imminentibus philoſophorū placitis illa coarguere, quæ iiſdem ſe ipſi confirmaſſe ſatis exiſtimarēt? Enimuerò inuſitatis illi quibuſdam afficiēdi ſunt laudibus, qui primi hoc eximiū defenſionis genus repererūt, nec eos labores reformidarūt, qui in re tā noua maximi ſubeundi neceſſario fuerūt. fungemur & nos noſtro officio prȩclarè,ſi eorum veſtigiis inhærentes, in eodē nos genere defenſionis diligēter exercebimus, itane mores vnquā ab oratione disſideāt O verȩ vitæ lux! ô propugnaculum religionis!ô arx defenſorum noſtræ fidei philoſophia!ô promptuarium eorum,qui falſas impiorum hominū calumnias refutare voluerunt!quid omninò ſine te noſtrȩ res eſſe potuiſſēt?tu bonos armaſti contra improborum audaciam , tuis præſidiis Chriſtiana ſæpe fides cōmunita perrupit conſertiſſimas inimicorum acies,omnia coniecta

iecta tela cõtempſit,clamores irriſorũ,& ſibila pro nihilo putauit:te duce fortiſſimi illi Chriſti milites fuderunt infinitas tum hereticorum , tũ externorum copias , retuderunt eorũ furoré, de perfidia glorioſiſſimè triunpharũt:te ſociâ tumultuantis populi furias placauerũt,depulerant à cõmuni peſte turbulẽtiſſimos fluctus diſcordiarum,ſedarunt excitatas errorum tépeſtates,miſeris vexatisq; gẽtibus exoptatá requiem pepererũt.tu Origeni,Celſi philoſophi ſuperbi cæcos impetus propulſãti affuiſti eiuſq; veritatis amẽtẽ animũ tuis opibus cõfirmaſti te comite,bene animati ac parati Methodius,Euſebius, Apollinarius,tui præſtãtiſſimi alumni, oblatrãti quondã Porphyrio os atq; fauces obturârunt,tuis Cyrillus, Gregoriuſq; Nazianzenus corroborati viribus,ſepté illos Iuliani libros, quos ille in expeditione Parthica inChriſtũ ſeruatoré euomuerat pluſ quàm caninâ rabie,faces humani generis extinxerunt,tuis ornamẽtis Quadratus, Ariſtides , Iuſtinus expoliti , elegantiſſiè conſcriptos à ſe libros pro religione noſtra cõtra vanã & anilé exterarũ nationũ ſuperſtitione,imperii Romani moderatorib⁹ obtulerũt.tuis auxiliis Tertullianus, Minutius Felix,Cyprian⁹,Arnobi⁹,Lactã-

ctius tuis Miltiades, Didymus, Baſilius, Cæſarienſis Euſebius. tuis innumerabiles alii. qui nũc dignis pro ſuo labore pręmiis apud Superos fruũtur, tũ exterorũ hominũ, tum hæreticorum ſeſe effrenatè iactantem repreſſerunt audaciã. Satis opinor hoc eſſe laudis, viri ornatiſſimi, atque ita reputo, vt hoc vos intelligatis à nullo iſtorũ, qui philoſophiæ detrahi queruntur, ſi vitæ integritas laudetur, illã ſimiliter aliquãdo eſſe laudatã. Sed vt eò redeat, vnde noſtra manauit oratio perſpicis, opinor quãti referat coniũgatúrne cũ virtute philoſophia, an turpi faneſtoq; diſſidio diſiungatur: ſiquidem vnius acceſſione virtutis illa multũ viribus ad alios bene inſtituendos, à fœda flagitioſáq; vita reuocandos, multùm ad ſacram Chriſti Opt. Max. religionem tuendam valet: eiuſdem deceſſione nihil ad hominũ mentes permouendas poteſt ipſa, religionem ſæpenumerò quoad eius fieri poteſt labefactat. Quòd ſi copulanda hæc & quaſi conſocianda ſunt, nemo profectò dubitabit, quin quam primùm poſſit fieri, ſit optimum, qui quam cõſuetudo vim habeat, vmquam audiuerit & quã magna res optimis quibuſq; à prima ætate aſſueſcere iudicãda ſit. Quæ cùm vniuerſa Societas videret, Eccleſiæ pro ſua tenui infirmaque

que

que parte adiuuãdæ ſtudio ex ſummi Pōtificis, quem vnum in terris ſupremūChriſti vicarium habemus, voluntate auctoritateque conſtituit, vt publicè in Academiis doceremus, eniteremurque pro viribus, vt qui darent nobis operam cum literis pariter homine Chriſtiano dignas virtutes imbiberent, ſine quibus illa vel leues vel pernicioſæ eſſe ſolent. Et certè quàm turpe futurum erat, cernitis reperiri magiſtros plurimos, ſi minus in his noſtris prouinciis quas ſingulari quâdã curâ videtur conſeruaſſe Deus, certè in alijs, qui ideò ad docendum accedant, vt à vera pietate homines ſenſim ad omnẽ impietate transferant & cõuertant: nullum reperiri, qui vt bonos mores inueheret, eaſdẽ quas illi iuuentutis erudiẽdæ partes ſuſciperet. Itaq; eò ſpectat hic omnis conatus noſter, hoc eſt nobis in hac docendi ratione propoſitum, ſi fortè diuinis auxiliis poſſimus efficere, vt eadem ſit oratorum, poëtarum, dialecticorum, phyſicorum, mathematicorum, magiſtrorum vitæ, & proborum hominum officina. Ardua res, non nego: prouincia dura, fateor: nõ ita facilè flectuntur hominum voluntates, veriſſimè dictũ eſt: Sed cùm conſcelerati homines in Germania multiſque præterea locis hac vna

re tantùm in oppugnanda religione cor-ſequantur,ſperamus nos eádẽ multò plus in bonis moribus iuuãdis aſſecuturos.atq; hæc de Societatis animo dicta ſint. Ex quibus illud etiã,quæ res Chriſtianiſſimũ Luſitaniæ Regem impulerint,vt hoc collegiũ celeberrimum ei traderet, quæ fuit altera pars propoſitionis meæ,facilè meâ ſententia cognoſci poteſt.Cogitare enim quo ille ſtudio,hoc literis domiciliũ erexerit quantâ auxerit diligentiâ, quantâ benignitate adornârit,quantâ ſollicitudine ſẽper,quæ ad illud attinebât,peregerit: quàm inſolitâ nõ inhumanitate,ſed beneuolentiâ cõplexus ſit, quam liberaliter aluerit doctores egregios,quos adhũc diẽ habuiſtis,tum noſtram, ſi libet,inopiam, ieiunitatem, ſiccitatẽ,cum eorum copiis, vbertate,grauiſſimorum optimorúmque verborum flumine ac ſententiarũ cõferre: hoc ipſũ,credo,quod ego ſuſpicor,fatebimini, quæ cauſſæ Societatem vniuerſã ad docendas publicè bonas artes incitârunt, eaſdem religionis amantiſſimumRegem, publiciq; boni cupidiſſimũ, vt nos in his ſedibus collocaret, impuliſſe. Sperat id quod & nos omnes ſperare optareq; debemus,ſi ad ſcientiarũ vim atq; ſplendorẽ virtutis ſalubritas,aut potius ſanitas acceſ

ſerit

ſerit, aliquid quale priſca illa ſecula viderunt & quale noſtrâ etiam ætate non rarò extitit, euaſurũ. Id vt effici faciliùs & obtineri queat omnia ſibi facienda omnes adhibendas machinas, nihil intentatũ relinquẽdum eſſe putat. O rẽ magnitudine incredibilem, vitio temporũ inuſitatam, ſuperiori memoriâ inauditã, digniſſimã Chriſtiano Rege, & eius quodãmodo propriã omnium gentium literis atque linguis condecorandã! Silent nunc Rex inclite omniũ Luſitaniæ Regum bellicæ illæ tãtoperè celebratæ laudes, tacent arma quæ ſummũ ferociſſimis nationibus terrorem incuſſerũt: clara illa & exornata trophæa illuſtrium victoriarum inſignia & monumenta in diſiunctiſſimis terrarũ oris erecta cõticeſcunt: omnes eorum res geſtæ quæ omnium oratorũ dicẽdi vim atq; copiam ſuperare videbantur, huius vnius tuæ gloriæ ſplendore obſcuratæ delitеſcunt. Nã bellandi virtus eſt illa quidem præclara: ſed neq; Luſitaniæ gẽti inſolens, & Chriſtianis cum aliis omnibus communis. Itaque & Luſitanis ducibus magni quondã Romanorũ imperatores magnæq; copiæ ceſſerunt, & de Chriſtianis pauciſſimi fuerũt ducibus externis pares. & imperii amplitudo ac maieſtas quã

illi mirum in modũ auxerunt:non tã mẽtem atque animum regis vel eorũ, quibus imperat,quàm potentiam quãdam & nomen exornant. Et nauigandi gloria vltimarúmque terrarũ incredibilis perueſtigatio,quibus ſuperiorũ regũ fama Oceanum Atlanticum,extima totius Africæ littora, Indúmque & Gangem ſuperauit:amplificarunt quidem huius regni opes ſupra modum auri,argenti,gemmarum,aromatũ vim penè infinitam & copiam exaggerarunt,locupletarũt multos fortunis,ſed exhauriunt penè quotannisLuſitaniam, publicos mores affligunt vehementiùs,antiquam illam virtutem debilitant,ſicut Romanam olim debilitârunt. vt difficile exiſtimatu ſit,plus ne illa hominum abutentium vitia incommodi attulerint an eorũ regum qui perueſtigarunt,inaudita dılıgẽtia ornaméti. At ingenij vis atque gloria, veráque philoſophandi ratioornãt eorũ,in quibus ſunt,animos,iis qui cum imperio ſunt plurimum adumẽti afferunt multos à finitimis populis trahunt allectos, opes nõ imminuũt rerúmq; copias,mores bene conſtitutos conſeruãt, labẽtes confirmãt, afflictos excitant, iacentes extollunt, ipſi deniq; magnitudini imperii decori & ornamento ſunt,quæ cùm ſuperioribus æta-

tibus

tibus nõ deeſſent illa quidem, ſed tenebris obſita laterent, & vix nationes exteræ fieri poſſe exiſtimarét, vt Luſitanus homo clarus in hoc genere laudis euaderet, tantam his lucem tam breui tẽpore tua ſingularis liberalitas & diligentia potuit afferre, vt qua re dudũ omnibus gentibus aliqua humanitate expolitis, inferiores tui credebatur, ea nunc facilè ceteris antecellant. Itaq; ſuperiores Reges antiquiſſimam Luſitanorum laudem virtute ſua vel conſeruarunt, vel etiam, quod eſt verius, auxerunt: tũ illâ non omiſſâ, immò ſummopere amplificatâ multis incredibilibus pugnis, terreſtribus atque naualibus, maximis & ornatiſſimis hoſtiũ claſſibus: partim vi tormentorum depreſſis partim captis, ingentibus copiis, vel fuſis, vel ad internecionẽ cęſis, vt nulli de ſuperioribus Regibus bellica laude videaris inferior, nouã illã quâ multùm diu illi caruerant, ita perfectã & abſolutã perpetiſti, vt vix vllum reliqueris tuis poſteris amplificandi locum. illi propagârunt Luſitani fines imperij, tu defenſos, non dimittens propagandi curam æquitate, ſapientiâ, religione munis atque ornas, illi potentiæ tum ſuæ, tum ſuorum quamplurima: tu præterea & tui & tuorũ animi longè maiora ornamẽta cõparaſti.

tu variarum cognitione rerum, philoſophiæq; ac pietatis copiis:illi ſuos pecuniâ ditarunt.facis tu,vt multi à proximis viciniſq; populis ad nos pulchritudine diſciplinarum allecti,confluant?illi fecerunt vt ex ſolo ſedibúſq; patriis ciues in vltimas terras cōmigrarēt,illorum rebus præclarè geſtis multæ grauéſq; peſtes ipſis nec opinantibus,ad optimorū labem morum atq; perniciem obrepſerunt,tu honeſtis ſtudiis veræque ſapientiæ præſidiis,vt illę à calamitate publica depelli poſſint,elaboras.illi eo potiſſimùm genere laudis floruerūt, quod velimus nolimus, cū multis exterarum gētium imperatoribus aliqua ex parte communicādum eſt:tu eâ maximè gloriâ, quæ eſt omninò propria Chriſtiani Regis,eniteſcis.Quare illorum laudes celebrabuntur,illæ quidem,&immortalitati, quoad fieri poterit,cōmendabūtur:ſed ſic vt cum Alexandri Magni,Scipionū, Pauli Æmilij,Cæſaris,Pompeij rebus geſtis cōparētur.at tua ipſa diuturnitate aucta cum Philippi primi Chriſtiani Imperatoris, cum Conſtantini Magni, cum vtriuſque Theodoſij gloria conferetur,qui cùm imperij Romani maieſtate,opibus,potentiâ, rerum geſtarū gloriâ, tum multò magis ſtudio pietatis floruerūt. Dicā enim quod ſentio,

ſentio, viri ornatiſſimi, &, vt arbitror, dicã verè, non deeſt Ioanni potentiſſimo Regi Luſitaniæ par animi virtus & volũtas, deeſt fortaſſe cauſſa & materia illa, cãpúſq; latiſſimus, quem illi habuerunt, vbi poſſit & virtutẽ ſuã & mirificã voluntatẽ declarare. Quod vt hæc ampliſſima tecta ſapiẽtiæ prętercam, hanc partium deſcriptionẽ ſingularum, hunc doctrinæ ſplẽdorem, tot innumeris locis magnificentiſſimè exædificata templa, tantam religionis Chriſtianæ ſacrorúmq; curã, vel hæc hodierna cõmutatio ſatis indicat, quâ ſignificauit apertiſſimè quidquid agat, id ex ſingulari quodam religionis Chriſtianæ, & virtutis ſtudio profectum, ad earundem incremẽtum referri. nõ quòd in hac præſertim prouincia literas vnquã vel à pietate abhorruiſſe, vel ab vlla virtute credã aut ſuſpicer. ſunt verò illi omnes eximiâ quâdam gloriâ & prædicatione efferendi, quorum induſtriâ, ſedulitate, doctrinâ, multi partim dicendi copiâ, partim acumine diſſerendi, partim abditiſsimarum cauſſarũ, vnde res quæq; oriãtur, numerorum magnitudinũ cognitione ac ſcientiâ florentes, ex hoc ludo tãquam ex equo Troiano exſtiterunt. Atque hoc etiam magis quàm ceteri, quòd hæc ita cum religione, cum Eccleſiæ totius venera

neratione,cum aliis quę decent hominem Chriſtianum,copulauerunt,vt multorum, qui docti ſimul & probi euaſerūt,animi virtus atq; doctrina eorū diligētiæ ac pietati,ſi qui verò aliter animati atq;oportuit aut parū docti emerſerūt, horū vel inſciētia vel improbitas,nō optimorū magiſtrorum culpæ vlli,aut negligentiæ ſed ipſorū ſocordiæ deprauatóq; ingenio tribuenda eſſe videatur. Quæ res adeò perſpicuè illuſtrisq;eſt,vt ne dormitatē quidē, ne dum vigilātiſſimū in Reipublicę gubernatione, Regem potuerit latere. Nouit ille quidem omnium qui hîc docuerūt,animum & volūtatem:quam ſedulò ſuū quiſque fecerit officium,quâ alacritate ſuę morē geſſerit voluntati, quàm vberes fructus attulerit Luſitaniæ iuuētuti, videt afficietque ōnes dignis ſuo labore præmiis, & eorum iuſta acdebita officia maximis beneficiis remunerabitur. Ergo nō putauit ille aliter hîc rem literariā adminiſtrari, nec quiſquā eſt aliquādo ſuſpicatus. Quid igitur? vbi Societatē hoc ipſum, quod illi ſatis diligenter faciebant, ex ſummorū Pontificū voluntate profiteri cognouit,& ad id conſequendum quibuſdā vti remediis appoſitiſſimis,quæ alij adhibere non ſoleāt, id nec repudiandum, nec contemnendū ſibi

eſſe

eſſe arbitratus eſt, cui nihil vnquam fuiſſet antiquius, quam vt literæ vna cũ bonis moribus florerent. Ac nos quidẽ, viri ornatiſſimi quantũ onus hodierno die ſit noſtris humeris impoſitũ, videmus. Verũ eadẽ vos illa ſpes ſuſtentare debet quę nos etiam alit atque ſuſtẽtat Quæ niſi adeſſet, caderemus plane animis, viri ornatiſſimi, nec in tãta luce ſapiẽtiæ ignorationis noſtræ tenebris locũ vllũ eſſe poſſe putarem. Sed erigite obſecro veſtros animos & tenuitate noſtrâ præteritâ, in Dei Opt. Max. potẽtiam illos, magnitudinemq; defigite. Ille pro ſua bonitate ac recõditis illis æternæ ſapiẽtiæ cõciliis, Societatẽ hãc initiis admodũ paruis ortã, ſic per oẽs terras & maria diffuſã dilatauit, vt ſperare nos quodãmodo iubeat, vires diuinas imbecillitati noſtræ, inſipientiæ ſapientiã, conſiliũ officioſæ temeritati præſidio futurũ. Quãobrẽ adeſte animis, viri ornatiſſimi, & pauciſſimis de omni docẽdi ratione Societatis accipite. Poteſt enim id dici, Deum quidẽ nunquam non eſſe ad opẽ ferẽdam paratiſſimũ, verùm noſtram interim diligentiam, laborem noſtrum requiri verè quidẽ id dicitur, ſed vos ea cuiuſmodi ſint, conſiderate breui, vt finem aliquando noſtra inueniat oratio. Atq; vt ab humanioribus lite

literis, quibus primũ iuuenes erudiri ſolent, exordiũ ſumamus, quoniam omnis doctrina Latinorum, quod nunquã illi negauerunt à Græcorũ literis, quaſi fontibus profecta manauit: ſolent in collegio Societatis, Græcæ literæ cũ Latinis cum primũ fieri cõmodè vtiliterq; poteſt, cõiungi. Crebræ vtriuſq; linguæ exercitationes inſtruũtur atque magnæ, grauiſſimi quoq; oratores, poëtæ, hiſtorici tũ ex Græcis, tũ ex Latinis explanãtur, ratioq; à ſingulis quoad fieri poteſt omniũ rerũ exigitur. Quæ res quantũ momẽti ad omniũ artium ac ſcientiarum cognitionem afferat, experti norunt Hoc Marcus Tullius vnus ex Latinis omnibus nõ orator modò verè etiã philoſophus multũ maximus, ſe feciſſe ad vtilitatem ſuã, tum in philoſophia, tũ in exercitatione dicẽdi gloriatur: hoc Marcum filium Athenis cõmorantem vt faciat, hortatur, vt par ſit in vtriuſq; orationis facultate, hoc Marcus Cato ille ſenex præſtantiſſimũ iudicauit, cùm ætate iam affecta & graui, impediri non potuit quò minùs ſe ad literas Græcorum ediſcendas cõuerteret. Iã in ſubtilitate diſſerendi, atq; omnibus philoſophiæ partibus, præterquã quod optimi quique auctores & in ea facilè principes

In Bruto

1. de Offic.

Lib. de Senect.

ex

explicãtur, cõſtituuntur, aſſiduæ, maximæ, vtiliſſimæq; diſputationes de difficillimis rebus, datúrque opera in his, vt obſcura illuſtrentur, arcana atque abdita eruantur & proferãtur in lucem, nodoſa & quibuſdam quaſi tortuoſa finibus explicentur: id quod in hac re tenere creditur principatum. Sed quoniã vos diutiùs fortaſſe quàm par fuit ſum remoratus (quod tamen quia cauſſa poſtulabat, neceſſariò faciendum fuit, & vos, ſpero, boni conſuletis) tempus admonet vt finem dicendi faciam, vos res ſingulas meliùs vſus ipſe, quàm noſtra oratio docebit. Nunc veſtræ partes ſunt, adoleſcẽtes optimi, obſeruare perofficiosè, colere peramanter quos habuiſtis ad hunc diem præceptores, in omnibus philoſophiæ partibus illuſtres, exiſtimareq; nihil eorum caritate debere vobis eſſe antiquius, quib' pro ſummis erga vos meritis, pro eorũ quę ab iis didiciſtis, magnitudine, pro laborib. immẽſis quos diutiſſimè veſtrâ cauſsa tolerârunt, par vnquam referri gratia nullo modo poſſit: nouos autem, qui illis ſuccedimus, eâ humanitate non excipere, ſed cõplecti, quâ vos ipſi re & exemplo ſuo faciendũ eſſe docuerunt. Etenim verè mihi videor dicturus, cùm vos quaſi alumnos eorum diſciplinæ, ipſumq; adeò Chriſtia-

niſſimũ Regem Luſitaniæ,cuius illi, vt parerent voluntati,nullum laborem, nullam moleſtiã recuſarunt,eis debere multum,tũ nos longè plurimũ,quos tantò inferiores, quantò omnes videtis, ſucceſſores tamen incredibili humanitate acceperunt. Atque illis quidẽ pro tam leui officioſoq; animo Deũ Opt.Max.ſi minùs in hac vita mortali,at in immortali illa, quæ ſola verè vita exiſtimanda eſt, ampliſſima munera conceſſurum eſſe cõfido. Vos verò,ſtudioſi atque optimæ ſpei adoleſcentes,eorũ ſequẽtes veſtigia,exhibete vos tales,quales philoſophiæ amatores, & iuuenes Chriſtianos eſſe decet,hoc vnum Societas vniuerſa quærit,hoc à vobis petit,hoc efflagitat, vt Chriſtianos vos eſſe recordantes, non contenti vano ſapiẽtiæ nomine,omni virtutum genere, rerum magnarum ſciẽtiam cumuletis, ſine quibus nihil ſolidum ſatis atque firmũ,nihil ſalutare eſſe poteſt, hoc Rex Chriſtianiſſimus veſtræ publicæque ſalutis omnium ſtudio incenſus hortatur, hoc cupit atq; expetit, hoc pro immortalibus,quib' vos affecit,beneficiis ſuo quodãmodo iure poſtulat ac requirit, hoc tota orat atque obſecrat Luſitania patria veſtra,quæ vobis longè debet eſſe cariſſima. hoc ipſe Chriſtus ſeruator hominũ ex illa,

in

in qua pepēdit cruce,expoſcit, quo doctrinę ſuæ lucis aliquid,populis ſalutis,Eccleſiæ ornamēti afferatis.Ego totius Societatis nomine id vnū vobis, quod poſſumus, polliceor,omnes nos in veſtris bonis iuuādis, in amplificāda ſciētia literarū, quantâ maximâ poterim⁹ ſedulitate, laboraturos curaturoſq;,vt quod alij doctrinæ magnitudine,ingeniorū felici vbertate, nominis ſui famâ faciebant,id nos labore,diligētiâ, aſſiduitate, curâ, ſtudio efficiamus. Nūc te Pater omnipotēs,qui ab alio nullo manas, téq; Fili Opt.Max.Patri rebus omnibus æqualis,téq; ſanctiſſime Spirit⁹,qui ab vtroque in omni ęternitate procedis,neutri poteſtate,dignitate,majeſtate,aut aliâ re vllâ inferior,te deniq; ſacra, & ab humanis cogitationibus ſecreta Trinitas, vnus Deus, cuius poteſtate ac numine omnia cōtinētur,teq; Filij intacto pudore mater, Patris ſpōſa pudiciſſima, auguſtiſſimū Spirit⁹ ſāncti templū,æterni regni particeps regina& ſocia Maria, vóſque Sancti ac Sanctæ omnes immortales, qui ſplēdidiſſimas arces ſuper cœli orbes incolitis cōſtitutas, quorū omnium cauſſas,vt veſtra gloria manet in dies latiùs atque latiùs, hęc nobis eſt ſuſcepta prouincia oro atque obſecro ferte opē pariter nobis cūctæq; Luſitaniæ iuuentuti,

ſubuenire inopiæ noſtræ;in re tam difficili atque ardua,diuinũ aliquod auxiliũ & numen oſtendite:date nobis eam mentem,vt multis poſſimus quàm maxime prodeſſe adoleſcentibus, qui noſtræ poteſtati permittẽtur,ardẽtem iniicite ſalutaris doctrinæ ediſcẽdæ cupiditatem, nolite eos à vobis ſupplices abſterrere & excludere, quos veſtra præſidia ad audiendum,veſtra multis in rebus cognita perſpectáque libertas, & ad ferendam opem alacritas, ad ſupplicandum ac petendum excitabit.

PETRI IOANNIS PERPINIANI

Laudatio Funebris Ludouici Principis, Ioannis I I I. Luſitaniæ Regis, Germani fratris.

ORATIO II.

FEciſſet vtinam Princeps ille Deus,viri ornatiſſimi,vt vel id nunquam accidiſſet,vt iterum mihi apud vos hodierno die verba facienda eſſent,vel quanto eius permiſſu accidit,vt in hoc ipſo loco tam breui interuallo dicendum ſit, ſic à rebus omnibus paratus accederem , vt illo die , qui fuit

fuit teſtis certiſſimus veſtræ mirificæ erga nos omnes voluntatis, me pro veſtra humanitate acceſſiſſe iudicaſtis. Nã aut ille, de cuius nunc laudibus dicendum eſt, hac iucundiſſimâ luce, nos illius ſuauiſſimo conſpectu frueremur, aut certè, ab eo auulſi & abſtracti, ſi cum luctu & gemitu eſſemus, laudatione tamen officioſa perſoluta, vt eius erga omnes mortales meritis ſingularibus debetur, nonnihil mitigatus animi noſtri dolor leuaretur. ſed contrà omnia, quàm & mihi & vobis optandum erat, eueniſſe video. nam & is nobis ereptus eſt, cuius vita omnibus exornata virtutibus, Luſitaniæ ornamento, rebus multorum priuatis perutilis, publicis perneceſſaria videbatur, & cùm plus afferre debuiſſem, multò minus affero facultatis ad dicendũ. Quæſo, refricate ſuperioris orationis memoriam, eáq; cũ hodierno genere dicendi cõparate: tunc eã rẽ nobis fuiſſe propoſitã intelligetis, quæ ſola per ſe magnitudine ſuâ, & noſtrum animũ ad ornatius orationis genus excitaret, & vos quadam nouitatis erectos delectatione, paratiores redderet ad audiẽdũ, nũc de eiuſmodi re dicendũ eſt, quæ tametſi penè infinitã ſuppeditet orationi noſtræ materiam, tamen recenti acerbiſſimi vulneris memoriâ, omnẽ & mei & veſtri at-

dorem animi ſeſe erigere conantis,tanquã flumine obruat& extinguat,ſumma tũ erat rerũ exſpectatio,ingens omnium ordinum alacritas,ſtudium mirificum,vt etiã debilitata mens ac propè fracta iucundiſſimo taliũ virorũ conſpectu recreari poſſet: nunc omnia cõfecta ſenio,ſqualēt ciuitates vniuerſæ,mœret omnis ætas,atque ſexus,iacēt veſtri animi hac acceptâ inſanabili plagâ atque mortiferâ, vt etiamſi promptiſſimo eſſem animo, tamen oratio ipſa ſqualere quodámodo in tãto luctu, & adſpectũ hominum ac omninò lucem formidare videretur. Quid?nónne illi ipſi parietes,quos eo die periſtromatis,magnificis operibus depictis,adornatos lætari aliquo pacto & geſtire putabamus,nudati nũc& ſpoliati ornamētis omnib. lugere vobis quodãmodo videntur,atque in ſordibus ſqualoréq; verſari?optimo id ſanè iure accidit, viri ornatiſsimi,nihil prorſus mirũ eſt,ablatus enim eſt nõ immaturo illo quidē, ſed, vt hominũ more loquar, inopportuno certè funere Ludouicus princeps, & princeps optimus, quales nõ admodũ multos ſuperiora ſecula viderũt,maximi regis filius, maioris etiã german⁹ frater,eius arcanorũ particeps, ſocius conſiliorũ penè omnium,pulcherrimum pacis ornamētum, ſubſidiũ belli firmiſsi

miſſimum, nobilitatis decus, inferiorũ ordinũ patronus, potentibus propoſitũ exẽplum ad imitandum, tenuibus perfugium atque portus, Chriſtianorum columen, hoſtiũ nominis huius terror, earumq; nationũ, quę in extremas terrarũ relegatæ oras, etiã in tenebris miſerrimè verſantur, procurator ſollicitus, ſcelerum vindex ſeueriſſimus, bonorum omnium & religionis ſtudioſiſsimus defenſor, ac ne ſingula, quæ ſũt infinita, conſecter omnium Gentium, omnium ſeculorum, omnis penè memoriæ facilè princeps. Quod ſi morte conſueuimus noſtrorum æqualium dolere, quorum obitus vel exitium, vel magnum aliquod detrimentũ rebus ipſorum priuatis, nobis verò familiaribúſque ceteris ſolitudinem quandam afferat; profectò impium atque nefarium, & inauditi cuiuſdã ſtuporis exiſtimãdum eſt ab eius diſceſſu nihil, aut parum capere doloris, quo cũ pariter ipſa res publica miſerabili funere elata eſſe videatur. Itaque non equidẽ miror, viri ornatiſſimi, ſic omniũ animos triſti ſilẽtio, & mœſtitiã tacita defixos eſſe in tam graui duroq; caſu, illud ſimile portenti dicerem, ſi que in tãto gemitu cunctarũ ciuitatũ à dolore vacuum viderem. Verùm neſcio quo pacto fiat, vt quãtum illo die ſtudium ve-

ſtrum ſingolare attulit, tantum mihi nunc publicus hic iuſtiſsimúſq; dolor animíque mei ſenſus detrahat ad bene ornatéq; dicendum facultatis , quare cum tanto iniquiore cõditione quàm tum , veniã ad dicendum,videte obſecro, quem vobis animum ſuſcipiendũ puteris.Neq; verò,quòd hæc noſtra tenuitas atque inopia, tã multis incõmodis impedita, ea ornamẽta orationis &lumina nequit adhibere,quę quodam incredibili flumine abundantes oratores ſolent ; idcirco minus vos ſtudij ad hãc cauſſam afferre decet. Soluimus enim officia iuſta ac debita illi Principi , cuius tanta eſt meritorum erga nos magnitudo, vt nullam eorum partem aſſequi nõ modò referenda,ſed ne cogitanda quidẽ gratia poſsimus:vt ipſa vos res,ipſum officiũ, ipſa pietas ſatis excitare debeat & accẽdere.Ille certè fructũ omnis ante actæ vitæ, non maximum illum quidem,ſed qui perpetuò ferè virtutem illuſtrem cõſequi ſoleat, hodierno die cœpit , cùm tam multi laudes eius partim verſibusmandàrũt,partim ſolutâ oratione celebrarũt, tam multi ad inſpiciendum ſtudiosè cõfluxiſtis , declaraſtíſq; non minùs vos nunc,quàm tũ, cùm viueret adhuc & floreret,de eius eſſe dignitate ſollicitos,quod ei quidem meritò

cō atq; optimo iure cōtigit. quis enim eſt illo vel generis, vel naturæ, vel propriis ornamentis ſuis, ac vel illo genere laudis præſtantior? Ego vero ſic ſtatuo, nullū eſſe tam acutum & excellens ingeniū, quod, nō dico præuidere ac cōprehendere, ſed percurrere ac tueri: nullius tantā dicendi vim tantámque copiam, quæ nō dicam augere exornando Principis Ludouici laudes admirabiles & infinitas, ſed percēſere numerando poſsit. Atque illa quidem prætereo, quæ neſcio an in homine maiora vel aliquādo fuerint, vel ſint in omni conſequēti poſteritate temporis futura, quod illi eiuſmodi maiores imprudenti & nihil adhuc cogitanti contigerunt, quib. ſi ex infimo hominum numero deſpicienti iā ſingula, data eſſet, quos mallet, eligendi optio, nec magnitudine animi & fortitudine, nec rebus præclarè geſtis, nec in Deū Opt. Max. pietate illuſtriores habuiſſet, quos illis anteponēdos iudicaret. Nihil de illo inclyto Alphōſo dicā, cuius primùm virtus peperit Luſitanis imperium, cuius ſi ſpectes pietatem animi, ſupplicanti pro victoria Chriſtus ipſe Deus Opt. Max. affixus cruci, viſus eſt, ſi ſtrenuitatem atque virtutem, illo viſo confirmatus, vno tempore, manu perexigua & tenuiſsimis opibus, dimicās cum

quinque Regibus opulentiſſimis, infeſtiſſimis hoſtibus Chriſtiani nominis, ingentes eorum firmiſſimáſque copias, vno fuſas prælio confectáſque deleuit. Mitto incredibiles aliorum regum pugnas. non commemoro immortalē illam Ioannis primi gloriam, qui munitiſſimam illā arcem hoſtium in dorſo Abilæ mōtis celſiſsimi cōſtitutam, induſtriâ & virtute expugnauit, aditúmqne illi Barbariæ ad vniuerſam Hiſpaniam facillimum præcluſit: qui ſi, vt anteà pateret, quæ eſt eorum audacia atque furor, cruoríſque ſitis, inſaturabilis, effūderetur profectò in omnes Hiſpaniæ populos ſæuiſſima belli tempeſtas & procella, nóſque hic in mœnibus atq; tectis, militum multitudine ac telorum obrutos opprimerent. prætermitto principis Henrici propè diuini hominis excelſū, omnibuſq; virtutum ornamentis, & Mathematicorum diſciplinis expolitum animum, qui cœlebs integerimíſque moribus cùm totius ſæpe mundi ſtatum, mēte ac cogitatione intueretur, primus eò ductus eſt, vt ad Indos nauigari poſſe, Africæ littore ſuperato, crederet, & quodam inſtinctu afflatúque diuino, vt exitus ipſe declarauit, Atlāticum Oceanum ingreſſus rem in omni memoria inauditam tentare auſus eſt, multasque feraciſsi

ciſſimas inſulas ignotas anteà, & magná Africæ partem explorauit. taceo fortiſſimű iuſtiſſimúmque Regem Ioannem ſecundum, qui cùm imperium à patre Alphonſo accepiſſet, patrui ſui optimi fortiſſimiq; Principis veſtigia ſecutus, cũctam Æthiopiam, Heſperiam, vniuerſaque Africæ littora vſque ad extremum illud promontorium, quod primùm ſpẽ Indicæ nauigationis iniecit, ſumptibus maximis, ſtudio flagranti peruestigauit. eiuſdem in conficiendis bellis celeritatem nõ expono, qua opulentiſſimos ſæpe terruit exercitus hoſtium, & res labantes atque afflictas diuino propemodum conſilio confirmauit & erexit. omitto & illud belli fulmen Emmanuelem Regem potentiſſimum quo patre natus eſt Ludouicus Princeps, qui breui cùm Africã maximis ornatiſſimiſq; claſſibus, numeroſiſſimiſque copiis obruiſſet, multa oppida, opere munitiſſima, propulſatis hoſtibus, vi cœpit primúſque ſuis, quod maiores fuerãt aggreſſi, aditum ad Indos, victis omnibus ipſius naturæ difficultatibus, ſuperatis vaſtiſſimi Oceani fluctibus, aperuit: cui omnes propè dixerim Luſitanorum opes, omniſque vel nauigandi, vel bellandi gloria debetur, qui cùm terrarum orbem impleſſet nominis ſui fama, non ſolùm armis ſi-

nes imperij, apud barbaras nationes, ſed religionem pariter Chriſtianam propagauit. miſſam facio Ioannis III quem ille fratrē ſortitus erat, magnitudinē & ampliſſimam potentiā, exercitus hoſtium extinctos, depreſſas Turcarum aliasq; claſſes, latiſſimas prouincias bello domitas, eximiā pietatē, clementiā, ſapiētiam, iuſtitiā, ceteraq; imperij ornamenta longè maxima; ſileo Hērici Principis, in quo vno magnoperè nititur reip. Chriſtianæ ſalus, inuſitatā prudētiam, humanitatem, ſplēdorē, ſpectatiſſimā honeſtiſſimæ vitę integritatem, humanarū rerum diſpicientiam, diuinarum ſtudiū ardentiſſimum, & infinita alia, quę ſi me percenſere poſſe putem, fallar prorſus atq; errem. Quæ niſi per ſe tanta eſſe confitear, vt nullius oratione hominis expl cari queāt, non immeritò ſanè vobis parum ſanus videar. Sed de omnibus tamen facilè patiar ſileri, in quibus cùm non à nobis ipſis patiantur, vt vinci turpe non eſt, ſi ornamēta cętera non deſint, ſic excellere cùm adſunt, minùs habetur glorioſum. Nec ſanè iniuriâ, quid enim iniquius aut impudētius cogitari, fingique poteſt, quā ignauos & fœdos homines, & vt vno verbo complectar, nequam niti maiorum gloria atque fama, quam illi virtute, induſtriâ, conſtantiâ, re-

buſque ſtrenuè gerendis adepti ſint? quorũ vitam ſi cum eorum factis, quorum crebrò nomina vſurpant, cõfe re velis, vix credas ex talibus viris naſci tam immania, tam tetra, tam exitialia portenta potuiſſe. Prætermitto igitur ea ornamenta, quæ clariſſimi Principis propria non ſunt, ad ea veniam, quæ ipſe ſibi labore, diligentia, aſſiduitate, ſtudio comparauit, quorum ſplendor tãtus meis oboritur oculis, vt vehementer dubitem, ipſe ne maiorib⁹, an maiores ipſi plus attulerint decoris & ornamenti. Nam quę in illis ſingulis ſingula magna atq; diuina putabãtur, ea vniuerſa in vno hoc ſumma effector ille rerum collocaret, vt nõ ab illis natus, ſed ab ipſo Deo fictus eſſe videretur. Quænam in illorum laudes proferetis inſignia, quæ non ego vel maiora in hoc vel certè paria fuiſſe doceam? An illã Henrici diuini Principis rerũ cœleſtiũ totiúſq; mũdi cognitionem hauſtam ex recõditiſſimis eorum, qui Mathematici vocantur, abditiſſimiſque fontibus? at cùm acre ingenium à natura, & velox, & acutum Ludouicus accepiſſet, non vt ſolent viri nobiles, deguſtarat & attigerat, ſed diligentiſſimorum philoſophorum more, omnem eorũ artem tam multiplicem, tam ſubtilẽ, tam obſcurã ita perſcrutatus animo, ita mente complexus

xus erat, ita mem oriâ ſepſerat, vt multos qui omne vitæ ſuæ tempus in eiſdẽ rebus poſuerunt, ſuperaſſe crederetur. teſtãtur id permulti viri doctiſſimi, quibuſcũ ille conſueuit ab ineunte ætate ſæpe de rebus obſcuriſſimis ac difficillimis, audire viros doctrinâ & ingenio præſtãtes. teſtatur bibliotheca illa refertiſſima libris optimis, ipſiuſque parietes cubiculi, & illa, illa, inquam lucerna, ſocia lucubrationum eius & particeps; libri denique ipſi, quos frequenter ſuis manibus terebat. Quid aliud feciſſe arbitramini Alphonſum illum Regem Hiſpaniæ potentiſſimũ, cuius ſcripta etiam nunc ob inſignem rerum cœleſtium ſcientiam, omnibus hominib. admirationi ſunt? O felicem, ô iterum ac tertiò felicem Principem (te enim iã appello & alloquor, vbi; vbi es) ô te felicem, inquam, cuius animus cõmorans hîc adhuc in terris, inclusus cõrporis compagibus; ſeptus his mẽbris mortalibus & irretitus; tamen euolabat aliquãdo ex ipſo carcere, ſéque liber ad occultiſſimas præſtantiſſimarũ rerum naturas contemplandas erigebat, lùſtrabátque oculis illam immenſorum orbium vaſtitatem, percurrebat ſigna ſideráque ſingula, ſingulas ſtellas tum errantes, tum certis infixas locis, & earũ infinita miracula intuebatur,

& inde parentis omnium atque rectoris magnitudinem & ſapientiam ponderabat. Alij voluptatibus corporũ depreſſam mẽtem attollere nullo modo poterant: tu erecto vultu ſplendorem illum cœli adſpiciebas & aſtrorum, illi in conuiuiis atque intempeſtiuis epulis: tu in altiſſimis domiciliis verſabaris, tu abdit' tectis, defixis oculis aut ſtans, aut ſedẽs figuris deſcriptis intentus, mundum omnem colluſtrabas: illi per vicos per vrbes, per prouincias diſcurrentes, vix minimam perexiguæ terræ partem cognoſcebant. tu elucubrans contendebas magis ac magis vires animi ad ea percipienda, quę velles: illi immoderato victu obruti, ſomnóque oppreſſi ſtertebant. Iam mihi tum præſentire videbaris, non habere te hic habitandi domiciliũ, ſed diuerſoriũ commorandi, & breui ad illam æternitatis lucem, ex his tenebris mortalitatis noſtræ migraturum. O durum & acerbum literarũ caſum, quæ te tantum alumnum tam triſti funere, tam inſperato amiſerunt! ó commutationem repentinam, ô volucrem & inſtabilem rerum humanarum conditionem! Gaudebãt anteà tanto comite & ſocio ſtudiorum ſuorum, ſummo ingenio & diſciplina viri, illa ipſa vetuſtiſſimorũ ſcriptorum eruditionis pleniſſimę volumina, cùm in

in tuas manus venerant, recreati quodam pacto & voluntate quadam perfundi videbãtur. te nũc ſi minùs extincto, certè diuulſo & abſtracto, dolẽt literatiſſimorum hominũ cœtus: mœrent libri, quos tu ſolebas verſare manibus, & antiquum illum, illum ſuum dominum requirunt: lugent radij illi tui exercitationum tuarum conſortes, vel potiùs adminiſtri, quib. tu in erudito puluere ipſas tibi conuerſiones cœleſtium orbium depingebas, & ab aliis tractari ſeſe moleſtè ferunt, ipſa denique aſtra, ipſi cœleſtes globi, ipſæ terræ tanto inſpectore contemplatoréque erepto, mihi diſceſſum tuum flere ploraréque videntur. Magnam ſanè iacturam litteræ fecerunt, viri doctiſſimi, magnam prorſus, neſcio an maiorem vllam aliquando fecerint. Sed nos ad illud reuertamur, vnde quodam abſtracta doloris æſtu, noſtra longiùs aberrauit oratio. Quantum harum diſciplinarũ ſubtilitate præſtiterit, videtis. An illum nihil animi robore, imperatoriâq; arte valuiſſe dicturi eſtis, quibus omnes eius maiores maximoperè floruerũt? O Luſitani nomen imperij, ô multa grauiaque iudicia, quæ de illius ſæpe virtute ſingulari, ſæpe de dimicandi peritia clariſſimi viri atq; principes fecerũt! ô inuictiſſimi Cæſaris inuſitata ſapientia

tia ſyncerumque iudicium, cuius idem animum multorum leuiſſimis ſententiis fluctuantem magis, quàm belli difficultatibus periculisque territum, paucis ſed grauiſſimis verbis confirmauit: te denique appello tempus illud conſcium eius conſilij atque particeps: voſque Pœnorum agri hoſtiléſque manus, teſtes eius fortitudinis in bello, vos etiam tribuni, centuriones, atque milites, qui veſtri ducis tum animi fortitudinem eximiam, tum rei militaris ſcientiá, conſilium, celeritatemque vidiſtis in illa pugna memorabili; cùm incredibili ardore omnique ingenij, animi, vitium contentione Caroli V fortiſſimi Imperatoris auſpiciis, expugnatū eſt illud firmiſſimum propugnaculum Barbarorum hoſtiū, nō manu ſolùm atque opere, ſed etiam naturâ ipſâ loci munitiſſimum; quod illæ belluæ ſanguinariæ noſtris & totius Chriſtiani populi ceruicibus impoſitum arbitrabantur. vos mutuæ Maurorum regiones, & Tingitanorum oræ imploro, voſque ſola terrarum vltimarū, quæ ſæpe huius audito nomine, ſubitâ formidine trepidaſtis. quid vnquam timuiſtis vehementius, aut quid demiſſius deprecata eſtis, quā ne potentiſſimus Rex Luſitaniæ, cuius maximè vos arma perhorreſcitis hunc ſolertiſſimum maximóque animo-

animo Principem, armatum ingentibus copiis munitiſſimiſque claſſibus in veſtra mœnia tectáque immitteret, rebus veſtris peſtē, vitæ ac ſalutis exitium, imperio ruinam atque labem? Quod niſi Deus Opt. Max. cùm hanc ille ſibi prouinciam expetebat, per ſummam maximi regis auctoritatem prohibuiſſet, non dubito quin omnis Luſitania effuſa oppidorum portis atque vrbium proſecutura fuerit ad portum vſque proficiſcentem, partim diſceſſus eius dolore commota, partim ſpe ac lætitiâ victoriæ & tranquillitatis exſultans: vſque in Africam verò, & in medias Barbarorum acies quanta multitudo hominum eum ſecutura fuerit, non eſt obſcurum. Tanta erat de Principis Ludouici fide, virtute, prudētia, omnium hominum opinio; vt eo duce nec patriæ, nec fortunarū, nec vxorum ac liberorum, nec parētum rationem vllam ſibi habendam eſſe ſtatuerent, ac debere bellum otio, laborem quieti, & quæ in ſpe adhuc eſſent, ac incerta viderētur, ea rebus certis atque partis, quas in manibus haberent, quibus frui liceret, anteferri: verùm aliter illi gubernatori Deo, longè, inquam, aliter viſum eſt. cecidit iam illa dextra fortiſſima quæ vniuerſæ Africæ abſens, & Oceano defuncta, grauiſſimum incutiebat

terro

terrorem. occidit illa virtus, occidit ſæuiſſimâ vi morbi profligata atque confecta; iacet incluſa breui ſaxo, cuius fama per terras omnes, per maria longè latéque permanârat. Quid exſultatis ô truces & efferati populi? quid iſta ſibi vult geſtientis animi lætitia tanta, tam inſolita, tam incredibilis? an vos liberatos periculo, expeditos metu, curâ ſolutos arbitramini? extinctus eſt quidem is, cuius exſpectatio frenabat veſanum veſtrum furorem, ferociam, & audaciam intolerabilem reprimebat, frãgebat effrenatos impetus, nefarios conatus retundebat. ſed viuit, viuit adhuc, & viuet Dei beneficio diutiùs opulentiſsimus Rex Ioannes tertius, cuius ille viribus nixus, cuius opibus munitus ornatúſque copiis, tantum vobis iniecerat terrorem. vehementer erratis, ſi vos hac potentiâ, hoc conſilio, hac magitudine animi, his denique opibus impunè per maria volitare poſſe ducitis, & ex iſtis Mauritaniæ latebris erumpentes, in hac Luſitaniæ luce verſari. Quid de eius admirabili conſilio in prouidendo dicam? quod qui in maioribus dicat fuiſſe par, cum eo quidem nõ luctabor magnoperè; certè qui potuerit eſſe maius, non video. diuinitùs aliquo oraculo illum accepiſſe crederes, quidquid conſilij dediſſet. O

vtinam audire nobis licuiſſet crebra illa cũ Rege Ioanne priuatim habita de rebus maximis colloquia: vtinam penetralia illa & penitùs ſecreta tecta, quæ prudentiſſimos eorum ſermones fideliſſimè ſemper cuſtoditos occultârunt, eius nobis poſſent commemorare ſententias! Statueretis profectò nihil illo in hoc genere fieri potuiſſe perfectius. quis grauitatem, cùm ſententiam diceret, admiratus non eſt? quis non ſapientiam dilexit? omnia planè bona, quib. multis atque magnis tota iam diu fruitur Luſitania: omnia, inquam, humanitati, vigilantiæ, prudentiæ Ioannis III. debemus, qui omnium caput extitit atque fons. Sed ille ipſe non indignè feret communicari cum Ludouico fratre laudes ſuas, præſertim cùm non imminuantur illę communicatæ quidquam, quòd ſocium habeat earum & conſortem aliquem, ſed augeantur magis & creſçant, quòd fratrem eiuſmodi habuerit, quem in conſilium ſi adhiberet (nimiũ fortaſſe vobis dicere videbor, ſed tamen dicam verè) vix vnquã errare poſſet. Itaque, quòd reſpublica bene ſanctéque adminiſtratur, quòd floret, quòd in ea vehementiſſimè coluntur ſtudia literarum, quòd in mediis atrociſſimorum bellorum fluctibus non iactamur abripimúrque æſtu, quòd in tanta

per

perturbatione rerum omnium, otio ſummo & tranquillitate fruimur, ceteráque omnia magna ac præclara bona, quæ numerare difficile eſt, non ſibi ſolùm auctori & principi, ſed partim huic nos etiam ſocio conſiliorum ſuorum debere confitetur. Quid cõmemorem, quàm eſſet de eorum populorũ ſalute ſollicitus, quibus vel nõdum religionis Chriſtianæ lux affulſit, vel cùm affulſiſſet iam olim, tamen aut extincta funditus & oppreſſa cupiditatibus, aut fœdiſſimorũ errorum denſiſſimis nubibus ablata eſt: quã ego ſollicitudinem atque curam, ſi in illis ſummâ pietate Regibus, principibus lectiſſimis, ingentem fuiſſe negem, nonne omnibus aliquã ut à ſenſu mentis abſtractus eſſe videar? Et quidem iure optimo, viri doctiſſimi: cùm eos non opum cupiditas, non imperandi impotens effrenatáque libido, ſed immortalis ipſe Deus, & earum Gentium conſeruandarum ſtudium in eam mẽtem impuliſſe videatur, ut impenſis incredibilibus laboribus immenſis, remotiſſimas terrarum oras indagatas patefacerent. Verùm hoc maius quàm in illis, in principe Ludouico eſſe potuit, quòd hic cùm iam maria cuncta & littora pateret, quàm multi populi, quàm potentes ſint, quàm cultu & expoliti ſpecie humanitatis aliquâ, vel

Tenebrosę Barbarorum Mores

quàm barbaris contrà efferatiſq; moribus, quàm cupidi ſuſcipiendæ religionis noſtrę, vel quàm ab eo alieni, cognouerat: illi vel nullâ, vel modicâ certè orbis terrarum exploratâ parte, obſcuriùs multò hæc, & quaſi ex caligine ac tenebris videbant. Iam ſi liberalitatem eius, ſi humanitatem, comitatem, tenuium & afflictorum hominum miſericordiam perſequi velimus, nullum vnquam finę noſtra inueniet oratio. Quando, quod honeſtè ab eo petiuiſſet aliquis, non impetrauit? quem ille egentem, & quæ ad victum ſuppeditarent atque cultum corrogantem, vacuis à munere manibus dimiſit? quod ei verbum durum & probroſum excidit? cui vexato miſerè & iacenti abfuit, cùm ab eo auxilium expetiſſet? Senſerunt tuam munificentiam tui quondam milites, princeps clariſsime (tecum enim nunc loqui libet, ſi qua vox ad te noſtra peruenire poteſt) ſenſerunt, inquam, illi milites, quos tu domum ampliſsimis donis auctos, & opimis hoſtium ſpoliis ditatos dimiſiſti. expertæ ſunt quibus præeras, Eccleſiæ, de quibus decem ſacerdotes, vel certè iam ſacerdotio dedicatos iuuenes, qui aliquid ingenio valerent, in illa Henrici fratris tanquam arce, magnis ſtipendiis alebas, quo perſpectis iis, quæ ad officium ſuum

ſuum pertinerent & cognitis, creditos ſibi à te populos melius & cautius gubernarent. Te deflent inopes alitorem & educatorem ſuum, te viduæ ſuos miſerantes liberos quaſi cognitorem, te tutelam ſuam pupilli deplorantes, ſolitudinem appellant: te impotentes, cuius fidem in ſuis periculis atque præſidium ſenſerant, profluentibus lacrymis gementéſque deſiderant: illi ipſi qui omnium rerum copiis abundantes tui minùs indigere videbantur, tamen tam fideli defenſore bonorum omniũ ablato commouentur, & horum lacrymas aſpicientes, ægrè ſuas continere queunt. Quin etiam quibus imperabas, populi ſeueritatem illam in iudicando tuam interiiſſe dolent. ſic enim acciderat, viri doctiſsimi, vt qui eſſet in omne genus hominum quàm leniſsimus, idem ſe, cùm res poſtularet, ſeueriſsimum in ſceleratos exhiberet Quis inſanos illos ciuiléſque ferociſsimæ gentis motus comprimebat? Ludouici Principis auctoritas. quis factiones partium diſsipabat ad effundendum ciuium ſanguinem conſpirantes atque conflatas? Ludouici Principis auctoritas. quis inimicitiarum fluctus turbulentiſsimos ſedabat? Ludouici Principis auctoritas. Magna mihi eſt memoriandi copia, quæ ab eo ſeue-

rè grauitérq; facta ſunt, ex quibus quod dixi, perſpici facilè ac cognoſci poſſit: verùm nec obſcura hæc ſunt, & temporis anguſtiæ nequaquam orationem patiuntur longiorem. Illud certè mihi verè dicturus eſſe videor, in excellentibus illis ac diuinis hominibus lectiſſimi principis maioribus poteſtatem fuiſſe ampliorem: at iuuandi ſtudium & conſeruandi quamplurimos, atque animaduertendi in improbos ſeueritatem non minorem in hoc atque in illis extitiſſe. Quid illud quod de maioribus nec audiuimus, nec legimus, de hoc ipſi ferè vidimus; quantum eſt? quod cùm natura parè ipſum maximo regi procreaſſet, niſi quòd erat aliquanto natu minor, ſors verò ac conditio eodem feciſſet inferiorè, ita ſemper ei fuit, non tanquam grandiori ſolùm, ſed etiam tanquam Regi morigerus, vt plus apud eum cõditio, quàm ipſa parens natura valere videretur, quæ virtus ſi tam rara eſt, quam ſæpe non ſine noſtro malo experimur, quantus ille ſit exiſtimandus, in quo tantoperè enituit, veſtro iudicio relinquo. Quid quòd ſapientiſſimi Regis iudicio nihil eſt aduerſatus, cùm Africam ſibi optabat, depoſcebátque prouinciam: quòd ſuam ſententiam eius voluntati poſthabendam eſſe duxit: quòd ſe parum, vti æquum erat, illum proſpe

ſpexiſſe plurimũ arbitratus eſt,& cùm ipſius conſilium fortius vulgò putaretur, tamen cognito eius animo, parum vtile aut perniciosum iudicauit, quâ demum laude dignũ, quâ prædicatione, quâ beneuolentiâ videtur? Ego verò hoc vnum eius factũ omnibus ipſius rebus geſtis antepono,& anteponerem,etiamſi omnes totius terrarum orbis partes ſub ditionem Luſitanorum & imperium ſubiectas,victoriis innumeris ac triũphis illuſtraſſet. Nam qui lõgè à domo bellare cuperent, ſuúmque nomen clarum & illuſtre poſteritati tradere; permultos iam vidimus; qui cùm anteà cuperet vehementer; vt alterius morem gereret voluntati; recuſaret; hoc excepto, fortè neminem; & cùm omnes terras debellaſſet, eã vicisſet, quæ complures imperatores ſuperiori memoria vicerunt, nunc feram truculẽtiſſimã, quæ in ipſis maximè dominatur victoribus, virtute ſuperarit. Quæ ſi huius eſſe propria videtis, ſi de nullo ferè alio memoriæ prodita ſunt,dabitis,credo, mihi hanc veniam, vt non minus ornamenti attuliſſe maiorib⁹ ſuis Ludouicum Principem, quàm ab iiſdẽ acceperit,affirmẽ & prædicem. At inſignes illi fuerunt pietate & mirifico Chriſtianæ religionis ſtudio. quid ſi hæc ipſa tanta in hoc fuiſſe demonſtrem,quantę in omnibus

reliquis principibus fuerũt? Teſtes ſunt illi ſecluſi penitùs ædium atq; abditi receſſus, qui hunc ſtatis diei tẽporibus, omnia dicta, cogitata, facta, optatáque ſua iudicio acerrimo, tanquam aliquâ ſtaterâ ponderantem, déque rebus diuinis cum lacrymis ſæpe, ſæpe verò cum incredibili gaudio cogitantem, viderunt. teſtis eſt illa ſacra ædicula, ſepta parietibus domeſticis, vbi octauo quoque die apud ſacerdotem de peccatis ſuis confiteri, & ſacrum Chriſti ſaluatoris corpus accipere ſolebat. teſtis eſt libellus ille, quem verè & grauiter & ſapienter de rerum humanarum deſpicientia cõſcriptum, in ſinu ſemper geſtabat, & ſtudiosè noctes atque dies euoluebat: teſtis eſt etiam amœniſsima illa ripa Tagi, in qua ſacrum domicilium eorum, qui aſperrimam illius magni Franciſci diſciplinam profitentur, collocauit. teſtes omnes eius ſanctiſsimi vitæ generis ſectatores, atque æmuli optimi & integerrimi & religioſiſsimi viri, quos ille per vniuerſam Luſitaniam multùm diu, ſummâ diligentiâ & incredibili ſtudio protexit, quorúmque egeſtatem, maxima ex parte, ſuis alebat & ſuſtentabat ſumptibus, quoſque vt vno verbo dicam, in oculis ferebat. teſtes iam omnes omnium religionum ſigniferi atque duces, omneſ

omnéſque (vt ita dicam) milites, quibus ſæpe ſapientiſsima conſilia, quibus cum ille crebrò ſe ad humiles exercitationes demittebat. teſtes denique ipſæ noctis vmbræ ac circumfuſæ tenebræ, quæ è lecto ſurgentem illum, templum adeuntem cum religioſis viris, Deo, cùm alij quieſcerent, ſupplicantem ſæpenumerò viderunt. Quæ cùm tanta eſſe intelligam in ampliſsimo principe, quanta cuiuſquam hominis mens & cogitatio capere poſsit, tamen taceri omnia, & de memoria deleri, non equidem moleſtè feram. Sit illud infixum modò in veſtris animis, inhæreat penitus in mentibus omnium, immortalitatíque mandetur, quod vnum magnitudine ſuâ, me de rebus aliis dicere cupientem ad ſe reuocat, nec in tot ipſius laudibus tam illuſtribus, tam diuinis diutius, vt par erat, immorari ſinit. Stupet admiratione tantæ rei perculſa mens, oratio ipſa inſolito ſplendore territa, vt eius dignitatem poſsit conſequi, veretur. Dicam tamen vt potero, viri doctiſsimi, vos non ex oratione, ſed ex natura ipſa, rem omnem penditote. quo nomine appellem neſcio, rem vobis proponam, obſecro, diligenter attendite. vbi cognoueritis genus ipſum, non magnoperè credo nomen requiretis. Ludouicus ampliſsima dignitate

princeps, maioribus ortus regibus, at quibus regibus? quibus difficile ſit inuenire pares, potentiſsimi Regis frater, ipſe penè Rex vel bello, vel pace clarus, quem noſtri vnum ex omnibus maximè admirabantur, hoſtes vehementiſſimè pertimeſcebant, quem Cæſar inuictiſſimus Imperator ſibi rerum gerendarum ſocium expetiuerat, abiecit omnia (quemadmodum vulgus hominum appellat) ſuæ dignitatis ornamenta & inſignia, vt ipſe iudicauit, laqueos, ſegetem ac materiam vitiorum, nudauit parietes belluatis tapetibus, & aliis operibus magnificè depictis, abacos argento, ſe denique ipſum elaborato auro, & magnificentiſſimè cælato: dimiſit inutilem turbam puerorum, per vrbem exiguo comitatu ac penè ſolus incedebat: multò ſe eſſe dignius arbitratus eſt, quoad poſſet per illam, quam obtinebat dignitatem, Chriſti ſaluatoris tum ſolitudinem, tum egeſtatem, quàm aliorum profuſam luxuriam atque pompam imitari. O rem magnam & incredibilem, & omnium Gentium literis atque linguis prædicãdam! O factum egregium, & poſt hominum memoriam propè inauditum! Viceras ſuperioribus rebus tuis, heros inclyte, aut, vt quàm modeſtiſsimè dicam, æquaueras omnium hominum laudem

dem atque gloriã, nunc tu quodam modo te maior effectus es, & cùm neminem haberes quem ſuperare poſſes, te ipſe ſuperaſti, nec ſummis contentus rebus, gloriã, quæ augeri nullo modo poſſe videbatur, hoc inſolito, & nouo genere laudis cumulaſti. Multa memini, multa audiui, multa legi: nihil ex omnium ſeculoru memoria tale cognoui. Abiecerunt ſæpe nobiles principesque viri, opes potentiámque maximam, ſpreuerunt imperio Reges, aliquando potentiſſimi, ſeque ad vitæ genus longè hominum iudicio contemptiſſimum contulerunt. At tu priſtinam retinens (quia neceſſe erat) dignitatem, ſuperuacaneas, ac depictas venuſtates voluptatésque, repudiaſti. illi fluxarum rerum tædio id fecerunt, quod omnes ſi faciant, intereant Reſpub. ac ciuitates vniuerſæ, tu id feciſti, quod niſi ceteri ſequantur, ſaluæ illæ & incolumes eſſe nequeant, & florentes illis relictis omninò rebus omnibus, ſubuenerunt iis, qui nihil cùm habeant, tamen aliquid habere cupiunt, tu cùm vitæ tuæ neceſſarias res, ſolùm remouiſti rationē illis vitæ præſcripſiſti atque formam, qui lauta nimis & elegantia & exquiſita conſectãtur, quæ res quanto rariùs accidit, tantò ſanè difficilior quàm illa & pulchrior exiſtimanda eſt. Ob-

ſcurat

Traniit ſcurat atq; obruit cęteras laudes tuas hæc vna laus,&, vt orto ſole, minora lumina noſtri aſpectus aciem effugiunt,ſic illæ vt illuſtriſſimæ ſint,tamen hoc effuſo ſplendore, extenuatur omnium earum lux & euaneſcit. Veniſti nobilitate generis in ampliſſimam Regum familiam,nunc in familiam Chriſti ſupremi Regis adſcriptus es. eras generis claritate ceteris hominibus,nunc in tam præclaro facinore te ipſo videris auguſtior.proximè fraterno iure ad regiã dignitatem accedebas,nunc in principem amicitiæ Dei & gratiæ locum perueniſti, & cùm inſpiciebas ſiderũ curſus & aſtrorùm, mirabaris naturæ vim & pulchretudinem, nec in terris iam,ſed in altiſſimis domiciliis verſari videbaris nunc omnium ora ſũt atque oculi in te vnum conuerſi, ſtupent homines tam inſolito ſpectaculo teque tãquam è cœlo delapſum intuentur,in illis denique feliciſſimis cæli ſedibus ſibi degere videntur, cùm aut de te cogitant aut loquuntur. eſſe verò hoſtibus terrori timorique ab iis,quos ſæpe res paruæ terrent, quàm magnum eſt? ipſa mihi crede,tartara, iſtâ tuâ,quam præ te fers, tenuitate trepidant.ſuſpiciũnt tui fortitudinem illam atq; prudentiam ſummo dignam imperio, Cæſar ipſe diligit te cognitam & expertam:

hanc

hanc verò altitudinem animi deſpicientem omnia vehementer ſunt admirati cœlites, ſummus ille moderator molitórque mundi conſpectam vehementius amauit. Confirmabas cohortando militum animos res duras periculoſáſque ſubire recuſantium: tacendo accendis a rebus iucundis atque gratis auelli reformidantes, atque illos quidem vt à mortalibus, hos vt ab immortalibus hoſtibus victoriam reportent: illos vt arce vel vrbe potirentur, hos vt ouantes in illuſtriſſima mœnia beatorum atque in tẽpla recipiantur. Sed quid ago demens? quid loquor? viuentem illum adhuc & præſentem cernere putabam. O inanes cogitationes hominum! ô ſpem fallacem! ô fruſtrà ſuſceptæ contentiones! ô ludibria infelicis miſeræque vitæ quæ cùm in manibus habere arbitramur, cũ frui poſſe nos quàm diutiſſimè ſperamus, derepentè auolant, & in media lætitia ac voluptate deſerunt hiãtes omnibus ſenſibus & imminentes! Illane humanitas interijt? ille ſplendor extinctus eſt? illa virtus ſuperata? corruit illud columen Luſitaniæ. O rem luctuoſam & acerbam! ô miſerum non huius modò ſed multorum populorum caſum! Quid Pater ſummè paras (dabis enim id dolori meo, vt apud te paulìſper querar) quid, inquam, paras

De ...

Terra ... fluxa

paras ſanctiſſime Pater? aut cur eripi nobis priuarique luce illam auctoritatē, illā gloriam illam ſapientiā paſſus es? an illū ſedibus iſtis beatiſſimis, quam hoc exilio calamitoſo iudicaſti digniorem? an nos indignos, qui talis principis conſpectu & humanitate & ſapientiā frueremur? nunquam profectò, niſi noſtra ſcelera commerita fuiſſent, ad alia grauiſſima vulnera, hoc tantum vulnus adieciſſes, ille quidem beatus iterúmque atque iterum beatus, qui exutus mortalitate noſtra, omnibus bonis affluentē illam immortalitatem adeptus eſt, & quæ moleſtiam afferre poterant, videre deſijt. illā videt ſemperque videbit, quibus perpetuò gaudeat & lætetur, Nos miſeri, nos infelices, qui in hoc exſilio felicti, illius præſidio ſpoliati ſumus, cuius præſentia mala noſtra faciebat leuiora. O nationes exteræ atque barbaræ, ſi intelligeretis quàm ſedulum, quàm ſollicitum, quàm beneuolum fouatorem amiſiſtis, tenebris abditæ certe orto moerore atque luctu conficeremini! O felix aliquando & florens regia prouſ Luſitania, neſcio quam adhibeam dolori tuo medecinā, cum tanta plaga ſit ſuperioribus tuis impoſita vt vix ſanari poſſe videatur! O vos cuiuſque modi viri, quos alebat ille aut iu-

uabat ſuis opibus & erigebat quò nunc cõfugiatis, nihil reliquũ eſſe video. Tu ipſe ô magne moderator imperij Luſitani, cũ multa dictu grauia, perpeſſu aſpera toleraueris æquiſſimo animo, tamẽ hoc acerbo vulnere percuſſus luges, ſat ſcio, ac mœres, nõ tã tuis quàm tuorum malis. Quis id te iure facere negare audeat? Amiſiſti fratem, at quem virum? ſummo conſilio, ſummâ prudentiâ, omnibus rebus ſummis. Quando amiſiſti? quando eius opera tibi maximè erat vſui futura. Tamen ſi officioſam pietatem non eſſe contemnendam putas, relictus eſt tibi Henricus frater non minore ſapiẽtiâ atque cònſilio beneque Deus rebus tuis proſpexit, vt cùm vterque in periculum veniſſet, tamen alter ſolum auferretur, vt & infligeret ſimul vulnus, & ſanaret. Leuet dolorem tuum huius præſentia atque recordatio recreet mœſtum animum diuina liberalitas ac reficiat, denique illa tua ſapientia incredibilis confirmet. Túque ô ſupreme pater atque rex, huius vniuerſitatis gubernator, parce precor mẽtibus ægris atque ſauciis, cohibe vim illam potentiſſimæ dextræ tuæ, ne vexes obſecro populum afflictum ne opprimas iacentẽ aduerſis rebus, ſed erige ſecundis atque excita, vt tibi lætus ſeruiat, tibi exhibeat honorem,

te perpetuò laudet ac prædicet, cuius experiatur leuitatẽ & clementiam.

PETRI IOANNIS PERPINIANI

Laudationis in B. Eliſabetham Luſitaniæ Reginam,

LIBER I.

ORATIO III.

Tres haſce orationes, tribus deinceps annis, ſacro, B. ELIZABETHAE die, Conimbricæ in Luſitania habuit adoleſcens.

QVantam hodierna dies lętitiam atque hic tam frequẽs ſummorũ hominum conuentus factus, non ad obitũ, neq; ad triſtẽ è vita diſceſſum Eliſabethæ ſanctiſsimæ reginæ deplorandum, ſed ad diem natalẽ ac felicem eius introitum in vitam illam beatam & æternã, ſi minus debitis tantæ virtuti laudibus exornandum, certè iuſtis ac neceſſariis officiis proſequendum; nobis omnibus afferre debeat (viri ornatiſſimi) ipſa illa ſacra declarant, quæ hac luce multis

Luſitaniæ

Luſitaniæ partibus,magna cum ceremonia religionéque celebrantur. Quantâ ſapientiâ ac pietate Rex ille omnium literis & monumentis decorandus, quem tanto gemitu ſuperioribus diebus amiſimus, inſtituerit vt ad veterem illam & ſanctiſſimam celebritatem ſacrorum à ſummo Pōtifice precibus ipſius & diligentiâ conſtitutam, hæc alia noua celebritas orationum & carminum accedat,nemo eſt qui non videat, nemo qui non intelligat,quàm copioſos magnóſque fructus ex ea re percipere poſſint omnibus annis nō ſolùm adoleſcentes expertes adhuc magnarum artium ſed etiam ſenes doctrinis omnibus humanitatis expoliti. ſciūt qui de præclaris aliorū factis prædicationes magna hominibus & periculorum incitamenta & laborum eſſe, ſi minus à magiſtro, certè (quod maximum eſt)re atque vſu ipſo didicerunt.Quod ſi,quantum hæc lux, antiquâ ſanctiſſimę reginæ religione conſecrata iucunditatis & delectationis habet, aut quantum Rèx inclytus ad decernendū pietatis attulit & prudentiæ, aut quantæ huiuſce rei vtilitates eſſe poſſunt,tam magnificum ego, támque præclarum genus orationis in me,in vobis verò par meæ facultati ſtudium & audiendi voluntatem eſſe

cognoſcerem, ferrem magno & excelſo animo, viri ornatiſſimi, hoc onus meis primum humeris impoſitum, neque huius aditum loci ueſtrámque frequētiam & grauiſſimum conſpectum mihi magnoperè metuendum putarem. Quanquam non mihi venit in dubium veſter ſingularis animus ad Eliſabethæ reginæ laudes audiendas, & alacritas, quorum eximia religio, & aduerſus cæleſtes omnes amor ac reuerentia, multis in rebus cognita ſæpe atque perſpecta eſt: de ingenio & oratione mea, vt tam multa & egregia facta, tam diuinam vitam & admirabilem, tantam rerum maximarum varietatem animo cōplecti, memoriâ ſepire, verbis explicare poſſim: vt omnia mihi dignare, digna huius autoritate loci, digna hoc animorum ardore, digna veſtris auribus & ſapientiâ, digna denique ſtudio meo ſuppetant, id verò non mediocriter pertimeſco: accedit ad hunc timorē, quē mihi conſcientia meæ tenuitatis attribuit & verborum inopię, hęc æſtiui temporis moleſtia ſumma, quæ noſtros animos erectos & alacres ita debilitat, & frangit, vt etiam ſi vos humanitas veſtra cogat audire, non poſſitis. quò mihi magis prouidendum eſt, qui veſtras mentes in dicendo voluptate aliquâ teneam, ne ſi fortè, huius tanti caloris moleſtia, quaſi nauſea

delect

delectationem audiendi ſuperarit, ante domum proſpectãtes fugam ex his concionis fluctibus exploretis, quàm nos in altũ prouecti remis, orationis noſtræ vela pandamus. quod niſi tantis incommodis magnitudo rerum ab Eliſabetha regina geſtarum, & eius vitæ ſummus ſplendor ſubueniret, cederem ex hoc loco, viri ornatiſſimi, neq; in cœtu doctiſſimorum hominum, atque in tanto vtriuſque Academiæ ſplendore, locum vllum orationi meæ fractæ & debilitatæ eſſe iudicarem: ſed laudanda eſt regina Luſitaniæ, & ea regina, quæ in numerum recepta Sanctorum, neſcias, vtrum ſocietate multarum rerum plus in animis hominum excitet beneuolentiæ, an morum ſanctimonia ſingularibúſque factis, admirationis. Quæ nulla quidem bella fortiter geſſit, ſed multa Chriſtianorum regum, & principũ inteſtina ſapientiſſimè reſtinxit: non armata in campo atque acie verſata eſt, vt de multis fæminis ſtultæ fabulæ poetarum prodiderunt, ſed inermis obiecit ſe militũ telis & furori, & inmedia arma penetrauit, vt vel ſua morte dirimeret infeſtas acies & obſtrueret ſuo corpore hinc filio iuueniliter effereueſcenti ad patrem, hinc regi nimis iracundè reſiſtenti ad filium aditum, & vtriuſque tela à cæde

Magnitudo rei

cauſa pace

miſera & luctuoſa contineret: non ferro vitam & ſpiritum multis hoſtibus eripuit, ſed incredibili animi robore, ſuam ipſa ſæpe contempſit, vt multorum ſalutem poſſet conſeruare. Quæ vt illis parua & contemnenda videantur, qui nihil magnum, nihil illuſtre putant, nihil memorabile quod non ferro atque tumultu geſtum ſit, & ſi quid manſuetè, ſi quid moderatè, ſi quid iuſtè, ſi quid ſapienter factum eſt, pro nihilo ducunt, ſolas virtutes militares admirantur, apud vos certè, viri ornatiſſimi, plurimum valere debent, in quorum incredibilem ſapientiam hic tantus error cadere nullo modo poteſt, vt virtutum magnitudinem & dignitatem, ex armorum & tormentorũ ſtrepitu, atque ex furore militari ponderetis. Quod ſi vos etiam in eam eſtis adducti ſẽtentiam, vt nihil eſſe præclarum exiſtimetis niſi quod obſtrepi clamore militum videatur & tubarum ſono, exacuite atque cõtendite mihi paulliſper mẽtis aciem, & eorum hoſtium vim & naturam intuemini, quos illa ſine ferro profligauit atque confecit: ſic credo ſtatuetis omnia iſta bella grauiſſima, quæ magni reges & imperatores, & potentiſſimi populi geſſerunt ludum eſſe atque iocum, illud vnum eſſe difficile periculoſumque bellum, quod Eliſabethæ

regi

reginæ, quod Petris, quod Paulis, quod ceteris, non fide ſolùm, ſed etiam vitâ Chriſtianis, cum rerum humanarum inconſtãtia & varietate, cũ effrenatis cupiditatibus, cum acerrimis ducibus atque ſigniferis hoſtium humani generis atrociſſimum fuit atque diuturnum: non enim ſolùm cum Barbaris, ferocibúſq; gentibus res erat, ſed cum illo teterrimo dracone, cuius infinita ſitis hominum ſtragibus inſaturabiliter expletur, cuius furori nullæ vires, niſi diuinis confirmatæ præſidiis reſiſtere poſſunt, cuius calliditati verſutiſque fraudibus, nullius hominis, niſi diuina lux accedat, ſapientia par & conſilium inuenitur, & cum illa crudeliſſima bellua, quam ne illi quidẽ vnquam ſuperare potuerũt, qui ſuis armis orbem terrarum omnium ſub ditionem poteſtatemque ſuam ſubiecerũt. Ac corpus quidem nudum atque inerme, ſed animum tamen cœleſtibus armis cuiuſque modi gerebant armatum, & cùm victi proſtratíque eſſe videbãtur, tum ipſi victores triumphum de profligatis hoſtibus agebant, vibrabant tanquam acutiſſimos quoſdam diuinæ doctrinæ gladios, vt clypeum, ſic fidem hoſtium telis opponebant, Chriſti memoriâ fiduciâque quaſi galeâ muniti erant, fulgebat lara & inſignis lorica iuſtitiæ dictorũ factorũq;

conſtantiâ, & veritate nõ aliter, ac baltheo cingebantur: ſtabant & manebant in quadam quaſi precationum aſſiduarum vigilia, neque vſquam diſcedebant, neque oculos à ſua ceterorúmque ſalute deiiciebant. itaq; diabolo terrorem incutiebant, excitabant exemplo fortitudinis ſocios commilitoneſque ſuos, propagabant religionis fines, rapiebant in ſummam admirationem reges & tyrãnos, angelis atque ipſi Deo pulcherrimum ac iucundiciſſimum ſpectaculũ præbebant. in hoc bello quàm ſtrenuè beata Eliſabetha rem geſſerit, quæ facinora ediderit, quas victorias reportarit, quid me attinet hoc loco dicere? vos ipſi, viri ornatiſſimi, ex iis quæ dicemus, facilè perſpicietis. Mihi verò in tanta rerum præſtantiſſimarum luce, in tam incredibili copia egregiè factorum, in hac pulchritudine virtutum excellentium, verendum non eſt, ne vel infantiæ meæ ad dicendũ oratio, vel animus vobis & ſtudiũ deeſſe videatur ad audiẽdũ, Sentio hanc primã ingreſſionem meam, à communi more dicendi abhorrentẽ, non è Rhetorũ officinis & artibus ductam, ſed ex intimis religionis Chriſtianæ theſauris, atque è S. Pauli ſententiis repetitam, nonnihil vobis admirationis attuliſſe. Deſinite deſinite mirari, viri ornatiſſimi, hoc celebri

tas hodierna poſtulat, hoc animi veſtri pietas requirit, hoc cauſſæ magnitudo & ſplẽdor efflagitat. Nouus & ante hũc diem inuſitatus cõuentus, nouum auditorum genus, noua res, non peruagatam illam atque contritam, ſed nouam quandam & inauditam dicendi rationem deſiderat. Faceſſant hinc oratorum diſputationes atque doctrinæ, ſileant præcepta ſophiſtarum, laudationũ veteres & in ſcholis decantatæ leges deleãtur; dominentur illæ quidem in rebus humanis efferendis: iaceant in iis, quæ diuinitùs à ſanctiſſimis viris geſta ſunt, commemorandis; valeant in concione multitudinis imperitæ, in prudentiſſimorum hominum cœtu repudientur: quid enim illæ iubent? commẽdari patriam, exornari genus, augeri oratione opes; amplificari diuitias, commemorari ſtaturam corporis & vires, laudari præſtantiam dignitatémque formæ, illuſtrari celeritatẽ ingenij, memoriæ vim, mentis diuinitatem; nihil prætermitti volunt, quod vel à fortuna, vt vulgus hominũ loquitur, vel à natura donatum eſſe videatur. At iſta & apud eos cõmemorare, qui nihil eſſe facienda iudicãt propter ſapientiã, ſtultitiæ non ferendæ, & in eorum laude ponere, qui propter virtutem, & altitudinem animi cõtempſerunt, aut etiam abiecerunt; ſingula-

laris cuiuſdam amentiæ putandũ eſt. Equidem ſemper illam eloquentiſſimi hominis Lucij Craſſi vocem ſapientiſſimam exiſtimaui, qui cenſor, audiente populo Romano, dicere non dubitauit, quæ non eſſent in noſtra manu poſita, iis ſe inferiorem eſſe, quàm alios, non magnoperè dolere; quatũ rerum poteſtas omnis in nobis ſita eſſet, & quæ hominum ſtudio, induſtriâ, labore cõparentur, in iis ſuperari ſe à quodam & vinci, nullo modo poſſe æquo animo pati: in illis multos habere ſuperiores non turpe ducebat; in his non omnibus antecellere, aut certè parem eſſe, ſummum flagitium arbitrabatur. Quod ſi ſuperſtitionib. innumeris implicati homines, quibus diuina lux nondum erat oborta veritatis, hoc modo fuerunt animati, vt iſtarum rerum abundantiam nullo modo numerarẽt: nos Chriſti Opt. Max. diſcipuli, alumni veritatis, quibus diuinæ naturę ſplendor affulſit, quo tandem animo eſſe debemus? commendent alij feracitatem Aragoniæ tuæ patriæ, æquatas agrorum planities depingant, altitudinem montium, fluuiorum opportunitates, oppidorum frequentiam, Cæſarauguſtæ celebritatem & copias; colligant res à maiorib. tuis bello geſtas, opum maximarum potentiam, fortunæ abundantiam, formæ

venuſtatem ; ceteras omnes res huiuſce generis acumulent; ethnicorum hominū, aut, vt verius dicam, ne ethnicorum quidē, ſed ſtultorum eſt iſta laudatio. Ego verò, ſanctiſſima regina, non quòd in Aragonia nata es, omnium rerum copiis affluente, felicem te ac beatam prædico, ſed quòd in illam cœli regionem, omnium hominum parentem perueniſti: non quòd in iiſdem locis ſanctus antè Laurentius ille ſummi animi martyr, in iiſdem ſanctus Vincentius egregiâ conſtaniâ iuuenis, & incredibili animi robore ſeptus, in iiſdē alij permulti religione & acerbiſſimorum cruciatuum patientiâ inſignes extiterunt; non denique quòd omnes olim Cæſarauguſtæ anguli, ſanctiſſimorum hominum ſanguine redundarunt; ſed quòd eadem fuit tuæ rationis regio atque via, & maximorum virorum ſectam & inſtituta fœmina perſecuta es: niſi quod illi: à quibus cruciarentur, habuerunt; tu eodem fine corporis cruciatu perueniſti, quò illi, ſummis doloribus perferēdis, peruenerunt: non quòd Aragoniæ, Vngariæque regum generoſâ & antiquâ ſtirpe orta, ſed quòd in illud ſacrum & illuſtre beatorum animorum concilium, cœtumq; aduocata, & recepta es: non quòd auus tuus Iacobus Aragoniæ rex multis egregiiſque

laudibus percelebratus, Maurorum fregit audaciam & furorem, Baleares inſulas recepit, Valentiam totumque regnum illud recuperauit, & tãtam eorum rebus plagam impoſuit, quantam illi nullis vnquam remediis ſanare potuerunt: nec quòd eius filius hæreſque regni Petrus pater tuus, eas res geſſit armatus, de quibus vſque in extremas oras Luſitaniæ fama permanauit, ſed quòd in alio pugnæ genere longè diſſimili & armorũ, eorum famam & facinora præclara ſuperaſti, ad extremum nõ quòd ipſe ille auus tuus eam adhibuit erga Deum reuerentiam & pietatem, vt S. Mariæ Virginis, matriſque Chriſti ſeruatoris colloquiis, in hac cuſtodia corporis incluſus, ſit dignus iudicatus; nec quòd magna illa matertera tua Eliſabetha, regis Vngariæ filia, vitæ integritate, bonitate, beneficentiâ, non ſolùm ab illo rerum parente Deo maxima præmia ſed etiã laudem ab omnibus gentibus ſingularem & gloriam adepta eſt, ſed quòd facta eorũ virtutis æmula alterã ſanctitate viciſſe, alterã ipſius veſtigiis videris conſecuta: opibus potens, verùm comitate & facilitate clarior, floiẽs diuitiis, ſed omnium virtutum iucundiſſimis floribus inſignior: facie liberali & honeſtâ; ſed probitate & verecundiâ virginali pulchrior, omnibus

nibus rebus nobilis,ſed propriis ornamẽtis & tuis te ipſa nobilior:de quibus dum verba facio, peto à vobis & precor, viri ornatiſſimi,vt aures mihi veſtras patiẽtes & attentas accommodetis.ſic enim exiſtimate, vos de virtutibus diuinis,de rebus maximè prædicabilibus & admirandis,de factis non modò noſtris, verùm etiam omnibus ſeculis inuſitatis, audituros. Ego ne ſim moleſtus nobiliſſimæ concioni,ea tantùm attingam,quæ vel ante nuptias, vel nupta fecit: reliquum omne tẽpus integrum illis reſeruabo, qui poſt me proximis annis ſunt de laudibus eius verba facturi. Atque vt quibus gradibus olim eius ætas ad ſumma virtutis & officij perfectionẽ aſcendit, iiſdem nunc oratio noſtra creſcat,& vos,principiis cognitis,reliqua faciliùs intelligatis. Quod maximis viris accidit, qui aliquo genere laudis floruerunt, vt inſolita & noua ratio naſcendi futurã eorum gloriam & nobilitaté oſtenderet, id Eliſabethæ reginæ nõ defuit, quæ princeps in omni genere veræ ſolidæq; laudis erat futura. Mẽbrana quadã inuoluta nata eſt,non caput,nõ os,aut oculi,non manus,non pedes, non reliquæ partes corporis, veſtigia tantùm quędã earum apparebant,quæ cùm diuiſa atque diſrupta eſſet, exſtitit ex illa inuolucri & integu-

menti

menti quaſi cuſtodia ſacra illa puellula, quæ magnum patriis auitiſque regnis, & vniuerſæ Luſitaniæ decus atque lumen erat allatura: hinc ad diuinum fontem baptiſmatis defertur, aquâ ſalutari tingitur, nomen imponitur Eliſabethæ. Fuerat per id temporis Eliſabetha regis Vngariæ filia, matertera Petri regis Aragoniæ, huiuſce diuinæ puellæ patris, cuius religionẽ eximiã & pietatẽ, integritatem, rerum humanarum deſpiciẽtiam, cœleſtium ſtudium & amorem, clementiam, benignitatem, ceteráq; pulcherrima virtutũ ornamenta, teſtantur illæ ſolẽnes precationes atque ceremoniæ, quæ ante diem duodecimum Kalen. Nouemb. ſunt ad eius laudem celebrandam inſtitutæ, huius ſanctiſſimæ fœminæ nomen parentes & auus Iacobus, recẽs natam puellulã habere voluerunt, humano quodam forcaſſe ſenſu propinquitatis & cognationis adducti, ſed recondita & abſtructa Dei ſapientia iam tum id agebat & moliebatur, vt cuius erat adulta conſecutura virtutem, probitatem, ſanctitatem, eius etiam nomen, in illa ineuntis ætatis imbecillitate, ſortiretur. Etenim, qui reluctantibus propinquis omnibus, multò antè perfecit, nec nomen aliud, quàm conſtitutum eſſet, D. Ioãni tribueretur, idem, Petrum & Conſtantiã puellæ paren

centes, & Iacobum auum in eam impuliſſe mentem, putandus eſt; vt illud nomē ei faceret, quod eius mores deceret, & maximè futuræ magnitudini virtutis atque laudis conueniret. Vix Eliſabetha primæ illi⁹ ætatis crepūdia depoſuerat, cūm Iacobus auus, non minore vitæ rectæ laude, quàm potētiâ rex domum abductam, vnam ex omnibus Petri liberis apud ſe voluit eſſe, ibi quantâ educata diligentiâ, quibus moribus imbuta, quibus verbis, ſententiis, opinionibus, ad regionem Chriſtianam & honeſtatem informata ſit, vt ipſe non dicam, vos ipſi, viri ornatiſſimi aſſequi poteſtis coniecturâ. Nam neque ab impio aliquo & improbo, niſi impiè & improbè, neque à tam diuino homine, qui res maximas cœleſtibus magis auxiliis, quàm humanis opib. geſſerat, cuius pietatem erga Deū, erga ſuos māſuetudinem & clementiam admiratæ gētes, eum tanquam è cœlo delapſum hominē intuebātur, cuius ſalutem exercitus ipſi cæleſtes, formidine hoſtibus immiſſa, tuebantur, niſi diuinè inſtitui atque erudiri potuiſſe credēdum eſt. quod ſi tantā vim educationis atq; illius inſtitutionis puerilis eſſe cognouim⁹, vt etiam vitia quædam corporis magiſtrorum, diſcipuli multi expreſſiſſe memorentur, quantam Eliſabetha virtutem imitando

miſera & luctuoſa contineret: non ferro vitam & ſpiritum multis hoſtibus eripuit, ſed incredibili animi robore, ſuam ipſa ſæpe contempſit, vt multorum ſalutem poſſet conſeruare. Quæ vt illis parua & contemnenda videantur, qui nihil magnum, nihil illuſtre putant, nihil memorabile quod non ferro atque tumultu geſtum ſit, & ſi quid manſuetè, ſi quid moderatè, ſi quid iuſtè, ſi quid ſapienter factum eſt, pro nihilo ducunt, ſolas virtutes militares admirantur, apud vos certè, viri ornatiſſimi, plurimum valere debent, in quorum incredibilem ſapientiam hic tantus error cadere nullo modo poteſt, vt virtutum magnitudinem & dignitatem, ex amorum & tormentorū ſtrepitu, atque ex furore militari ponderetis. Quod ſi vos etiam in eam eſtis adducti ſententiam, vt nihil eſſe præclarum exiſtimetis niſi quod obſtrepi clamore militum videatur & tubarum ſono, exacuite atque cōtendite mihi pauliſper mētis aciem, & eorum hoſtium vim & naturam intuemini, quos illa ſine ferro profligauit atque confecit: ſic credo ſtatuetis omnia iſta bella grauiſſima, quæ magni reges & imperatores, & potentiſſimi populi geſſerunt ludum eſſe atque iocum, illud vnum eſſe difficile periculoſumque bellum, quod Eliſabethæ

regi

reginæ, quod Petris, quod Paulis, quod ceteris, non fide ſolùm, ſed etiam vitâ Chriſtianis, cum rerum humanarum inconſtãtia & varietate, cũ effrenatis cupiditatibus, cum acerrimis ducibus atque ſigniferis hoſtium humani generis atrociſſimum fuit atque diuturnum: non enim ſolùm cum Barbaris, ferocibúſq; gentibus res erat, ſed cum illo teterrimo dracone, cuius infinita ſitis hominum ſtragibus inſaturabiliter expletur, cuius furori nullæ vires, niſi diuinis confirmatæ præſidiis reſiſtere poſſunt, cuius calliditati verſutiſque fraudibus, nullius hominis, niſi diuina lux accedat, ſapientia par & conſilium inuenitur, & cum illa crudeliſſima bellua, quam ne illi quidẽ vnquam ſuperare potuerũt, qui ſuis armis orbem terrarum omnium ſub ditionem poteſtatémque ſuam ſubiecerũt. Ac corpus quidem nudum atque inerme, ſed animum tamen cœleſtibus armis cuiuſque modi gerebant armatum, & cùm victi proſtratique eſſe videbãtur, tum ipſi victores triumphum de profligatis hoſtibus agebant, vibrabant tanquam acutiſſimos quoſdam diuinæ doctrinæ gladios, vt clypeum, ſic fidem hoſtium telis opponebant, Chriſti memoriâ fiduciâque quaſi galeâ muniti erant, fulgebat lata & inſignis lorica iuſtitiæ dictorũ factorũq;

conſtantiâ,& veritate nō aliter, ac baltheo cingebantur: ſtabant & manebant in quadam quaſi precationum aſſiduarum vigilia, neque vſquam diſcedebant,neque oculos à ſua ceterorúmque ſalute deiiciebant. itaq; diabolo terrorem incutiebant, excitabant exemplo fortitudinis ſocios commilitoneſque ſuos,propagabant religionis fines, rapiebant in ſummam admirationem reges & tyrānos,angelis atque ipſi Deo pulcherrimum ac iucundiciſſimum ſpectaculū præbebant. in hoc bello quàm ſtrenuè beata Eliſabetha rem geſſerit, quæ facinora ediderit,quas victorias reportarit, quid me attinet hoc loco dicere? vos ipſi, viri ornatiſſimi,ex iis quæ dicemus, facilè perſpicietis. Mihi verò in tanta rerum præſtantiſſimarum luce, in tam incredibili copia egregiè factorum, in hac pulchritudine virtutum excellentium, verendum non eſt, ne vel infantiæ meæ ad dicendū oratio, vel animus vobis & ſtudiū deeſſe videatur ad audiēdū, Sentio hanc primā ingreſſionem meam, à communi more dicendi abhorrentē, non è Rhetorū officinis & artibus ductam,ſed ex intimis religionis Chriſtianæ theſauris, atque è S.Pauli ſententiis repetitam, nonnihil vobis admirationis attuliſſe. Deſinite deſinite mirari,viri ornatiſſimi, hoc celebri

tas hodierna poſtulat, hoc animi veſtri pietas requirit, hoc cauſſæ magnitudo & ſplẽdor efflagitat. Nouus & ante hũc diem inuſitatus cõuentus, nouum auditorum genus, noua res, non peruagatam illam atque contritam, ſed nouam quandam & inauditam dicendi rationem deſiderat. Faceſſant hinc oratorum diſputationes atque doctrinæ, ſileant præcepta ſophiſtarum, laudationum veteres & in ſcholis decantatæ leges deleãtur; dominentur illæ quidem in rebus humanis efferendis: iaceant in iis, quæ diuinitùs à ſanctiſſimis viris geſta ſunt, commemorandis; valeant in concione multitudinis imperitæ, in prudentiſſimorum hominum cœtu repudientur: quid enim illæ iubent? commẽdari patriam, exornari genus, augeri oratione opes, amplificari diuitias, commemorari ſtaturam corporis & vires, laudari præſtantiam dignitatemque formæ, illuſtrari celeritatẽ ingenij, memoriæ vim, mentis diuinitatem; nihil præteriri volunt, quod vel à fortuna, vt vulgꝰ hominũ loquitur, vel à natura donatum eſſe videatur. At iſta & apud eos cõmemorare, qui nihil eſſe facienda iudicãt propter ſapientiã, ſtultitiæ non ferendæ, & in eorum laude ponere, qui propter virtutem, & altitudinem animi cõtemplexerunt, aut etiam abiecerunt, ſingu-

laris cuiuſdam amentiæ putandū eſt. Equidem ſemper illam eloquentiſſimi hominis Lucij Craſſi vocem ſapientiſſimam exiſtimaui, qui cenſor, audiente populo Romano, dicere non dubitauit, quæ non eſſent in noſtra manu poſita, iis ſe inferiorem eſſe, quàm alios, non magnoperè dolere; quatū rerum poteſtas omnis, in nobis ſita eſſet, & quæ hominum ſtudio, induſtriâ, labore cōparentur, in iis ſuperari ſe à quodam & vinci, nullo modo poſſe æquo animo pati: in illis multos habere ſuperiores non turpe ducebat; in his non omnibus antecellere, aut certè parem eſſe, ſummum flagitium arbitrabatur. Quod ſi ſuperſtitionib. innumeris implicati homines, quibus diuina lux nondum erat oborta veritatis, hoc modo fuerunt animati, vt iſtarum rerum abundantiam nullo modo numerarēt: nos Chriſti Opt. Max. diſcipuli, alumni veritatis, quibus diuinæ naturę ſplendor affulſit, quo tandem animo eſſe debemus? commendent alij feracitatem Aragoniæ tuæ patriæ, æquatas agrorum planities depingant, altitudinem montium, fluuiorum opportunitates, oppidorum frequentiam, Cæſarauguſtæ celebritatem & copias; colligant res à maiorib. tuis bello geſtas, opum maximarum potentiam, fortunæ abundantiam, formæ

venuſtatem; ceteras omnes res huiuſce generis acumulent; ethnicorum hominũ, aut, vt verius dicam, ne ethnicorum quidẽ, ſed ſtultorum eſt iſta laudatio. Ego verò, ſanctiſſima regina, non quòd in Aragonia nata es, omnium rerum copiis affluente, felicem te ac beatam prædico, ſed quòd in illam cœli regionem, omnium hominum parentem perueniſti: non quòd in iiſdem locis ſanctus antè Laurentius ille ſummi animi martyr, in iiſdem ſanctus Vincentius egregiâ conſtaniâ iuuenis, & incredibili animi robore ſeptus, in iisdẽ alij permulti religione & acerbiſſimorum cruciatuum patientiâ inſignes extiterunt; non denique quòd omnes, olim Cæſarauguſtæ anguli, ſanctiſſimorum hominum ſanguine redundarunt; ſed quòd eadem fuit tuæ rationis regio atque via, & maximorum virorum ſectam & inſtituta fœmina perſecuta es: niſi quod illi: à quibus cruciarentur, habuerunt; tu eodem ſine corporis cruciatu perueniſti, quò illi, ſummis doloribus perferẽdis, peruenerunt: non quòd Aragoniæ, Vngariæque regum generoſâ & antiquâ ſtirpe orta, ſed quòd in illud ſacrum & illuſtre beatorum animorum concilium, cœtumq; aduocata, & recepta es: non quòd auus tuus Iacobus Aragoniæ rex multis egregiiſque

laudibus percelebratus, Maurorum fregit audaciam & furorem; Baleares inſulas recepit, Valentiam totumque regnum illud recuperauit, & tãtam eorum rebus plagam impoſuit, quantam illi nullis vnquam remediis ſanare potuerunt: nec quòd eius filius hæreſque regni Petrus pater tuus, eas res geſſit armatus, de quibus vſque in extremas oras Luſitaniæ fama permanauit, ſed quòd in alio pugnæ genere longè diſſimili & armorũ, eorum famam & facinora præclara ſuperaſti, ad extremum nõ quòd ipſe ille auus tuus eam adhibuit erga Deum reuerentiam & pietatem, vt S. Mariæ Virginis, matriſque Chriſti ſeruatoris colloquiis, in hac cuſtodia corporis incluſus, ſit dignus iudicatus; nec quòd magna illa matertera tua Eliſabetha, regis Vngariæ filia, vitæ integritate, bonitate, beneficentiâ, non ſolùm ab illo rerum parente Deo maxima præmia ſed etiã laudem ab omnibus gentibus ſingularem & gloriam adepta eſt, ſed quòd facta eorũ virtutis æmula alterã ſanctitate viciſſe, alterã ipſius veſtigiis videris conſecuta: opibus potens, verùm comitate & facilitate clarior, florẽs diuitiis, ſed omnium virtutum iucundiſſimis floribus inſignior: facie liberali & honeſtâ, ſed probitate & verecundiâ virginali pulchrior, omnibus

nibus rebus nobilis, ſed propriis ornamētis & tuis te ipſa nobilior: de quibus dum verba facio, peto à vobis & precor, viri ornatiſſimi, vt aures mihi veſtras patiētes & attentas accommodetis. ſic enim exiſtimate, vos de virtutibus diuinis, de rebus maximè prædicabilibus & admirandis, de factis non modò noſtris, verùm etiam omnibus ſeculis inuſitatis, audituros. Ego ne ſim moleſtus nobiliſſimæ concioni, ea tantùm attingam, quæ vel ante nuptias, vel nupta fecit: reliquum omne tēpus integrum illis reſeruabo, qui poſt me proximis annis ſunt de laudibus eius verba facturi. Atque vt quibus gradibus olim eius ætas ad ſumma virtutis & officij perfectionē aſcendit, iiſdem nunc oratio noſtra creſcat, & vos, principiis cognitis, reliqua faciliùs intelligatis. Quod maximis viris accidit, qui aliquo genere laudis floruerunt; vt inſolita & noua ratio naſcendi futurā eorum gloriam & nobilitatē oſtenderet, id Eliſabethæ reginæ non defuit, quæ princeps in omni genere veræ ſolidæq; laudis erat futura. Mēbrana quadā inuoluta nata eſt, non caput, nō os, aut oculi, non manus, non pedes, non reliquæ partes corporis, veſtigia tàntùm quędā earum apparebant, quæ cùm diuiſa atque diſrupta eſſet, exſtitit ex illa inuolucri & integumenti

rentes,& Iacobum auum in eam impuliſſe mentem,putandus eſt'; vt illud nomẽ ei faceret,quod eius mores deceret, & maximè futuræ magnitudini virtutis atque laudis conueniret. Vix Eliſabetha primæ illi9 ætatis crepũdia depoſuerat, cùm Iacobus auus, non minore vitæ rectæ laude,quàm potẽtiâ rex domum abductam, vnam ex omnibus Petri liberis apud ſe voluit eſſe, ibi quantâ educata diligentiâ, quibus moribus imbuta,quibus verbis, ſententiis, opinionibus, ad regionem Chriſtianam & honeſtatem informata ſit,vt ipſe non dicam,vos ipſi,viri ornatiſſimi aſſequi poteſtis coniecturâ. Nam neque ab impio aliquo & improbo, niſi impiè & improbè, neque à tam diuino homine,qui res maximas cœleſtibus magis auxiliis, quàm humanis opib.geſſerat, cuius pietatem erga Deũ, erga ſuos mãſuetudinem & clementiam admiratæ gẽtes,eum tanquam è cœlo delapſum hominẽ intuebãtur,cuius ſalutem exercitus ipſi cæleſtes, formidine hoſtibus immiſſa,tuebantur,niſi diuinè inſtitui atque erudiri potuiſſe credẽdum eſt.quod ſi tantã vim educationis atq; illius inſtitutionis puerilis eſſe cognouim9, vt etiam vitia quædam corporis magiſtrorum,diſcipuli multi expreſſiſſe memorentur,quantam Eliſabetha virtutem imitan-
do

do conſecuta ſit, quæ nihil vnquam viderit in illo tam excellenti viro, niſi magnum, niſi laudabile, niſi diuinum, etiam ſi ego ſileam, res ipſas quodam modo tacita loquitur & clamat. Sanctum illum Athanaſium acerrimum noſtræ religionis propugnatorem, memoriæ proditum eſt, cùm eruditus eſſet ab Alexandro ſanctiſſimo epiſcopo, cuius animus & ſingularis virtus & ſapientia in illa grauiſſima cum Arianis & difficillima contentione vehementer enituit, ſic illum in omni vita magiſtri ardorem effinxiſſe, vt nullis minis vnquam, nullis laboribus, nullis periculis, nullis inſidiis potuerit à defendenda veritate deterreri. Sic Eliſabetha in clariſſima ſanctiſſimæ diſciplinæ luce ab ætatis initio verſata, nullâ malorum morum, nullâ errorum prauitate corrupta, ita religionem & ſanctitatem aui præſtãtiſſimi regis aſſecuta eſt, vt eam homines cùm viderent, non ſe neptem videre, ſed quandam eius effigiem; non hominum manibus, ſed imitationis ardore; non ſtatuariorũ ingenio & artificio, ſed ſtudio ipſius & diligentiâ expreſſam arbitrarẽtur. eminebat iam tum atque apparebat in illis teneris annis, maior quædam ad virtutem indoles & ipſi illi ſimplices mores illius ætatis iam ſatis ſignificabant quæ ſanctitatis

eſſet

eſſet futura maturitas, & ſpem magnã omnibus ſummæ ſapientiæ, ſummæ probitatis afferebant. mirabantur tantam grauitatem & prudentiam, tantum rerum omnium modum prædicabant, facilitatem & modeſtiã, & omnes iuuandi ac ſubleuandi ſtudium, incredibili beneuolentiâ complectebãtur: apud regem quidem Iacobum propter exſpectationem, quam de ſe ſummam cõcitarat, tanto in amore erat, quantus indulgentiſſimi aui, ſimul & integerrimi erga neptem ſuauiſſimis amabiliſſimiſque moribus eſſe potuit, tanto vero in honore ac pretio, vt quodam quaſi rerum futurarum augurio ſæpe dicere ſoleret, illam ſuã neptem ſanguine, alumnam educatione, inſtitutione diſciplinam fore decus aliquando ac lumen feminarum omnium, quæ vnquam ex Aragoniæ nobiliſſima domo exſtitiſſent. Iam nonum agebat annum Eliſabetha, moritur eius auus, & illa virt⁹ immortalitate digna ſegregata ab hac concretione mortali, ad vitam illam ſempiternam & beatã euolat: ſuccedit patri ſuo Petrus rex, filiam reducit domum: quæ in illo flexu quaſi ætatis, quo ſæpe voluptates ac deliciç cùm incluſæ diutius, & prima ætate compreſſæ atque conſtrictæ fuerunt, ſubitò ſeſe profundunt, & eiiciunt vniuerſæ, nihil de ſummo illo ſtudio

dio & acerrima contentione animi remiſit. Ceteras virgines videmus ab ipſis incunabulis ita comptas & ornatas, tã multis pigmentis & fucis oblitas, vt non natæ, ſed Apellis alicuius arte factæ eſſe videantur, dãt ſe in cõſpectũ omnibus, volitãt erectæ tota vrbe, nullum conuentum hominum, nullã celebritatem declinant, & quicquid temporis aut operi fuit & labori, aut ſtudio pietatis tribuendum, id infelices ac miſeræ leuitati, & cupiditatibus ſuis obnoxiæ partim in muſicis, partim in ſaltationibus ceteriſque voluptatum illecebris conſumunt. Hinc quæ probra, quæ dedecora, quæ flagitia proficiſcantur, quàm multæ graueſque peſtes ex hoc vno fonte manent, non eſt neceſſe dici: vtinam res tam obſcura eſſet, vt niſi diceretur à me, à nemine poſſet intelligi. Longè alia ratione putauit Eliſabethã ſibi eſſe viuendum, nullæ in victu deliciæ, nulla mollities in moribus, nulla in veſtitu luxuria, quicquid nãciſcebatur otij, vel in corporis labore, vel in animi contentione, ſacris precationibus commentationibuſque rerum diuinarum collocabat: reſpuebat voluptates corporis, ludos æqualium & ſtudia deſerebat, non cõuiuiis, non frequentiâ & celebritate delectabatur: reiiciebatur omnis inſignis gemmarum & magaritarum ornatus,

tus, nulla calamiſtra, nulli cincinni adhibebantur: fucati vero medicamenta candoris & ruboris omnia repellebantur, ſola mundities in corporis cultu remanebat: caſtigabat inediâ corpus innocens, ſuíque victrix, ne occultis & tectis ſuperaretur inſidiis hoſtem omnium teterrimum, inopiâ cibi & tenuitate, deprimebat, in omni denique genere virtutis ſupra ætatem, ſupra vires præſtare ceteris & antecellere conabatur. Itaque tanti iam eius in omni vita conſtantia, & diſciplinæ ſeueritas fiebat, vt ipſe pater Aragoniæ rex, quicquid proſperè cecidiſſet, & ex animi ſententia geſtum eſſet, id puellæ continentiæ atque probitati referret acceptum, ſæpéque multis audientibus profiteretur ac prædicaret, quòd opes regnorum ſuorum florerent, quòd indies latius propagarentur fines imperij, quòd multa prælia ſecunda fierent cum hoſtibus infeſtiſſimis Chriſtianæ religionis, quòd pax rectè domi, bellum foris adminiſtraretur, omnia eius vnius eſſe tribuenda probitati. Intereà fama de rebus à Petro rege præclarè geſtis, & Eliſabethæ integritate, oras omnes peragrauit; adſunt à Britannia legati: adſunt ab Apulia, qui Eliſabetham, eorum regnorum hæredibus, vxorem dari poſtulent. Iam tum Dionyſius in Luſitania, mortuo Al-

phonſo patre, regnum obtinebat. Eodem tempore fortè legati ab eo ad regem Aragoniæ peruenerunt, per quos eadem in matrimonium ducere ſe vehementer cupere ſignificabat. Multum ac diu dubitauit rex, quis eſſet reliquis anteponendus. vicit tandem Dionyſij legatio, &, vt illis temporibus, amplitudo: ei ſpõdetur Eliſabetha: quæ non tam nubẽdi ſtudio, quàm patri morem gerendi voluntate nihil recuſat. Multa hîc à me neceſſariò prætermittẽda ſunt, nec ad augendam ejus laudem exigua, nec vobis ad audiendum iniucunda. Ad illa enim grauiſſima, quorum vos magnã iam exſpectatione teneri ſentio, feſtinat animus, timeóque, ne ſi omnia perſequi velimus, ſerò nimis veniamus ad ea, quæ maiorem dicendi copiam vbertatémq; deſiderant. ſed quod & facile eſt, & breui dici poteſt, quàm aliâ mente atque animo, ac vulgus feminarum ſolet, venerit ad nuptias Eliſabetha, vita illa ſatis demonſtrat, quam poſt nuptiarum celebritatem inſtituit. nõ enim vt ferè mos deſidioſarum & conſuetudo fert, non leges nuptiarum, non dignitatem regiam, nõ amplitudinem maieſtatis, non fluctus negotiorum, non imbecillitatem naturæ, nõ valetudinis tenuitatem, non alias cauſſas honeſtas prætẽdebat inertiæ: omnia vincula, omnes

omnes laqueos ignauiæ deſidiæq́ue facilè perfregit atque perrupit. Nupta ſum, inquit, matrimonij legibus parendum eſt; ſed ita, vt me ſpōſam meminerim eſſe Chriſti perueni ad ſupremū honoris & dignitatis gradum: at omnium regi ac domino me dicto audientem eſſe neceſſe eſt: & maiorem in modum metuēdum, ne quam diuina benignitas ad ampliſſimos honores extulit, ſuperbia & arrogantia deprimat ad ſupplicia ſempiterna, impēdet vndique magna curarum moles & negotiorum: at mihi nihil diligentiùs curandū eſt, quàm id, ex quo mea vera vita ſalúſque pendet. Labores ſunt; ſuſcipiantur; moleſtiæ multæ; deuorentur; ne tantulum quidem deiiciendi oculi; in perpetua quadam cuſtodia peruigilemus. cum ipſo corpore, cū his ipſis membris, quæ gerimus, longa ſubeunda difficiliſque dimicatio: non modò id non recuſamus, ſed appetimus etiam atque depoſcimus. Nam ſi hæc ſuſtinere ac perferre viribus non valemus, quæ tametſi moleſta ſunt; multis tamen diuinitùs præbitis ſolatiis, & illius vitæ beatæ ſpe leniuntur ac mitigantur: poterimus æternas flāmas, poterimus cruciatus innumerabiles & exquiſitos in ſummæ deſperatione rerū omniū ſuſtinere? eiiciēda, eiiciēda ſanè hæc mollities animi, excutienda ſocordia,

omnis illa vet⁹ negligẽtia procul hinc, procul repellẽda & fuganda eſt: quanquã enim ſemper fuerat in omnibus rebus acris & impigra; tamen, vt homines diuini ſolẽt, ſe deſidem & inertem fuiſſe arbitrabatur. Itaque cùm iam apud Dionyſiũ regem eſſet, multáque ab eo caſtella magnúmq; comitatũ accepiſſet, vt reginæ poſtulabat dignitas: ſingularem quandam, & admirabilẽ, & in tãto faſtigio fortunæ fortaſſe in omni memoria inauditam ſecta rationẽque vitæ ſecuta eſt. Audite me, audite, vt humanitas veſtra flagitat reiq; præſtantia, viri ornatiſſimi: nunquam audeo dicere, nunquam vos audiuiſſe pœnitebit. ſi enim in primis virtutis rudimẽtis, & tanquã incunabulis, & in ætatis illo quaſi tyrocinio & diſciplina puerili, admiratione tantâ tenebamini; quamnã in ipſa virtute, & tanquam militiâ medioq; certamine futurã admirabilitatem iudicatis? ſingulis diebus preces ad omnes horas, Põtificum inſtitutis cõprobatas, ſeptẽq; Pſalmos mira quadã religione recitabat: adiiciebat ſolẽnes S. Mariæ precationes & exequiarũ: proſequebatur præterea multorũ Sanctorũ memoriã, quorum ſanctitatẽ maiore quadã colebat pietate: veniebat in ſacellum: quòd mirificè ſemper habuit ornatũ: intererat rei diuinæ ſtudioſiſſimè, ac veſpertinis preca-

tionibus; reliquũ omne diei tẽpus in opere partim faciũdo, partim imperãdo, cõſtituẽdaque re domeſtica ponebat. Nonne iã omnium ſacrarum virginũ pietatẽ & religionẽ videtur eſſe conſecuta? quid enim vos, quid aliud agitis religioſiſſimę virgines, quæ circumſeptæ parietibus, incluſæ liberali cuſtodiâ, ſpõte veſtrâ, corpore atq; animo viuitis ſoli Deo mãcipatæ? vos, inquam, quid aliud agitis, niſi aſſiduè precamini, laudes Sãctorum celebratis, adeſtis rei diuinę ſemper aut in iis, quæ pertinent ad pietatem, aut in aliquo labore corporis eſtis occupatæ? Hæc Eliſabetha regina faciebat, hoc etiam admirabilior, quàm vos, quòd iã diſſimili conditione nata, tam ſimilẽ ac propè parẽ arripuit vitæ veſtræ diſciplinã. Sed non his modicis finibus, neque his tam anguſtis regionibus, eius animi religio circumſcripta tenebatur: neq; tam diuinã fœminam ceterarũ pietatẽ aſſequi ſatis erat; vincere etiam ac ſuperare oportebat. Quid? eſt in hoc genere virtutis aliquid vltra, quò religio cuiuſque progredi poſſit? ſtudiũ Eliſabethæ ſingulare, nouã rationẽ aliquã excogitabit. Nã ſi illæ rei diuinæ adſunt, hæc id faciet, quod ipſæ facere, ſi maximè cupiant, nullo modo poſſint. Quæ omnium erat excepto rege, dignitate princeps, genere nobiliſſima, iure atque imperio

regina in cuius conſpectu ſtabāt aperto capite viri clariſſimi, quā cum nemo, niſi flexo genu & ſubmiſſo loquebatur; hæc, vbi ſacerdos, recitato ſymbolo fidei conſtiterat in gradibus aræ, corpore quidem erecta, ſed mente atque animo tremēs accedebat, procumbebat ad eius pedes in genua. manum exoſculabatur, offerebat pio tempore diéque tantùm. O animum verè magnum & excelſum! ô diuini numinis nunquam auditam reuerentiam! ô pietatem egregiam, & his miſeris reipubl. Chriſtianæ temporibus inuſitatam! Quotus enim quiſque non de regibus dico, non de iis, qui ceteris excellunt dignitate & imperio: non de nobilibus, qui natalium claritatem oratione magnificâ, maiorúmque facta iactant: ſed de iis, qui numerum aliquem & locum obtinere volunt: quotus quiſque reperietur, qui hoc facere audeat? accedunt iam ex omnibus templi partibus viri gregatim, ac feminæ; verùm de media plebe, de mediis opificum gregibus, de numero eorum, qui propter opum tenuitatem in obſcuro ſunt: ſi qui adſunt elegātiùs paulò culti, ſi qui maioris pretij, quàm reliqua multitudo volunt videri; illi ſedent, vt antè faciebant, alienum id à ſua grauitate exiſtimātes: illos pios eſſe religioníſque colentes pudet. Ita iam an-

tiquiſ

tiquiſſimus ille mos Eccleſiæ, quem maiores ſanctiſſimè ſemper coluerũt, repudiatus à ſummis, ſpretus à mediocribus, in ea quã dixi humilitate & obſcuritate cõſedit: multis verò locis, hominum inſolentiã penitus ſublatus è medio & extinctus eſt. At Eliſabetha regina nihil ſe dignius putabat, quam quod ferebat conſuetudo ſacrorũ, quod ipſa religio præſcribebat. nec verò ſe tum reginã, ſed feminam mortalem eſſe, nec ſacerdotem hominem, ſed Chriſtum, cuius tum perſonã ſuſtineret, toto pectore cogitabat. Magna profectò laus, & omnium gentium prædicatione digna, ſed multò lõgiùs progreſſa eſt Eliſabethæ religio. Nam, qui ſe Deo totos deuouerant, non ſolùm in aſſiduis precibus ſunt & celebritate ſacrorum occupati, detrahunt, quantum poſſunt, de cibo, & exiguo victu paſcunt corpus, ſed reſtinguũt cupiditatũ ardorẽ, affligunt membrorum vires, diuinum illum mentis impetum ad rerum cœleſtium cõtemplationem erigunt. Id ſi ad cõparandas virtutes Chriſtianæ vitæ multùm valet, ei certè prætereundum non erat, quæ tanto ad vitam honeſtam ſtudio inflammata raperetur. Neminem veſtrûm latere arbitror quanta ciborum exquiſitiſſimorum varietate menſæ regum extruantur, quanti apparatus, quæ

conditiones adhibeantur. quorum ſalute cùm publica ſalus ciuitatum regnorúmque contineatur, meritò illi quidem ac iure optimo, ne tam graue vulnus afferant immaturâ morte ſuis omnibus, corpus curant, valetudinem tuentur diligẽter. ne hoc quidem rationis habuit ſanctiſſima Eliſabetha, quod non minùs honeſtè quàm ceteri, poterat habere: ſed cùm id ab omnibus illis diuinis hominibus factitatum videret, vt illam beſtiam immanitate ac diritate teterrimam perdomaret, quæ multis exitium & peſtem intuliſſet; vt eius frangeret impetum, furorem frenaret, rabiem coërceret: omnibus diebus Aduentus, totóque Quadragenario ieiunio, & S. Mariæ peruigiliis & Apoſtolorum, non ſolùm à carnibus ceteríſque vetitis epulis abſtinebat; non erat communi continentiæ more contenta, omnes cibos lautiores remouebat, nihil adhibebat obſonij, pane tantùm & aquâ vitam ægrè tolerabat. Video vos hæc magna ducere, viri ornatiſſimi, video vultus omnium admiratione quadã tacitâ defixos; ne tantoperè miremini, parua hæc, parua in B.Eliſabetha ſunt, idem à die natali S. Ioannis Baptiſtæ, vſque in ante diem duodeuigeſimum Kalend.Septembris, qui dies eſt religione publica Virgini Mariæ conſecratus,

idem

idem ab eo die rurſus vſque ad diem tertiũ, Kalend. Octobris, qui dies eſt Archangelo Michaëli ſacer, idem diebus Veneris & Saturni faciebat; idẽ multis aliis diebus, quos ipſa priuatâ quadã religione, propter certorum Sanctorũ merita ſolebat obſeruare; extra hæc ſtata, definitáq; anni tempora, tribus hebdomadæ cuiuſque diebus à cibo ſe continebat, & in hac tam aſpera auſteráque vitæ diſciplina, nulla triſtitia, nulla frontis contractio, nullum ſupercilium, nullus horror, incredibilis quædam inerat humanitas & comitas ô commemorabilis abſtinentia! ô inſtituta ſalutaria! ô femina non iam mulierum illuſtrium, ſed ſummorum virorum laudibus, & diuino quodam genere verborum prædicanda! quantulam vobis anni partem vacuam ab inedia & labore videtur eſſe voluiſſe? quot dies nos in molliſſimo victu, & in omni corporis indulgentia conſumimus, tot illa, fortaſſis etiam plures, ad id affligendum & ſubigendum conferebat. (vix totidem eius viribus reficiendis impertiebat, quot nos modicæ tribuimus cibi continentiæ.) quibus rebus frenauit animi laſciuientis petulantiam, extinxit incendium cupiditatis, & vitiorum omnium compeſcuit appetitiones contra rationem incitatas vehementiùs, omnes turbulentos

motus, & quaſi titillationes voluptatum repreſſit, ſedatíſque fluctibus perturbationũ, eâ tranquillitate integritatéque mentis fuit & corporis, eâ moderatione cõſilij, eâ iniuriarum patientiâ, non vt animum aſſiduâ commentatione ſeuocatum & abductum à ſocietate corporis habere, ſed vt ipſum corpus in mentis vim & naturam planè mutatum & conuerſum eſſe videretur. Vnum tantùm factum vobis commemorabo, in quo mihi videtur omnis illa mentis elucere diuinitas: an me fallat meus animus vos ipſos exiſtimare volo: me, quæſo, diligẽter attendite. Rex communi ætatis illius errore, paulullum deflexit de recta regione. ſpretáque reginâ deuinctus aliarum conſuetudine tenebatur: perferebatur rẽs ad eam. ipſa re audire diſſimulabat. dolebat quidem vehementer & angebatur cõtemni diuina & humana, iura deliniri virum ac pellici à non caſtis mulierculis, ruere ad interitum voluntarium; ſed communis ille dolor muliebris penitus in tantis iniuriis viri refrixerat. Heri multam ille veſtem pretioſam, hodie murænulas aureas egregiè factas, illis muneri miſit. Eliſabetha librum de rebus præclaris conſcriptum ſumebat in manus, euoluebat, lectitabat. modò filiolus ei natus nuntiabatur pulchellus, vt aiunt,

aiunt, puer & elegás, illas matronas & puellas ad opus faciundum hortabatur. Hoccine eſt humanum factum? hoccine officium mariti? hoc tibi reginæ potentiſſimæ ferendum? non agitanda res? non in tanta indignitate vociferandũ? non ſupplicia? non mors abiectiſsimis mulierculis intentanda? regina voces tumultuantiũ feminarum cõtemnens, multa de Deo cum ſuis, multa de rebus cœleſtibus, ſermocinabatur! ô mentis altitudo! ô grauitas morum! ô rectæ atque perfectæ rationis conſtantia! non ætas temerariam, non iniuriæ magnitudo impatientem, non amplitudo dignitatis, & potentia effrenatam faciebat. Feminæ tenues obſcuro loco natæ, quàm ſagaciter hæc omnia veſtigiis odorantur? quam patentes habent aures omniũ ſermonibus & calumniis? quam acriter contendunt oculorum aciem & animi cogitationem? omnia luſtrant, omnes rumorum ventos aucupãtur, ingerunt ſe atque intrudunt, nihil non explorant, nullam non commouent ſuſpicionem, ſi quid à viro commiſſum eſt inuolant in oculos inflammatæ dolore, ſpumas agũt in ore, ſtillant oculi lacrymis, ardet vultus atque oculi, pectus æſtuat iracundia: domi vociferatur, apud vicinos maledicunt, intus bellum habẽt indictum miſero marito, iurgan

iurgantur, iactant conuitia, petulantiſſimâ linguâ conſectantur, foris omnia effutiunt continere ſe in illo dolore nullo modo poſſunt. Si qua vero potentia eſt, ſi quæ opes, ſi quæ cognatorũ & amicorũ copiæ, ſi qua nobilitatis opinio, Deum immortalem, qui motus quæ turbæ, ſunt, quæ tragœdiæ? ciuitatem omnem perturbant, cœlo terram miſcent terrâ cœlum excitant quotidianis querimoniis neceſſariorum in virum odia, incendunt animos amicorum, gladios propinquorum acuunt, inſtruunt intra mœnia, penéque intra parietes domeſticos armatas acies, ipſæ tanquam furiæ inter vtramque mediæ verſantur. hinc ſuorum iram ad iniuriam vlciſcendam inflammant, inde aliorum ad vim propulſandam animos impellunt. Vnde diuortia, vnde inimicitiæ primariorum hominum, vnde diſcordiæ ciuiles ſæpe tantæ vt niſi ſanguine multorum obruantur nullis manſuetudinis æquitatiſque remediis leniri ac mitigari queant. ſi nullus eſt in opibus & factione modus, ſi abeſt impotentis animi effrenatio, alienos quidẽ ignatosſui doloris eſſe patiuntur, ſed in parentum fratrúmque manibus & gremio, mœrore & lacrymis conſeneſcunt. Quàm diſſimilis, quàm aliena fuit ab hac leuitate ſanctiſſima regina, tua ratio atq; via? nulli

li tumultus, nullæ ſeditiones, nulla diſſidia, nullę querimoniæ, ne ſermones quidem eorum ſuſtinebas æquo animo, qui gratiam aliquam à te perferendis omnibus inire cupiebant, quod ſi nihil aliud feciſſet, viri ornatiſſimi, iam omnium tolerantiam, iam omnium moderationem, iam omnium ſapientiam infinitis partibus vicerat. non eo fuit Eliſabethæ grauitas contenta: deducantur, inquit, pueri ſuſcepti domum, hîc hîc ante noſtros oculos verſentur, & quorũ conſpectum ferre ceteræ non poſſunt, quos amādari procul à domo procul ab vrbe imperant, quos hoſtiliter oderunt, hos nos diligenter educemus, hos liberalem in modum inſtituamus, hos maternâ beneuolentiâ tueamur his victum veſtitumque benignè præbeamus. Itaque dabat eis pædagogos, & cuſtodes, viros integros & induſtrios eóſque multis beneficiis amplificabat, eorũ dignitatem omnibus opibus, omni ſtudio, omni diligentiâ defendebat. ſtupet profectò animus admiratione tantæ rei oratio ipſa tanquam inſolitâ luce perculſa hæret: verba me tantæ virtuti paria deficiunt, ſed age videamus extrema, videamus exitum. Nam cùm reginæ modeſtia videatur incredibilis, multò tamen eſt illud maius & admirabilius, quod perfecit.

Non

Non potuit Rex tantam patientiam manſuetudinemque perferre, & qui iurgia, lites, clamores, ferrum denique & arma facilè fortè contempſiſſet, iis excelſi animi præſtantiam miratus, & illam in hac mortalitate noſtra, & in his humanæ vitæ fluctibus & procellis inuſitatam tranquillitatem, confirmat ipſe ſeſe, expedit mentem ex illis laqueis, quibus conſtricta tenebatur, & quæ ratione anteà non perſpexerat, ea non importunis querimoniis permotus, ſed admonitionibus tacitis modeſtiæ victus, abiicit: reuocat ſe ab omni cupiditate, reliquam omnem vitam caſtè atque integrè traducit. Et miramur anteponi ceteris, quæ ſtudio Chriſtianæ religionis, & inſolito quodam ardore animi, ſic fregit cupiditates, dolores vicit, metus ſuperauit, ſpes inanes repreſſit, vt non in terris mortalis inter mortales viuere, ſed in cælo iam immortalis cum immortali Chriſto regnare ac triumphare videretur. Illud magis nobis mirandum eſt, feminam ſexu fragilem, ætate inconſtantem, in omni rerum abundantia viuentem, & in illo ſtrepitu regiarum ædium, ac tumultu, eum vitæ curſum tenere potuiſſe, à quo ſanctiſſimi viri quondam ne depellerentur in deſertas ſolitudines, in antra ſe ac rupes abdiderũt. Quan-

quam hæc illis mira videri debēt, quibus non omnia Eliſabethæ facta ſuntperſpecta: mihi quidem pro cetera eius vita, parua & exigua videntur,non enim humanam, ſed diuinam quandam vitæ rationē perſequuta eſt.nihil iam videtur ad illam religionem addi poſſe,& quidem meritò videtur: cuius enim vnquam in reginæ pectore tam ardens fuit ſtudium pietatis?cuius mens à rebus humanis euocata ad cæleſtium & diuinarum amorem tam inflammata ferebatur voluntate: verùm ſecum ipſa contendit & certat, & cùm omnes iam cultu ſuperarit, & illius ſupremæ naturæ reuerentia, nunc hoc agit, vt ſe ipſa perpetuò ſuperet & vincat atque vtinam,vt hæc magna & præclara ſunt, ita verbis illuſtrari,ante oculóſque veſtros cōſtitui, vel exiguitas temporis tanta, vel infantia noſtra pateretur, vel vtrumque, ſed incidenda ſunt omnia,vt ad ea tandem aliquando veniamus,quæ veſtris mentibus atq; animis cupim' eſſe penitus infixa. Quod honorati nunc in ſua repub.ciues facere recuſant,ne habeantur humiles & abiecti,hoc regina in illa maieſtate & potentia faciebat.Sæpe numerò de peccatis confitebatur apud ſacerdotem,ſtatis temporibus ſacrum illum cœleſtémque panem corpus Chriſti

Opt.

Opt. Max. mirifico ſenſu quodam dolorum, quos ille noſtrâ cauſſâ pertulit. ſumebat: non tam raro, quàm noſtrá, vt quidam volunt, reuerentiâ, vt res ipſa indicat, iners, & ſomniculoſa negligentia conſueuit. Vbi cumque cognouerat eſſe religioſiſſimum templum aliquod, adibat eò ſæpe etiã pedibus, nec itineris labore, nec longinquitate
c locorum terrebatur. Diebus illis Iouis & Veneris, quibus vbique repræſentatur ſanctiſſimis cæremoniis mortis Chriſti memoria, ſumebat obſoletaſq; viléſque veſtes, audiebat concionem, aderat diuinis myſteriis. Quis eorum dierum lacrymas, quis gemitus, quis ſingultus tacitos, quis cœlitùs hauſtas cogitationes excellentis animi in illius dolore noctis poſſit oratione complecti? tum iis, quos inopiæ ſuæ pudere ſciret, ingentes pecuniæ diſtribuebantur: tum omnes vndique elephantiâ confectos, cæteróſque mendicos conuocabat, quos cùm veſtitum ſingulis præbuiſſet, ornatos & hilares dimittebat: tum imperabat accerſiri feminas aliquot aſſumptas elephantiâ, quibus illa Luſitaniæ regina, filia clariſſimi regis, neptis longé clarioris, mater verò maximi, pedes abluebat, deoſculabatur, abſtergebat linteo, & quas cæteri non poterant videre, quin commouerentur & nauſearent, quarũ
ipſa

ipſa tecta procul, vt aſpexiſſent, exhorreſcebant, eas & tractare manibus & ore cõtingere non reformidabat. Quid reliquo anni tempore? quanta eius erat liberalitas & beneficentia? cum Conſtantino illo Magno, cum Theodoſio, cum omnibus regibus & principibus, quorum eſt celebrata religio & bonitas, certare videbatur. quanquã, quonam hæc nomine appellem, neſcio: ſunt enim eiuſmodi, vt omnium virtutum dignitas, & pulchritudo, & ſplendor ſingulis videatur contineri inuiſebat ægrotos ſæpenumerò accedebat, ſine vlla reformidatione, manus imponebat, verbis conſolabatur, & vt requirebat cuiuſque morbus, ita quemque curari diligenter iubebat. Filias nobilium virorum vbi educauerat, dotatas dabat in matrimonium, aut in aliquo alio vitæ genere collocabat. Quis enumeret monachorum, & ſacrarum virginum cœnobia, quibus illa non in Luſitania modò, ſed etiã in finitimis regionibus, quæ ad victum ſuppeditarent veſtitúmque præbebat? quis cõmemoret quàm multas virgines in ſumma rerum omnium inopia periculóque dedecoris honeſtiſſimè collocarit? quàm multas iam iam propè cadentes, & propter egeſtatem, omnem caſtimoniam abjicientes, ſuis opibus ſuſtentarit, & ex periculis im-

pudentibus turpitudinis & infamiæ, largitate liberarit? quis egens & afflictus de iis, qui ſtipem oſtiatim cogunt, in eius ſe conſpectum dedit vnquam, quin aliquid abſtulerit? quem in magnis rei familiaris anguſtiis auxilium à quoquam expetere verētem non ſuis facultatibus ſuſtinebat, non in collocatione filiarū, adiuuabat? quod xenodochium, quod templum, quē pontem, quem aquæductum, quod opus aliud vel ad colendam religionem, vel ad homines iuuandos vtile inchoatum vſquam vidit & rude, in quod non aliquid impenderit de ſuo? audiſtis maximum cœnobium ædificatum eſſe prope Scalabim religioſis virginibus, quæ S. Benedicti diſciplinam & inſtituta ſusceperunt: cum à matrona quadam inchoatum accepiſſet, exædificauit Eliſabetha, accepiſtis in illo ipſo caſtello xenodochium ſatis amplum, & copioſum eſſe vbi pueri à parētibus expoſiti educentur? vbi prolixè ſubleuetur egeſtas ægrotorum? Martinus quidē Aegeditanus Epiſcopus prima fundamenta iecit: ad culmen perduxit, ornauit, præceptis inſtituit Eliſabetha. Gaudetis hic in huius vrbis conſpectu, in ripa fluminis, auguſtiſſimum Claræ templum, & ſacrarum virginum religioſiſſimas ædes eſſe collocatas? collocauit Eliſabetha, quid plura? omnia quæ

quæ in ijs locis, quæ ſanctiſſima regina monumenta ſuæ benignitatis & religionis eſſe voluit, piè religioſè, ſeuerè, grauiter, caſtè, liberaliter, humaniter, aliquãdo facta ſunt (at quàm multa facta ſunt?) omnia, inquã, ſi rectè ratiocinabimur, vni accepta referemus Eliſabethæ. Quæ eius facta tam multa, tam varia, tam inſignia, quam accepta fuerint illi principi ac paréte Dei, multæ res mirabiles, diuinitùs ab ea factæ declarant, ſed eas non exponam vobis in præſentia, viri ornatiſſimi, non committam, vt hac veſtrâ tantâ in audiendo patientiâ, videar abuti. nam neque vobis illas ignotas eſſe arbitror, neque vehementer in vita Sanctorum atque factis ad mirandas. ſunt illi Dei Opt. Max. filij, Chriſti ſeruatoris & ſocii & fratres, hæredes illius regni ſempiterni, Eccleſiæ duces atque ſigniferi, principes huius noſtræ militiæ cœleſtis dæmonibus horribiles, hominibus admirabiles, cari cœleſtibus ipſi illi mundi fabricatori Deo grati & iucundi: ſunt terrarum præſidia, gloria populorum omnium, quaſi ſtellæ quædam & lumina generis humani. incedunt veſtibus attritis, ſæpe ſeminudi, ſine vllo ornamento, ſine vlla venuſtate, contẽnuntur, iactantur, omnium improborũ irriſione luduntur. ſed ipſorum ornatum, ani-

mi, virtutéſque diuinas cœlũ miratur, omnes boni defixi contuentur, omnia muta & inanimą prædicare geſtiunt infimi ac deſpicatiſſimi mortalium habentur: ſed his permiſſa eſt ab illo cœleſti parente rerum omniũ maximarũ & admirabiliũ poteſtas: quorum ſi præſtantiam videremus animo, ſi nobilitatem, ſi diuinitatem illam intueremur, ſi perrupto hoc habitu atq; hac corporis figurâ, noſtræ mentis acies ad illa magna & incredibilia bona penetraret, & munera, quæ à ſummo rerum moderatore Deo acceperunt, omnes iſtos, quorum inceſſum ipſum geſtusque miramur, quos auro, argento, gemmis, bombycinis veſtibus, & omni concinnitate depictos, vix humi cernimus figere veſtigia, quorum vertices pulſare, manus conuellere ipſi equi ferocitate ſua cœlum expugnare velle videntur, qui tanquam vnguentariæ tabernæ circumferunt ſuauitatem odorum omnium, tanquam oblitos cœno elluderemus, & omniũ regũ maieſtaté & potentiam præ iis vehementer putaremus eſſe deridendam. depellunt imperio grauiſſimos quoſque morbos, mortuos reuocant ad vitam, ſedant tẽpeſtates, montes transferunt, fluuiorum curſus retardant, beſtiarum feritatem perdomant, venena ſerpentium extinguunt, omnia denique

nique tanquam ipſius naturæ domini ad arbitrium ſuum moderantur & flectunt. Hîc quid dicam, oſculo purgatum eſſe cancrum inſanabilem? quid narrem cuiuſdam mendici caput à ianitore reginæ, grauiſſimè fuſte vulneratum, cùm appoſuiſſet albũ oui, ſubitò ſanum & integrum eſſe factum, obductâ cicatrice? quid cõmemorem cuidam puellæ, quæ cæca nata eſſet, impoſitis manibus aſpectum eſſe reſtitutum? quid illos colligam, quos illa precibus adhibitis, grauiſſimorũ morborũ moleſtiâ periculóque liberarit? Non ego miror ſine medecina ſanatos eſſe quoſdam Eliſabethæ ſanctitate, ſed vbi virtus illa verſaretur, quæ tantam, à Deo gratiam iniiſſet, vbi vim vllam morbi dominari potuiſſe, hoc verò monſtrum & portentum eſſe duco. itaque miſſa faciam hæc omnia in præſtia, in quibus mirum in modum ſe mea iactare poſſet oratio. Veniã ad illud, quod neſcio an ſplendore ſuo ceterarum rerum gloriam obſcuret & obruat, vt etiam ſi maximæ ſint, tamen non appareant, & in id tanquam in ſolis radios incurrant: quo vobis expoſito, vt ipſius magnitudo & temporis patientur anguſtiæ, ſimul à nobis erit peroratum. A vobis pero, viri ornatiſſimi, vt eius laudes, cuius & in hac vrbe, & in omnibus Luſitaniæ partibus

liberalitatis, religionis, ſanctitatis videmus impreſſa veſtigia: quã omnes ciuitates patronam & vindicem, omnes oræ terrarum ornamẽtum, ipſum cœlum decus atque lumen ſuum eſſe confitetur & prædicat, ęquis & attentis animis audiatis. Si quam ex oratione noſtra atque ex hoc tanto calore moleſtiam cepiſtis, extenuet eam huiuſce diei celebritas, diluant ſingularia S. Eliſabethæ merita, præſtantia rerum earum, quas commemorabimus, depellat. Quis non admiratur, quæ dicta ſunt? quis nõ tam magna ducit & tam illuſtria, vt ea nullius hominis factis, quãuis maximis, poſtponantur? mihi verò ceteras res ab ea geſtas cum hac conferenti perquàm leuia videri ſolent. nam præclaram habere ad virtutem indolem, ſtudia puerilia negligere, magno rerum diuinarum amore flagrare, inediâ faméque frãgere effrenatas appetitiones, liberalitate, modeſtiâ, ſubmiſſione animi cæteriſque virtutibus, & multis rebus florere ſupra cõſuetudinem, ſupra naturam, ſupra mortalitatem, magnum quidem, magnum & commemorabile videtur: ſed contemnere tuam quietem, & corporis & animi otium abijcere, vitæ tranquillitatem, ad quã omnes labores & vigiliæ referuntur, repudiare, vt alios pacifices, mentes eorum omni modo

flecte

flectere, adducere quò velis, omnes ad id machinationes & artes adhibere, id demũ magni viri, & præcellentis eſſe iudico. At verò S. Eliſabetha, quod nonniſi ſummi viri faciunt, quid dico ſummos? quod vix vlli viri faciunt, quod omnes propter moleſtiã & laborem, offenſionéſque declinant, id arripuit, id tenuit in eo quandiu vixit, acerrimo ſtudio, ſummâ contentione virium & animi verſata eſt. Vt in facinoroſorum cauſis prudentiam ſummam, ſic in calamitate miſerorum ſingularem adhibebat diligentiam: nec pro ſalute vnquam eorum, quos ſua ſcelera rapiebant ad ſupplicium, deprecabatur, & vbi in aliquẽ rex incitatus erat vehementiùs, maleuolorum ſermonibus & calumniis, in eo ſummoperè elaborabat, vt innocentiâ cognitâ calamitoſi hominis, ad humanitatem & clementiam ex illa vehementiore animi concitatione traduceretur. Inſederat in eius memoria ille à Chriſto ſeruatore habitus in extremo vitę tempore de amore hominũ & beneuolẽtia ſermo: hanc in eius vita; hanc in moribus omnium Sanctorũ, atq; factis enituiſſe maximè cognorat: eandẽ ſibi viam ingrediendã eſſe arbitrata eſt: non ſolùm, vt ipſa omnes homines amore ſummo cõplecteretur: ſed etiã vt aliorum animos occupatos & effe-

ratos odio, ad mãſuetudinē beneuolentiáq; deduceret. ſi quos in Luſitania, ſi quos extra Luſitaniam inimicitias exercere perferebatur, vel ipſa grauiſſimè ad eos placandos & acerrimè incumbebat, vel totũ illis negotium diligentiſſimè mandebat, quos ad id conficiendum maximè putaret idoneos. Cognoſcebantur cauſſæ diſſidij, componebantur ex æquo & bono res: ſi alteri de iniuriis, quas alteris intuliſſent, ſatisfacere nequirent; regina de ſuo, quantũ opus eſſet, tribuebat: ita qui fuerant hominum ante perfidiâ diſtracti, auctoritate ſanctitatéque Eliſabethæ, in concordiam reducebantur. Nulla res ei tam grata poterat accidere, nec tam iucũda, quàm eorum reconciliatã gratiam videre, cõglutinatam amicitiam, animos conſentientes atq; conflatos, quos anteà ſimultates implacabiles & inexpiabiles diſtraxiſſent. Animaduertite, obſecro, ſanctiſſimæ reginæ in componenda gratia diligentiam, audite ſapientiam, cognoſcite magnitudinem animi atque conſtantiam. Alphõſus princeps à rege fratre ſuo, magno totius Luſitaniæ motu, diſſidebat: iam res ad arma ſpectabat: iam vici aliquot à Dionyſio bello capti erant, magna regno calamitas imminere videbatur. Non latebat Eliſabetham, quãto Luſitaniæ totius malo

de

decertaretur. Itaq; multos Põtifices ad tãtam peſtem extinguendã excitauit, & ipſa, quantum animo conniti potuit & contendere, tantum fecit, vt ex illa tam turbulentá tempeſtate belli; ſerena lux & tranquilla pacis oriretur? Rex dedit fratri veniam; Alphonſus, vt obtemperaret regi; cùm ab eo vicos aliquot accepiſſet, adductus eſt: regina, vt hæc obtineret, Sintram quam acceperat à Dionyſio, reddere non dubitauit. Nihil dico quid omnes boni conſecuti ſint, nihil quid vos, nihil quid omnes Luſitaniæ ciuitates. non amplificabo verbis impendentes omnibus clades; nec à vobis cõtendam, viri ornatiſſimi, ſi magnas illas & luctuoſas iudicatis, vt eius virtutem exiſtimetis ſingularem, per quam fuerunt à publica ſalute depulſæ: ſunt enim alia multò maiora, quæ nos iamdudum ad ſe vocant, nec in his patiuntur orationem noſtram commorari. Ferdinandus Caſtellæ Rex, huius lectiſſimæ reginæ gener, & eiuſdem frater Iacobus rex Aragoniæ, de Murciano regno, quod Ferdinandus per ſummam iniuriam ereptum ſibi eſſe querebatur, vehementer inter ſe contendebant. Interea Saraceni, quorum opes etiam tum in Hiſpania pluſquam modicæ erant, cõfirmatis per occaſionem viribus, ad ſpem aliquam recu-

perandi vrbes & amiſſa regna ſuperioribus annis erigebantur: quod cùm ad Eliſabethæ perueniſſet aures, pro eo ac debuit, grauiter & moleſtè ferens, aſſiduè deplorare incommoda Chriſtiani populi, de diē, de nocte Deo Optimo Max. pro eius incolumitate ſupplicare, cum Rege, cum Pōtificibus, cum omnibus, quorum aliqua erat auctoritas & conſilium, de pace colloqui, crebros ad vtrumque nuncios, literas crebriores mittere, nihil non tentare & facere, quod ad tam graues offenſiones leniendas pertineret. perfecit tandem, vt arbitrum caperent Dionyſium; ambóque pariter profecti, vſque in Aragoniam Turriaſſionem peruenerunt. Ibi venientibus præſtò ſunt Iacobus & Ferdinandus Reges; exponunt ſuam quiſque Regi cauſſam: audit ille diligenter pro ſe quemque dicētem, eo diſceptante, ſine tumultu, ſine ferro, ſine ſāguine ciuium dirimuntur controuerſiæ diſceditur ex ea vrbe. ſic animatis omnibus, vt ad communem perniciem ex Hiſpaniæ finibus penitus eiiciendam & exterminandam auxilia mutua pollicerentur & offerrent. O felices terrarum oræ, in quas tua, ſanctiſſima regina, virtus delata eſt! ó beatæ gentes atque nationes, quæ tuum ſingularem in omnibus rebus modum & conſtā-

tiam videre potuerunt. Luſitaniam vniuerſam ardentem inteſtino bello, induſtriâ & diligentiâ tuâ iam antè ſeruâras, nunc omnem Hiſpaniam ex faucibus teterrimorum hoſtium eripuiſti,qui iam omnes orbes, iã omnia regna ſpe ac cogitatione deuorârãt: obligâras anteà tibi maximo quietis & tranquillitatis beneficio tuos, nunc non tibi modo ſed etiam tuis omnes Hiſpaniæ populos ſalutis conſeruatæ munere deuinxiſti. Iam ex Aragonia redierant, iam Alphonſus vtriuſque filius, ad quem hæreditarium perueniebat Luſitaniæ regnum,cum vxore Conimbricæ, quæ fuerat ei à patre attributa,conſederat,cum iuuenili quodam ardore filius cum patre graues inimicitias gerebat. Rex quorundam hortatu & impulſu,qui peſſimè regni hæredem oderant, & per patrem, quia per ſe non poterant, circumuenire conabantur; eum Sintræ opprimere,quò tum fortè venerat, omni ope contendit:ſed illumEliſabetha ſuâ diligentiâ liberauit, vel dicam verius, ſanctitate. Conſeruato iam & erepto imperat, vt regẽ obſeruet & colat,eique tãquam domino ſit in omnibus rebus obnoxius. Tũ verò eius auctores conſilij occultè fremere, amiſſam eſſe tam præclaram occaſionem explendi odij vehementer indignari, plus vnius indu

duſtriam fœminæ ad ſalutē Alphōſi, quàm ad perniciem,omniū fraudes valuiſſe. Non eſt,non eſt,inquiunt, quod ſperes rex potē-tiſſime, te, ſaluâ & incolumi reginâ, iuſtas ac debitas pœnas à turbulento filio repetere poſſe;quandiu illa regiam obtinebit dignitatem, recident ad nihilum omnes tui conatus,quidquid fueris exorſus retexetur. Omni dignitate ſpoliata, vicis & caſtellis ereptis,amandetur aliquò, vbi in cuſtodia libera teneatur:ſic & ius patrium & regiam auctoritatem retinebis, & integrum erit vbi voles ac liberum, ſupplicio iuuenilem audaciam coërcere. Ardēbat adhuc recenti dolore regis animus, probat conſilium, Eliſabetham Ierabricam relegat, quidquid nubenti datum erat, aufert, imperat, ne eo caſtello digrediatur, néve longius euagetur. Illa non circumueniri ſe conſiliis improborum vociferatur, non ad generum ſuum Ferdinandum regem, non ad Iacobum fratrem, qui tum Aragoniorum regnum obtinebat, ſe ſcripturam minitatur, non cunctatur, non tergiuerſatur, non recuſat. paret innocentiſſima regina ſubirati regis imperio: quidquid habebat meliore animo, quàm acceperat, remittit. Peragrauit ſubitò fama Luſitaniæ fines, reginam captæ ſimilem, nudatam omnibus ornamentis

mentis dignitatis, Ierabricæ cuſtodiri: inuadit mœror hominum mentes, veteres eius clientes, quique caſtellis præerant viri ſtrenui atque impigri, hoc repentino tam indignæ calamitatis permoti nuncio, aduolant Ierabricam, adeunt Eliſabetham, moderatiùs multò quàm homines exiſtimabant, & quàm credi poteſt, hæc incommoda ferentem. Ac principiò quidem vocem vis doloris & magnitudo ſupprimebat: vbi ſeſe confirmârunt, multò, inquiunt, maluiſſemus, maxima & humaniſſima regina, florentibus rebus tuis, quã afflictis & perditis, ſtudium erga te fidemque noſtram declarare. ſed quoniam res ita fert, dabimus operam, ne tibi vnquam in vllo certamine defuiſſe videamur. Non eſt ferendum, inuidis homunculis eſſe ludibrio tuam innocentiam, & plus apud regem quorundam fraudes, quàm ſanctiſſima iura nuptiarum, & vxoris lectiſſimæ probitatem poſſe: non eſt ferendum, te quaſi in carcerem & vincula, ſic in hoc caſtellum detruſam eſſe, quam paulò antè dominam reginámque noſtram prædicantes, in ampliſſimo dignitatis gradu videbamus collocatã. In animo eſt tuũ ius, quãdo aliter obtineri nõ poteſt, armis tueri: patẽt tibi vici, patẽt caſtella tua (tua enim ſemper appel-
la

labim⁹, quãdiu te viuã intuebimur, eò nobiſcum vnà te recipe, iam faciemus intelligant aduerſarij tui, non vni feminæ, quamuis nobiliſſimæ fuiſſe, ſed viris & vniuerſæ Luſitaniæ tantam ignominiam inuſtã. Hîc quid fuit Eliſabethæ faciẽdum? Prætermitti debuit tam præclara retinendi iuris occaſio? Venerat ille peregrè, reliquerat patriã & auita regna, propinquos & neceſſarios deſeruerat, nupſerat in ampliſſimã familiam Luſitaniæ regum, vixerat cum rege coniunctiſſimè, fuerat incredibili modeſtiâ & patientiâ in grauiſſimis matrimonij iniuriis perferendis, nihil vnquam contra ius fáſque fecerat, ne ſuſpicio quidem vlla delicti perferebatur, tantùm patris gladios, ſi minùs ſceleratos ac nefarios, certè parum pios repulerat ab adoleſcentis filij ceruicibus, denique rempub. Luſitanam conſeruarat. Quid enim, quid de te futurum fuiſſet, ô ſemper felix, proximis annis Ioannis auſpiciis maximè florens, nunc eiuſdem obitu mœrens & afflicta Luſitania, nocte illâ fauſtâ vniuerſis ciuitatibus, vni reginæ, vt quidẽ homines opinantur, calamitosâ, & funeſtâ, reuerâ multò huic feliciore quàm ceteris, cùm Dionyſi⁹ interclusis itineribus, inflãmatus animi dolore, ſeptus copiis armatorum, Lumeari profectus, inſciâ regi-

nâ, Sintram incredibili celeritate contendit? ſi tum quod parabatur perfici vllo modo potuiſſet, quanto in ſqualore & ſordibus iacuiſſes? quanto mœrore atque luctu fuiſſent omnia confecta? vna fortaſſe nox tibi tenebras attuliſſet ſempiternas, niſi ſingularis Eliſabethæ diligentia ſubueniſſet. ob hoc tantum beneficium collatum in omnem Luſitaniam amiſerat omnia dignitatis ornamenta, iure illa repeti poſſe videbantur; aderant multi defenſores, vltrò ſe offerebant, eos ex animo loqui ſatis apparebat, potuit illa recuſare? potuit ſuorum orationem & preces repudiare? ſecuta eſt ſcilicet de nocte propugnatores ſuos, ſatellitum occultè comparatâ manu, contulit ſe in aliquod muniriſſimum caſtellum, vocauit populos ad arma, niſi quæ ſibi fuiſſent per iniuriam erepta redderentur, ferro, flammâ, vaſtitatem inferendam eſſe Luſitaniæ minata eſt. ô eximia mentis conſtantia! ô animi diuina tranquillitas! ô modus in omnibus rebus ſingularis! Non iniuriæ memoria refricata potuit accendi, non ſuorum ſtudiis adduci, non verbis magnificis ad diſcordiam impelli, vt nihil mirandum eſſe videatur illam concordiæ parentem, altricem amoris ac beneuolentiæ, pacis magiſtram, in quaſcunque terras delata

lata eſſet, tanquam ſerenitatem aliquam diuinitus demiſſam, omnes fluctus ſeditionum & tempeſtates compreſſiſſe. Grata mihi eſt, inquit, viri ſtrenuiſſimi, veſtra fides & beneuolentia : ſed doleo vos opinione officij, tam grauiter errare, me verò vehementer hîc incluſam eſſe delectat, neque vnquam cuius ſuſceperim diſciplinam, obliuiſcar. Chriſtus ſeruator hominum tam multa dictu grauia, perpeſſu aſpera tulit æquo animo, neque ſuppliciorum indignitatem queſtus eſt: nos homunculi nullius pretij ne tantulam quidem iniuriam perferemus? rex mihi quod dederat, abſtulit, & ego ablatum eſſe gaudeo, & ille ſi commodum videbitur, reddet quod ademit. Non iſta ſunt ornamenta mea, quæ vos putatis, nec rebus iſtis dignitas reginæ Chriſtianæ continetur: alia ſunt longè potiora, quæ an ego ſim adepta, neſcio, illud tamen certò ſcio, ſi quid conſecuta ſũ, id nullis mihi viribus eripi, ne in ſumma quidem calamitate poſſe. Quare, ſi beneficio regis anteà vos eratis mihi dicto audientes, quam mihi ſemper eius voluntate, fidem præſtitiſtis, eandem nunc meã regi veſtro præſtate. mihi multò eſt ſatius, iniurias perferendo, quàm vlciſcendo propulſare, neque committam, vt innocentes

multi

multi meâ cauſsâ fortunis euertantur, ferro trucidentur, omnia indigna patiantur. hæc Eliſabethæ patientia tanta, quæ gloriam ipſi peperit immortalem, magnam ignaris hominibus dolorem afferebat. Inſtare, vrgere, ſi bellum ipſa cum rege ſuſcipere nollet, ſi rebus gerendis intereſſe grauaretur, permitteret ſibi gerendi poteſtatem, ita futurum, vt citiùs in priſtinum ſtatum reſtitueretur. Illa diſertiſſimis verbis imperat, ne quid nouarũ rerum moliantur, ne quietum ſtatum Luſitaniæ perturbent néve faciant de capiendis armis verbum vllum, & acrius oratione caſtigatos dimittit. Intereà omnes vndique ſanctitate vitæ nobiles mulieres Ierabricam conuocabat, ſummâ cibi continentiâ viuebat, ad illum numerum dierum, quibus à cibo abſtinere ſolitam eſſe diximus, plures hebdomadæ cuiuſque dies addebat, omne otium in contemplatione rerum diuinarum collocabat. O excellens & diuina vis patientiæ! ô præſtantiſſima dignitas & pulchritudo virtutis! quæ nullis hominum fraudibus vinci, nullis calumniarum tenebris obſcurari & offundi poteſt, & vbi videtur eſſe obruta, robuſtior emergit à mediis malis & pulchrior, & admiratione ſui flectit etiam obſtinatas hominum voluntates. Poſtquam Diony-

ſius illam admirabilem æquitatem animi cognouit, incipit eum pœnitere facti, reginam illo tanquam exſilio ſolutam Vlyſsiponem ad ſe reuocari iubet; & in illis ſuis & ſuperiorum reginarum ſedibus verſari. Sed illa pluſquã ciuilis diſſenſionis calamitoſa peſtis, magis in dies ac magis inualeſcebat. Rex Conimbricã obſidet, quæ iam tum erat in filij poteſtate, vaſtantur agri, multi cæduntur, oppidani rerum inopiâ fatigantur. Quod ſimul atque Eliſabethæ renunciatum eſt, Conimbricam magnis itineribus contendit, modò cum rege, modò cum filio de pace loquitur, impetrat vt obſidione relictâ, Dionyſius Leriam cõcedat, eódẽ Alphonſus veniat ſalutandi patris & vidẽdi gratiâ, eúmq; dominum atq; regem ſuum agnoſcens, vectigalium tantum accipiat, quantum ad tuendam principis dignitatem ſatis eſſe videatur. Ille ſedatâ diſcordiâ, quidquid abſtulerat, reginæ ſuâ ſponte reſtituit, miratus eam in huiuſmodi rebus eſſe totam occupatam. Verùm non eſt paſſus ille crudeliſsimus hoſtis humani generis, hanc diutiùs ſeruari pacem, breuíq; nactus materiam diſſenſionis & ſegetem, tantum tumultum concitauit, quãtus anteà nõ erat auditus, Alphonſus obnixè à patre petere, vt ſibi faceret Vlyſipponem eundi poteſta

teſtatem, Rex obſtinatè denegare, crebri nuncij, crebræ literæ: Filius. vbi vidit obfirmatum regis animum, Conimbricâ proficiſcitur armatus, eo inuito ſe Vlyſſipponem iturum, vociferatur. Fit obuiam venienti cũ delecta iuuenum manu Dionyſius ad Lauras, illi progredi conari, hi conantibus reſiſtere, inſtruitur vtrimq; acies: dimicatur pater ætate grauis in filium ſuos hortabatur; ex altera parte filius adoleſcentiæ viribus ferox, in patrem cornua dirigebat: non erat recuſandum, quin quaſſata regna, quemcũque res tandem haberet exitũ, & ornamenta multa pacis, & belli ſubſidia deſiderarẽt. Iam multi vulneribus confecti iacebãt, iam nonnulli ceciderant exanimati: perfertur tam ancipitis mali nuncius ad Eliſabetham. Quid illa magnoperè facere potuit in tanto animorũ ardore & armorum? fuit aliqua pacificandi ratio potiùs quàm Alphonſus Conimbrica proficiſceretur: etiam alter locus vbi Alphonſum aduentare nunciatũ eſt, nunc certè iam acie inſtructâ conſertiſque manibus, irritatis omnium animis cæde ſuorum, in medio furore pugnæ & armorũ ſtrepitu, quæ ſpes pacificationis, aut qui fœminæ locus eſſe poteſt? quidquid Martis furor tulerit & ira victoriæ, id æquo animo ferendum eſt. Itaque abiecit ſe ad fletum

vlulatúmque muliebrem, regiam clamoribus compleuit; & quando non licebat facere tanto malo medicinam, certè lacrymis funera ſuorum proſecuta eſt. non erat tam paruo & anguſto animo ſanctiſſima regina, multò maiora conceperat animo & cogitatione, non niſi res magnas & arduas meditabatur. Subitò mulam ornari iubet, aduolat ad pugnæ locum, eius aduentu non eſt pugnari deſitū, nihilò ſeciùs lapides vtrinque, ſpicula cæteráque miſſilia tela torquebantur perculſis metu ceteris & exterrito comitatu, ſola neque clamorem militarem extimuit, neque telorum confertim volitantium ictus declinauit, neque cæſorū cadauera ſanguinémq; è vulneribus manantem exhorruit: coniecit ſe in medias armatorum acies, diuinis freta præſidiis, regem adit, inde ad filium accurrit, & cùm nōdum abſiſteretur prælio per infeſtos gladios & tela micantia non deſiſtit vltro citroq; curſare, Deum ac Sanctos omnes conteſtans, flens iratos obteſtatur, deducit eorū animos ad lenitatem & beneuolentiam. Alphōſum ad patrem venire iubet, eius manus oſculari ſupplicem, rex comiter accipit ferocē adoleſcentem, ſupplicanti omnia fauſta & felicia precatur; diſcedunt eo loco pariter, ſummâ hominum lætitia dies ille celebratur,

quem

quem verè totius Luſitaniæ natalem appellare poſſumus: viuunt deinde coniunctiſſimè: nihil filio carius eſſe patre, nihil patri filio iucundius, neque vnquam Alphonſus in poſterum à Dionyſio diſſenſit. Quantam lucẽ prô ſancte Deus, vnius fæminæ ſingularis & diuina virtus, tam breui potuit omnibus Luſitaniæ ciuitatibus afferre, vt qui modò rempub. turbulentiſſimo conuulſam motu viderant, eandem repentè, pace & concordiâ florentem intuerentur. Hi ſunt patientiæ modeſtiæq; fructus, hæc vtilitas manſuetudinis & bonitatis, hæc magni animi & excelſi vis ad rerum publicarum ſtatum conſeruandum. Quos fluctus excitant cupiditates effrenatæ, hos animi temperati ſedat moderatio: quæ furor & improbitas euertit; hæc lenitas & boni mores erigunt: quas peſtes ad terrena diuerſoria, & huius vitæ ſordes viliſſimas abiecta mens importaneas animus auertit, ad illa cœli domicilia & æternitatis lucem excitatus. Quę quò maiora mirabilioráque videntur, viri ornatiſſimi, hoc nos vehementiùs adniti decet, qui ciuitatibus vtiles & ſalutares eſſe cupimus, vt ſummi ſimus in omni genere virtutis atque perfecti. Non patriæ gloriâ, non maiorum factis, non opum potentiâ, non principum gratiâ, non ſtudiis populorum,

non externis vllis præſidiis, ſapientibus & Chriſtianis nitendum eſt: quantum à Deo virtutis erimus, quantum cœleſtium donorum conſecuti; tantum in nobis opis erit ad calamitates reip. Chriſtianæ ſubleuandas. Adhibeamus erga ſummum illius rectorem ac dominum, debitum illi præſtantiſſimæ naturæ cultum ac reuerentiam: eius numen hominum ſcelere violatum, aſſiduis precib. placemus: in contemplatione rerum cœleſtium peruolutetur tota mens: ad ſacra myſteria ſtudiosè ſimul & religiosè vẽtitemus; expiemus animum cõfeſſionibus crebris de peccatis: ab indulgentia corporis diſcedamus: frangamus appetitiones, modeſtiam & temperantiam colamus: quantò magis excellere videbimur, tantò nos ſubmiſſiùs geramus; miſeros & afflictos omni ope tueamur; experiantur omnes liberalitatem noſtram & beneficentiam; eximio quodam amore genus vniuerſum hominum & ſingulos amplectamur: in tollendis inimicitiis, in reconcilianda gratia impigros nos & diligentes præbeamus: iniurias illatas æquo feramus animo: nullus labor, nulla nos rerum difficultas & aſperitas, nullus incommodorũ metus à ſtudio virtutis Chriſtianæ deterreat. ſine his fallitur, atque errat, qui ſperat ſe mortalibus vtilem futurum: contrà,

trà,his adiumentis dici non poteſt, quàm accepti rerum molitori & effectori Deo, quàm cari cœleſtibus,quàm hominũ generi poſſimus eſſe fructuoſi. Quid tandem eſt, quod ab hoc vitæ curſu nos aut reuocet,aut retardet?an adoleſcentia aut pueritia?at ſtatim vt nata eſt,eum tenuit Eliſabetha. An grauis ætas & affecta?at in eo, vſque ad extremam ſenectutem perſeuerauit Eliſabetha. An imbecillitatem naturæ pertimeſcimus? at quamuis femina molliter educata, non timuit Eliſabetha. An dignitatem non decere noſtram & grauitatem arbitramur? at nihil ſe dignius eſſe,quamuis regina, iudicauit Eliſabetha. An impedit multitudo negotiorum & tumultus? an iura matrimonij?an liberorum educatio? an rerũ domeſticarum cura?at iſta vincula, & multò duriora, quàm in vllo noſtrûm eſſe poſſint, perrupit Eliſabetha Omnis dubitatio nobis eſt,Eliſabethæ ſanctitate, præciſa; nihil eſt cur recuſemus,nihil quo deſidiam noſtrã,ſi eſt vlla,defendamus. Hanc intueamur animo,huius veſtigia ſequamur in omni vita, huius ſimilitudinem quandam & effigiem morib. exprimere conemur.nihil ei gratius eſſe poterit & iucundius, quàm ſuæ virtutis æmulos habere quàmplurimos:nihil magis probatum illi rerum conditori Deo, quàm

ſanctiſſimæ reginæ diuina facta propoſita eſſe multis ad imitandum: nihil nobis ſalutarius, quàm iiſdem gradibus & veſtigiis, quibus illa ſingularis integritas in beatorũ ſedes aſcendit, ad eandem illam vitam felicem & æternam peruenire.

PETRI IOANNIS PERPINIANI

Laudationis in B.Elizabetham Luſitaniæ Reginam.

LIBER II.

ORATIO IV.

TAndem aliquando, Rector ampliſſime, viríque ornatiſſimi, rediit anno vertente, illa dies; mihi quidem propter oneris huiuſce magnitudinem, nonnihil fortaſſe pertimeſcenda; vobis propter orationis noſtræ ieiunitatem non vehementer exſpectanda; omnibus verò propter gratam B. Eliſabethæ memoriam, admodum iucunda. Sed neſcio quo pacto factum eſt, vt qui anno ſuperiore ſum veſtram humanitatem egregiam expertus, idem hoc

hoc tentem patientiam, & cuius immodica tum, & indigna veſtris auribus oratio, victâ comitate veſtrâ facilitatéque diſceſſit, eiuſdem nunc importuna loquacitas, veſtram in audiendo benignitatem & clementiam ſuperare contendat. Magna profectò eſt vis obedientiæ, magna, viri ornatiſſimi, ac maior etiam, quàm homines opinantur, vt neque ſubterfugere laborem, neque recuſare onus, neque declinare moleſtiam, neque ſuſpicionem temeritatis à ſe dimouere, neque impudentiæ crimen quẽquam deuitare patiatur. Ac mihi quidem hanc veſtrûm frequentiam, ſplendorem, & dignitatem intuenti, ſtimulat & pungit animum ſanè triſtis & acerba recordatio, & quaſi morſu quodam acri, grauem & vix conſolabilem efficit dolorem. Quòd enim omnes eximiâ doctrinâ viri conueniſtis, quòd ego in hunc locum adſcendi, quòd vos me dicentem auditis, quòd ego vobis audientibus dico, quòd omnia ſunt ornata verſibus, atque ipſi parietes affixis chartis, ſanctiſſimæ reginæ virtutem taciti quodâmodo prædicant, quòd ſacris anniuerſariis hodiernâ luce multis in locis B. Eliſabetha colitur, reliqua ſunt illius magni regis, tum religionis, tum ſapientiæ non ad exigui prædicationem temporis leuiter preſſa,

ſed ad omnis poſteritatis memoriam penitus fixa veſtigia, quem abſentem magis, quàm mortuum omnes mihi terræ lugere deſideraréq; videntur, eius diligentia multíſque ac magnis in rebus cognita & ſpectata pietas à ſummo Pontifice impetrauit, vt quacumque paterent imperij Luſitani fines, aras erigere ſanctiſſimæ reginæ, ſtatuere imagines, tabulas pictas dedicare, ſacra facere, ſolenni precatione atque ritu opem ab illa & auxilium expetere liceret. Fuit ille, atque vtinam etiam nunc eſſet, veruntamen fuit, vt in adminiſtrando regno, ſingulari quâdam & commemorabili prudentiâ; ſic in colendo Deo, venerandíſque Sanctis inuſitatâ pietate; atque hæ duæ artes in eo ita præter cæteras multas & præſtãtes virtutes, excelluerunt; vt neſcias vtrum admirere magis, ſummi conſilij propè diuinã gubernationẽ in rebus humanis, an in diuinis animi ſubmiſſi profectã à pietate reuerentiã. qualis enim fuit illa mens? quæ vis animi? quanta ſapientia? quæ omnes reipub. partes ita pulchrè deſcripſit, ita prudẽter compoſuit, ita magnificè ornauit, ita grauiter ſtabiliuit, vt virtutem quidem iam olim per alios omnes Luſitania; certè cultum & humanitatem per hunc primum regem exiſtimetur accepiſſe. religio verò

poteſt

poteſt non incredibilis videri, quæ nõ modò apud exteras gentes atque nationes Eccleſiæ Chriſtianæ fines tantâ curâ, tãto ſtudio tantâ diligentiâ, tam longè latéq; propagauit? ſed etiam hîc apud nos noua ſacra feſtſóque dies inſtituendos, celebrandóſque curauit? quæ ſanctiſſimas ceremonias omnium ſacrorũ à maioribus vel per manus, vel literis traditas ſic obſeruauit & coluit, vt ne eum quidem, qui vno verbo violaſſe crederetur, ferre poſſet? Equidem quid vobis accidat, viri ornatiſſimi, de me ipſe facio coniecturam, nam, cùm eum nunquam viderim, fueritque mihi tantùm hominum ſermone atque famâ non ignotus? tamen non poſſum non commoueri cùm mihi venit in mentem, tantam ſapientiam & pietatem extinctam eſſe, verùm hoc moderatiùs nobis ferendum eſt hoc malum, quod & ille vt ſperamus, perfruitur illâ cœleſti ac beatâ ciuitate, & nos in hoc exilio calamitoſo ſi minùs eius aſpectu & præſentiâ certe decretis ſalutaribus & inſtitutis recreamur. Incredibilis planè fuit, maximè Ioannes, tua virtus, & erga tuos admirabilis beneuolentia, qui & perhumaniter eos complexus es in omni vita, & poſt mortem ea reliquiſti, ex quibus illi vel ad rectè viuendum honeſtatis, vel ad alacriter dicendum,

ſtudii; vel ad honeſtè relaxandum animũ, voluptatis vberrimos fructus capere poſſint. Prætermitto cetera, quæ ſunt & infinita & maxima, non vagabitur oratio mea longiùs atque his ipſis definietur rebus, quæ ſunt hodiernæ celebritatis propriæ. Si quid delectationis tu, Rector ampliſſimè? ſi quid, vos viri doctiſſimi patréſque religioſiſſimi, ſentietis voluptatis? ſi quem vos adoleſcentes optimi, ad capeſſendas liberales doctrinas, ardorẽ animi, ſi quid omnes qui adſunt ad bonos mores perſequendos, alacritatis? quantumcumque demum illud erit, totum illi reipubl. parenti acceptum referri opportebit: qui & nos ad dicendum impulit ſuo iuſſu, & vos ad audiendũ inuitauit pietate. Sed age, miſſa faciamus ea, quæ afferunt dolorem, & ab ægritudine cogitationum auocemus ac luctu, nam & vix dũ obductas animi cicatrices refricare moleſtum eſt, & extra rem tã multa dicere ad id quod agimus, parũ neceſſarium, quamuis immortalibus eius beneficiis, & amori aduerſus omnes inaudito iam diu debitum, mihi verò in hoc dicendi negotio, ſi magnitudinẽ earum rerum, de quibus verba facturus ſũ, conſequi me poſſe verbis arbitrarer, mihi omninò videretur eſſe metuẽdum apud tales viros: at nunc ita fortè accidit, vt & res

ab

ab Eliſabetha regina geſtæ diuinum quoddam & inuſitatum genus orationis efflagitent,& oratio noſtra(ſi tamē eſt oratio ſermo rudis & impolitus)ne res quidem humanas,& quotidianas explicare poſſit.Multa nos anno ſuperiore diximus, multa ſæpe vos audiſtis prædicari,nonnullas plerique fortaſſe legiſtis aliquando quæ viri præſtā-tes doctrinâ diligenter & accuratè conſcripta ediderunt: quæ omnia cùm animo ac memoriâ repetitis,non dubito,quin ita ſtatuatis,nihil in omni virtute fieri aut cogitari poſſe perfectius,verùm in iis quæ dicā, tanta eſt dignitas , tantus in reliqua vita ſplendor,atque in iis ,quæ non ſunt iactata vulgò tanta laus,vt vos ipſos quæ anteà iure optimo mirabamini ,leuia & exigua putaturos eſſe confidam , neque hoc vel ſic à me dici ,vt eſt, vel ſic eſſe, vt à me dicitur, aut mirum aut abſurdum cuiquam videri debet.Non enim in exercitu atque in bello bonus miles ac ſtrenuus,vſu & exercitatione fit,& ad audiendū fortior,& ad cauendū peritior,& ad laborandū alacrior , & ad pugnandum ardentior, maioribúſque in dies præmiis pro ſuis facinoribus egregiis decoratur, & his rurſus ad virtutē atq; ad alia maiora excitantur,in his verò caſtris religionis noſtræ atque in hac Chriſti militia

cœleſti, in qua homines cum diabolo certāt; effrenatæ libidines cum animi moderatione præliantur: luxuria cum tēperantia contendit: cum probitate ſcelus, flagitium cum vitæ integritate pugnat, denique omnes virtutes confligunt cum vitiis omnibus, nec affert incrementum virtuti dies & exercitatio, nec ſunt propoſita præmia fortiter dimicantibus, ad eorum animos incendendos. ingens fiebat diebus ſingulis ad conſtantiam Chriſti militum acceſſio, & quo magis certamina creſcebant, eo mirabiliùs augebatur & dimicantium fortitudo, & laborantium animus, & vincentium gloria. Etenim ſi flagitioſos homines & ſceleratos, paratiores ad facinus momentis ſingulis fieri videmus conſuetudine peccandi, & cùm eorum nefarij conatus ad optatos exitus prouehuntur, magis ad ſcelus & improbitatem inflammari corroborarique vetuſtate audaciam quid illis accidere putamus, qui caſtè integrèque viuunt, & omni opere veram ſolidámque virtutē perſequi conantur? certè maior eſt vis honeſtatis ad alliciēdas & exſuſcitandas hominū mentes, quàm turpitudinis; maior rectè factorum iucunditas, quàm iſta voluptas, quæ percipitur ex impuritate. de ceteris ferè rebus certus eſt magnitudinis conſtitutus ac definitus modus

modus neque vltra præſcriptos à natura fines, amplificari poſſunt: ac caritas, cuius quaſi gradibus propiùs ad Deũ accedimus, quæ eſt ex illo perenni & inexhauſto fonte, quaſi delibata, vel nobiſcum potius communicata particula, quam non ipſi nos conſuetudine moréque perficimus, ſed Deus vno puncto temporis, in noſtros animos infundit: non ſtudia hominũ acquirunt, ſed diuina liberalitas in animis bene ſubactis & preparatis, occultâ quâdam ratione ſerit: non humana vis aliqua gignit, ſed ſancti Spiritus afflatus & numen incẽdit, quæ quò maior eſt eò magis quaſi dilatat voluntatem, & quantò vberius exũdat, tantò fundum animi capaciorem reddit, nullis certis regionibus, nullis limitibus circumſcripta tenetur, neque víque eò creſcit vnquam vt multò magis non poſſit augeri, & vbi perueniſſe credimus ad extremũ, nulláque iam afferri poſſe videtur acceſſio, tum infinitis partibus ſe ipſa maior effici poteſt. Hinc illa doctoris Gentium, tanquã tuba è cœlo demiſſa vox, vt corpus à capite ſic omnem Eccleſiã mẽbris aptam & connexã à Chriſto, quaſi per quoſdam neruos & articulos vim ſuã accipere, & eius beneficio atq; munere crebris incrementis augeri. hinc illa S. Bernardi, inſignis vitæ ſanctitate viri, grauis

uis & metuenda ſententia,in hoc ad Deum felicetque cæli ciues itinere,qui nō longiùs progrediantur,hoc ipſo quòd inſiſtant, redire retrò:hinc illa multorum Chriſtianorū in periculis fortitudo, in iniuriis altitudo animi in laboribus patientia, in exquiſitiſſimis ſuppliciis, & acerbiſſimis cruciatibus inuicta conſtantia, creſcebat videlicet animus in ipſo certamine,& quò acrius illi cōtendebat,hoc diuinitùs auxilia maiora præbebantur, eóq; ſæpe animi robore & virtute procedebāt,vt furioſas tyrannorum minas,blanditias,vngues ferreos, pectines & alia crudeliſſima genera pœnarum delicias, mortis terrorem,ludum atque iocū eſſe arbitrarentur,& tanquam nobiles ac generoſæ aquilæ, citius vitam & ſanguinem profunderēt, quam prædam illam omnibus bonis cumulatæ vitæ,è manibus eripi ſibi paterentur, cuius dulcedinem atque ſuauitatem non animis modò percepiſſent, verùm quodam etiam tacito ſenſu deguſtaſſent. Tales fuerunt illi Petri,Pauli,Bartholomei, Simones,ceterique Chriſti Apoſtoli atque Diſcipuli: tales qui eos conſecuti ſunt Lini,Clementes, Cypriani, Gregorii, Athanaſij, aliique permulti,quos nullus metus infirmare,nullus labor defatigare,nulla pericula deterrere potuerunt. Hos imitata

ſan

ſanctiſſima regina, quantos effecerit proceſſos, quâ celeritate excurrerit, vel potius euolarit, quantò ſe ipſa mirabilior facta ſit, vos ipſe exiſtimabitis. viri ornatiſſimi, quādo illam cognoueris eius vitæ partem, quæ hodiernó die neceſſariò nobis explicanda eſt. Ego enim ſic intelligo, omnem beatæ Eliſabethæ vitam in quatuor diuiſā eſſe tempora, vnum pueritiæ, alterum matrimonij, tertium viduitatis, obitus ſupremum: quare in animo eſt, hanc ipſam temporum diſtributionem, ſic in eius laudatione ſeruare. Et quoniam de primis duobus, anno ſuperiore ſatis multa diximus, res ipſa nos hortatur, vt ad tertium tempus viduitatis veniamus. Vos, viri ornatiſſimi, quò hæc maiora vidētur, eò meliore ànimo noſtram orationem audire conuenit: neque quàm variè copioſéque dicantur attendere, ſed omnia ſuâ magnitudine metiri, nō verborum magnificentiâ. Etenim quod eſt ingenium tantum, quod tam credibile verborum & ſententiarum flumen, quæ tanta facultas orationis & grauitas, quæ maximæ & ſanctiſſimæ reginæ facta, omniū opinione præclara, diuino iudicio immortalitate digna. aliqua ex parte cōmemorare poſſit? quæ cùm omnium eſſet regina, ſic vixit, vt ſerua ſuorum eſſe videretur: quæ in ſumma

poteſtate manſuetudinem: in tanto faſtigio dignitatis, ſubmiſſioné in ampliſſimis copiis, amoré inopiæ; in tam copioſa familia, ſolitudinem anachoretarum; in regio ſtrepitu atque tumultu, montium & receſſus tranquillitatem retinere potuit: cuius in cœlum communéque patriã contentũ curſum, non adoleſcentiæ feruor deflexiti atq; æſtus, non ſenectutis effœtæ lenitudo quaſi flatus intermiſſio retardauit, quæ in matrimonio, ſanctiſſimarum matronarum diligentiam, in viduitate continentiã illuſtriũ viduarum aſſecuta eſt. Audite, obſecro, viri ornatiſſimi, audite diligẽter ipſa principia, iam hinc, quæ fuerit eius vita poſt mortem regis, conjicere vobis ac perſpicere licebit. Iam quartum & quinquageſimũ agebat annum Eliſabetha, maximis in rebus & honeſtiſſimis virtutum cœleſtium ſtudiis occupata cùm Dionyſius, quem illa ſemper mirificè coluerat & obſeruarat, non vt regina fortaſſe, at certè vt vxor optima, in grauem morbum incidit atque diuturnum. Quantum illa ceperit dolorm propter vitæ iam veterem atque omnium rerũ ſocietatem; hunc verò dolorem tantum quàm tulerit non modò patienti animo verùm etiã æquo & libenti, propter excellentem moderationem & exaggerationé mentis quàm

altiſſimam non eſt neceſſe dicere, res ipſa eiúſque facta declarabunt. Neminem veſtrum ignorare arbitror, quid ferè principes feminæ faciant in morbis periculóque maritorum, non alloquuntur, non intrant cubiculum, non ad limen accedunt, ſuo ſe gæneceo continent cum ſuis matronis & puellis, flent interdum atque eiulant, rogant vt ſe habeant, eos qui viderunt conueniunt nonnunquam diſcedentem mediũ, cõfectęq; lacrymis de virorum ſulute percontantur, & ſpe oblata recreantur, adempta cruciantur & anguntur: ſi quæ verò vehementiùs eos intemperantiúſque amant vbi iam ſpẽ nullam aut perexiguam reliquam eſſe ſentiũt, adeunt cum muliebri plangore atque vlulatu poſtremúmque complexæ ſemiuiuum cadauer, magis quàm corpus, valere iubẽt, atque inde exanimatæ inter ancillarũ manus auferuntur, intereà circumcurſant, obeúntque omnia honneſtæ feminæ virique primarij, quibus eſt omnis rerum domeſticarũ adminiſtratio permiſſa, illi verò miſeri iacent, ſine mente atque ſẽſu moriũtur, efflant animã, ab extremo cariſſimarum cõiugum officio excluſi, vt in hac tanta rerum humanarum varietate, & in tantis vitæ malis, tolerabilior aliquãtò mihi videatur cõditio & fortuna aratorum, quàm principũ,

quibus & ſolatium affert in morbis præſentis vxoris oratio, & in doloribus ſolicitudo ac diligentia leuamen, & officij debiti ſolutio in ipſa morte voluptatem. Cõferte nunc Eliſabethæ nobilitatem cum iſtarum iactatione, huius dignitatem cum iſtarum humilitate, copias cum tenuitate, modeſtiam cum arrogantia, ſubmiſſionem animi egregiam cum contumacia intolerabili, ſtrenuitatem cum ignauia, robur animi cum mollitie, non vt hanc cum iſtis comparetis, ne qua grauiſſimæ reginæ ſanctitati fieri videatur iniuria; ſed vt intelligatis inter feminas verè nobiles atque præſtantes,& iſtas quæ vanâ quâdam opinione efferuntur,quãtum interſit. Audierat illud Apoſtoli præceptum,immò Dei,præpoſitos eſſe viros vxoribus, conſiliorum omnium factorúmque moderatores, illis vxores in omnibus rebus morigeras & obnoxias eſſe debere,imperiũ virorum eſſe, vxorũ obedientiã: illos oportere ſtatuere, has obtemperare. Huius igitur iuſtæ ac legitimæ ſeruitutis perſoluendæ præclaram occaſionem, ſibi nihil cogitanti ablatam eſſe ducens,nõ etiam in regis periculo grauitatem retinere regiam conata eſt, non maiorem auctoritatis ſuæ, quàm pietatis & officij rationem habuit,& quæ ſponte ſuâ ſemper iſtas humanæ ſtultitiæ leges deſpe

deſpexerat, tum non ſpreuit modò, verùm etiam perfregit. Nuſquam à rege diſcedebat, vili veſtitu atque habitu aderat, ſedulò ac ſtudioſè miniſtrabat. Et principiò quidẽ Dionyſius iniquo animo ac moleſtè patiebatur; reginam tantum ſuſcipere laborẽ, quod iſtud eſt tam nouum ſtudium? quid ſibi vult iſta diligentia? quò mihi tuæ vigiliæ? quò tã aſſiduus labor? quò tam ſolicitæ concurſationes? an me interire parũ eſt, niſi tu mecum vnà, inſomnia & laboribus confecta pereas? reſpico, amabò te, ſenectutem tuam, cura valetudinem, ſerua te communi filio, qui orbatus parente ſuo, tuo conſilio & prudentiâ indigebat. Si mihi tuũ officiũ probare vis, cognita mihi ſatis & perſpecta eſt tua pietas: ſi ne quid mihi forte deſit, times, vides quàm multi, quàm officioſè, quã amanter mihi ſeruiant; ſin autem virum in hoc periculo deſerere te pudet; mihi crede non me deſtituis, ſed tum maximè iuuas & delectas, cùm quieſcis. mihi verò ne ipſa quidem morbi vis tam moleſta eſt, quam tuus ſudor. At illa, falleris inquiebat, falleris rex animo meo cariſſime, ſi has vigilias & labores mihi graues eſſe & moleſtos putas. Exſultat animus cùm cogito me tibi debitum officium perſoluere conari, ipſum corpus iam ætate tardum atq; hebes,

& exhauſtæ ſenectute vires, mihi hoc onere reiici renouarique videntur. ſi quid vnquam mihi tribuendum eſſe iudicaſti, hanc oro te, da veniam, vt hoc vnum in omni vita tibi negem poſtulanti. egóne, cùm te laborãtem videam & oppreſſum difficili ac periculoſo morbo, ab omni cura vacua, metus expers & laboris, in vtramuis aurem otioſa dormiã? & cùm illi nullam moleſtiã ſubterfugiant, nullum onus recuſent, nullum laborem declinent tuâ cauſſâ, quibus nõ tam cara debet eſſe tua ſalus, ego quidquam timeam, cui oportet eſſe cariſſimam? iube me mori potius, ſi me amas, nulla mihi mors acerbior, quàm intermiſſio officij, & iſta libera otioſáque ceſſatio. Hac, vel non multum diſſimili victus oratione Dionyſius, omnium rerum fecit poteſtatem ſui amãtiſſimæ reginæ, illa feſtinare, vltrò citroque cõcurſare cũ ancillis, adiuuare ſurgentem, iacẽtem cõſolari, pernoctare, aquã potioneſque præbere, afferre cibum, faſtidium triſtitiámque morbi leuare verbis, denique nihil omittere, quod diligens & officioſa vxor, quamuis infima fortunâ mariti laborantis gratiâ, vel facere deberet, vel poſſet. rex tamen Dei voluntate moritur. Quid cõmemorem ſanctiſſimæ reginæ tacitas animi cogitationes atque facta? quid

ex

exponam dicta plena grauitatis & prudentiæ? Aderat illi coràm, intuebatur regẽ animam agẽtem, & regem maximũ, & regem cariſſimum, quo cum multos annos coniũctiſſimè vixerat, cuius vitã redemiſſet ſua. Quis dubitet, quin tantum animo caperet dolorem, quantum poſſumus cogitare maximum? continebat ſe tamen, reprimebat animi motus, cohibebat lacrymas (tametſi diſſimulare ſæpe vix poterat) cohibebat tamen & coërcebat erumpentem fletum: & virum morientem, multis præſentibus, ardentiſſimis verbis confirmabat. Equidem, quæ erat eius mẽs, ſtatuiſſe credo ante oculos imaginem Chriſti pendentis in cruce, admonuiſſe vt in eam intueretur, & cũ dolore veniã peteret delictorum: non eſſe metuendum, ne cuius liberandi gratiâ cruciatus attrociſſimos & mortem indigniſſimam ſubiiſſet, ampliſſimâ & diuinâ maieſtate, cum ſupplicem à ſe reiiceret, & abſterreret in tanto periculo ſalutis. Hæc & huiuſmodi alia cùm maxima contentione & incredibili ardore flens ageret & vociferaretur, aliud intereà neſcioquid meditabatur, aliud cum animo ſuo conſiderabat, eâ ſe in te cõditione recordabatur eſſe natam; quemadmodum illum diſcedentem cerneres, ſic ſe, aut maiore etiam cum dolore de vita mi-

graturam:non copias, non honores, non opes & potentiam,non generis claritatem, non regna,non inſignia maieſtatis, aut repellere mortem, aut retardare poſſe, omnia,quæ hominibus magna viderentur, eſſe nihili, ſomnia delirantium & vmbrarum effigies inanes; id tantùm manere ſemperque māſurum,quod rectè quiſq; honeſteq; feciſſet. O beatos.ô felices homines, quib. nihil aliud agere,nihil loqui,nihil cogitare libet, niſi quod in hoc ſupremo certamine ſit præſidio futurũ! ô fortunatos, qui prorſus à ſe remouerunt omnia, quæ hunc animorum curſum è corpore,tāquam è carcere euolātium impedire ſolēt! Talibus mortis cōmentationibus inflammata maximi animi regina, cùm primùm Dionyſius animam efflauit,ſeſe in cubiculum ſuum repētè abdidit, ſecuta eſt vna de feminis, quæ cum ea ſemper eſſe conſueuerat,clauſæ fores. Quid expectatis?fletum aliquem, aut eiulatum fortaſſe, muliebremq; lamētationem?vt omnes à ſe reiiciat? vt repudiet cōſolatores?vt cibum introferri vetet? vt nullius orationem audiat?vt verberet os atque pectus?vellat crines?tendat in cœlum ſupplices manus,Dionyſiíque nomen implorās queratur humanam conditionem? vitæ inconſtantiam deploret? mortem ſuam cru-

cem

cem appellet? denique Deum atq; homines accuſet? leuicularum ſunt iſta muliercularũ: in quibus nihil eſt animi, nihil roboris, nihil neruorum. At iacuit diu miſerabiliter examinata dolore, mœrore perdita, deinde veſtimẽta mutauit, lugubres ſordes induit, vt in ſqualore atque luctu funus regis proſequeretur, humana iſta ſunt & inuſitata Eliſabethæ virtus & grauitas, integerrimique mores, nihil niſi nouũ, inauditũ, diuinũ meditantur. Quid igitur dicat aliquis, quid in tãto dolore, & in tam acerbo vulnere facere potuit? Exſpectate quàm vultis magnũ præclarumque facinus, maius erit quod dicam, opinione omnium. Exuit quas habebat veſtes potentiſſima regina, & in medio luctu de ſua ſalute magis, quàm de hominum ſermone cogitãs, vili tunicâ circundari ſe & veſti iubet, quali ſacræ virgines vtuntur, quæ in familia B. Claræ numerãtur, & funiculo quodam more earum & inſtituto cingitur. O commemorabilis fortitudo! ô prædicabilis vitæ conſtãtia! ô plus quàm virilis animi magnitudo! Ceteræ feminæ cùm ornatæ eſſe cupiant, & auro gemmiſque collucere; tamẽ morte maritorũ cogũtur miſeræ ſeſe ſpoliare ornamentis omnibus, inaures deponunt, armillas auferunt, annulos detrahunt, nudant collum monili-

bus,bombicinas aureáſque veſtes,pullis, & ſordidis commutant, & ſæpe fit, vt magis ereptum ſibi lugeant ornatum, quàm interitum virorum. At Eliſabetha cùm omnem corporis ornatũ ſuâ ſponte penitùs odiſſet, iisq; tantùm inſignibus vteretur, quæ viuo rege abiicere ſatis honeſtè non poterat, eo mortuo prorſus à ſe abiudicauit omnia & reiecit, non ſolùm animi æquitate ſumma; ſed etiam gaudẽs & triumphans,& omnem ſuam rationem ad illum morem viuẽdi cõtulit,quem à ſancto Franciſco, quem vnicè colebat ac venerabatur, inſtitutum eſſe cognouerat:vt cum adempto ſibi ſocio cariſſimo & optimo mœreret; tamen hac tantâ acceptâ plagâ,non exiguum ſibi lucrum feciſſe videretur,cùm liberiùs & duriùs multò,quàm anteà, iam matrimonij neceſſitate ſoluta viuere liceret. Si qua nunc, non reginã dico, non fœminam primariam,ſed ſi qua mediocris mulier idem facere vellet; Deus bone, quàm multa venirent in mentem,quæ à ſuis eam inſtitutis & cogitationibus abducerẽt,& iam iam abiectam contemptamque veſtem induẽtem ab incœpto reuocarent? Quid paro ſtulta? quid facio? egóne hoc ornatu in publicum prodibo! vbi dignitas priſtina? vbi honoris gradus? vbi exiſtimatio tantò labore collecta, quam

certè tueri neceſſe eſt? qui de nobis rumores, qui ſermones erunt totâ vrbe? non erit multò ſatius veſtitu quidem vti mulierum communi, viuere more paucarum? non lõgè tutius mediocritate habitus occultare virtutem, ſi qua eſt, quàm amictus inſolentiâ in nos omnium oculos atque ora cõuertere? hîc, prô Deum immortalem, qui timor? quantus æſtus? quanta dubitatio? quãtæ tenebræ cuiuis eſſent mulieri, horũ certaminum inſolenti? ipſa profectò inciperet timere, ne qua te Deũ ſibi conciliare magis conaretur, eò vehementiùs offenderet & alienaret. Quæ cùm videret regina ſanctiſſima, magno tamen & excelſo animo facilè contempſit. nullo negotio ſe ex his laqueis expedit, qui vel æternam mortẽ extimeſcit, vel immortalis ac beatæ vitæ cupiditate tenetur, vel amoris diuini flãmis ardet. Valeant, inquit, ornamẽta regia, valeat dignitas & auctoritas, valeant humanæ leges, de me quidẽ vt velint, & ſentiãt, & loquantur homines, ego tuâ cauſſâ, ô bone Ieſu, decus meum, ſolatium meũm, præſidium meum, abiicio libenter quidquid venuſtum & concinnum videri poteſt, & hanc ſqualidiorem & horridiorem tunicam circumiicio membris meis, vt te magis ipsâ humilitate & vtilitate delectẽ. Egóne cùm

te

te deſpectum ab omnibus videam, & innumeris contumeliis affectum meâ cauſſâ, timeam cõtemni tuâ?& cùm antepoſueris tu ſummam inopiam omnibus copiis, vt mihi ſalutẽ dares, ego vt te colam & ſequar, inſignia paupertatis perhorreſcam? offendet fortaſſe ſqualor hic oculos hominum, ſed te ipſâ nouitate recreabit:non deerunt qui noſtram inſaniã reprehẽdant,ſed tibi ſpero noſtrum hoc officium, quale idcumque demum eſt,gratum erit & iucundum. Intereà Dionyſius iam efferebatur, pompa procedebat,filius Alphõſus regni hæres,multique cum eo Epiſcopi ac Principes mœſti ſequebantur: cùm prodiit in funus Eliſabetha, Chriſti paupertate conſpicua: mirãtur omnes,optimates obſtupeſcunt, ipſe rex non parum diu animo perculſus hæret. veniunt tãdem in cœnobium virginum Ciſterſienſium, ædificatum ab ipſo Dionyſio magnificè non longè ab vrbe, vbi ſe voluerat ille ſepeliri. fiunt exſequiæ more regio, magno apparatu,ſolẽni precatione atq; ritu, illudque corpus regio iure ac maieſtate sãctum, & inuiolatum, quod tantis honoribus affectum erat dũ viueret, cõditur in breuiſſimo ſepulcro.Redierãt iam cæteri ferè domum, regina,cui negotium à rege datum erat, vt quæ teſtamento mãdaſſet exſequẽda confi-

ciendaq; curaret, cum ſuis ad monumẽtum fuit per aliquot dies, non tam ſolitudinem & viduitatem ſuam deplorandi, quàm illius animam iuuandi cauſſâ, ſi fortè igne purgante cruciaretur. Quibus illa nudis per eos dies veſtimenta non dedit? quos inediâ & fame perditos non ſuſtentauit? quibus pauperibus ſtipem non diuiſit? ſacra verò quæ ſingulis diebus pro Dionyſio mortuo fieri iubebat, erant penè infinita. Magnum eſt hoc & inſigne facinus animi fortis & excelſi: accipite aliud religionis eximię in diſſimili genere nihilo ſuperiore leui⁹ & quoniam hæc meliùs ex aliarum rerum contẽtione cognoſcuntur, quàm ipſa per ſeſe, ponite vobis ante oculos plurimarum morem & conſuetudinem reginarum: quę ſi ſummâ pietate ſunt, tamen intra parietes domeſticos ſunt piæ, nunquam non modò ex vrbe, ſed ne è cubiculi quidem vmbris emergũt: domi ſe continent, domi precantur, domi ſacraria, domi ſacerdotes, domi Pontifices habent, domi rem diuinam, domi concionem audiunt, quod ſi de loci alicuius, aut templi religione ad eas perfertur, in quo præſẽns alicuius Sancti ſæpe multis ſit oſtẽſum auxilium, etiam ſi non longè abſit, etiam ſi ex ipſo tecto proſpici poſſit, tamen per alios magis, quàm per ſe venerari ſolẽt,

&

& dona magnifica nō ipſæ deferūt, ſed per domeſticos ſuos mittūt. Eliſabetha, quamuis illa rerum diuinarum ornamenta atque ille apparatus domi non deeſſet, non ſatis habebat, viſere per alios, & ornare ſacra & religioſa loca, ipſa viſebat, ipſa venerabatur, ipſa præſens muneribus afficiebat nō ſolùm quæ erant proxima, ſed etiam quæ aberant quam longiſſimè. Eſt apud Callaicos ſancti Iacobi templum, de quo ſæpenumerò audiſtis omnes, nonnulli etiam fortaſſe vidiſtis aliquando, magnitudine ampliſſimum, ornamentis copioſiſſimum, antiquitate primum, auguſtiſſimum religione, celeberrimum omnium populorum nationumq; frequentiâ, vulgò prædicant, latere ſub eo tēplum aliud in admirandam altitudinē depreſſum, in quo iaceat ſacrum illud corpus Hiſpaniarum defenſoris, eiúſque faſtigio, quòd nunc viſitur & exſtat, eſſe nixum, neque iam à quoquam adiri poſſe, neque ſolere: & quidem omnes, qui adierunt, clariſſimè huiuſce rei veſtigia ſe vidiſſe confitentur. Itaque cùm apud maiores noſtros, vt accepimus conſtante famâ, omnibus qui veniſſent in ea loca, ſancti Iacobi corpus oſtenderetur, noſtrâ memoriâ nemo eſt, qui ſe vidiſſe dicat, imaginem tantùm eius quandam venerantur. Habet duas turres

res altiſſimas, quæ venientibus in ciuitatem, tribus aut quatuor millibus paſſuum ab vrbe primæ apparent, vbi primum boues cum plauſtro, quo beatus Iacobus vehebatur, pauliſper requierunt: quem locum vbi peregrinantes attigerunt, nixi genibus ad quandam ibi defixam & erectam crucem, intuentéſque templum incredibili gaudio Apoſtolorum ſalutant cum clamore, & lacrymantes præ lætitia, quanta pietate poſſunt, ſeſe reſque ſuas eius fidei tutelæque commendant. Ardent perpetuò in beati Iocabi cella ante aram maximam, pendētes è ſummo tholo, decem & ſeptem lychni ex argento mirabili opere & artificio perfecti, grandi pondere, quibus oleum adeuntium pietas & liberalitas abundè ſuppeditat. inter eos cernitur Emmanuelis munificentiſſimi regis Luſitaniæ donum, dignum regio munere, dignum hac copia, dignum illo templo atque illo maximo exterarum gentium conuentu lychnuchus eſt penſilis ex argento egregiè factus, tanto pondere, vt demitti funiculo & troclea non poſſit, vt ceteri; & per quoſdam gradus homines adſcendant ad lumen accendendum. habet quinque lychnos vitreos in quincuncem directos, quatuor in quadrum, vnum in medio, & quod eſt mirabilius, dies no-

ctéſ

ctéſque ardet eius impenſa, qui faciendum dedicandúmque curauit. Non aduenarum benignitatem expectat, vt ceteri, ſextertiûm quinque millia rex idem attribuiſſe dicitur in ſingulos annos, ex qua pecunia vir quidam Luſitani generis, eí negotio præpoſitus, duo vel tria millia ſolet accipere, operæ pretium & laboris ſui, reliqua in neceſſarios olei ſumptus impenduntur. Sedent parati certo loco Sacerdotes ad peregrinorum confeſſiones audiendas, multique diligenter expiatis criminibus, ſanctiſſimum Chriſti corpus accipiunt, præſertim in ſacello maximo & ornatiſſimo, quod á rege Gallorum factum & ornatum eſſe fertur: theſauri verò ſplendorem & copiam cuius oratio complecti póſſit? cella eſt ædificata magnificè, latè patens & excelſa, in qua ferè omnia, quæ ſancto Iacobo acciderũt in Hiſpania, efficta ſunt & expreſſa tãto artificio, vt muta ſigna viuere ac loqui parent, qui non viderunt. hîc integra corpora Sanctorũ, hîc alterius Iacobi caput, hîc innumerabiles aliæ ſanctiſſimorum hominũ reliquiæ incluſæ auro & argento religioſiſſimè ſeruantur. Ad omnes templi valuas ſunt manu facti fontes, in quibus & aqua ſiphunculis effluens, miſcet iucundiſſimum murmur, & crateribus non exiguis excepta

conti

continetur, vel ad aurium voluptatem idonea, vel ad vſus aduenarum neceſſaria, valuis verò maximis exaduerſum domus eſt hoſpitalis amplè & magnificè ornata, regum opulentiſſimorum opus memorabile, quales pauciſſimæ reperiuntur in Hiſpania, vbi & peregrini perhumaniter excipiuntur, & ægroti magnis impenſis diligentiſſimè curantur. nullæ ibi ſordes, vt in ceteris ferè rebus eius gẽtis, contrà, tanta mundities, quãta vſquam poteſt eſſe maxima, vt in eo Callaici ſui diſſimiles eſſe videantur. Huius templi ſanctitas tanta eſt apud omnes gentes atque nationes vt eo qui proficiſcuntur, non ſe ad ſancti Iacobi templum religioſiſſimum, ſed ad ipſum Apoſtolum proficiſci arbitrentur. Quanquam olim ante Lutheranorum factionem, qui ſanctis & ſolennibus ceremoniis omnium ſacrorum, ac religionib. publicis bellum impium atq; nefarium indixerũt, & hanc calamitoſam tẽpeſtatem, quæ per omnem Germaniã & multas alias prouincias longè lateque peruaſit, inſignior multò pietas erat illarum nationum & ardentiora ſtudia, ac multitudo longè maior ædem illam, licèt non tam ornatã fortaſſe, frequentabat. Itaque optimus illis repub. Chriſtianæ temporibus (tametſi, quo modo illa optima, quibus incredibilis iam

partus malorum exſtiterat) ſed tamen melioribus, quàm quibus nunc vtimur, etiam viri ſummâ dignitate & potentiâ hoc tantum itineris, atque hanc tam longam & tã difficilem peregrinationẽ, religionis cauſſâ ſuâ ſponte ſuſcipiebãt. Nam Carolum Magnum non adiiſſe modò, verùm etiam ampliſſimis muneribus locupletâſſe monumẽtum Apoſtoli, multi tradiderunt, & Ioannem Brennum ducem egregium, qui euocatus è Gallia, Hieroſolymę rex appellatus erat, & rerum ſummam illis in locis adminiſtrabat, eo voti cauſſâ veniſſe compertum eſt, & Guidonem Viennenſem Pontificem, qui poſteâ ſummum ſacerdotium adeptus Calliſtus ſecũdus appellatus eſt, ad idem templum olim acceſſiſſe conſtat, multaq; de eius religione cõſcripſiſſe. Certè vt qui terras alias nõ tam Salomonis templo, quàm Chriſti veſtigiis & cruore ſacras, ſic qui B. Iacobi religioſiſſimam ædem ſe viſuros eſſe vouerunt, per alium, quàm per ſummum Põtificem, voto ſolui nec fas eſſe, nec poſſe omnes ætates crediderunt. Itaque ne hanc quidẽ partem regina ſingulari pietate, ſibi relinquendam eſſe arbitrata eſt, quæ nonnihil & à muliebri fragilitate, & à ſenili tarditate, & à regia maieſtate videbatur abhorrere. Acceperat ſæpenumerò

quo

quo ſtudio, quâ alacritate, quo ardore ſuperioribus ætatibus homines, cùm Aegyptus & Syria tum eſſent in ditione Chriſtianorum & poteſtate, loca illa plena ſanctitatis viſere ſolerent, quæ generis humani liberator & vindex, vel diuinis quondam pedibus obiiſſet, vel innocenti ſanguine imbuiſſet, vel totius corporis veſtigiis conſecraſſet. illud etiam fortaſſe cognouerat beatā Paulam, quaſi alumnam S. Hieronymi doctrinæ fœminam eximiâ religione & continentiâ, cùm eſſet nobiliſſimis orta maioribus, & maritum amiſiſſet, reliquiſſe fratrem in Italia, reliquiſſe filiolum paruulum nubilemq; filiam lacrymantes in littore, nec eorum retineri ſolitudine, nec fletu retardari potuiſſe, & comitatam Euſtochio in Palæſtinam vſque contendiſſe, vt videret oculis, quæ audiens antè mirabatur. non tam longæ nauigationis laboribus refugiſſe animum, non iactationem maris & nauſeam timuiſſe, non maritimas tempeſtates eſſe veritam, non reformidaſſe repentinos impetus prædonum. Ergo tacita ſecum ipſe cogitabat, illa extremo tempore ætatis tātum laborem & moleſtiam non recuſauit, nos etiam breuiſſimū iter pertimeſcemus? illa dulciſſimos, cariſſimoſq;. liberos quibus tum erat neceſſaria maximè cuſtodia

& tutela matris, in perpetuum non videre ſuſtinuit, nos nec ad horā quidem à noſtris recedemus, qui minùs noſtrā operā & auxilium requirūt? illa non fortunarū, quas à ſe remouerat, ſed corporis, vnū ferè retinebat domiciliū, in locis religioſiſſimis collocauit, nos nunquā ad eas terras accedemus, in quibus apparent clariſſima veſtigia veteris illius ſanctitatis? equidem non poſſum non eos fortunatiſſimos prædicare mortalium, quibus licuit ſpectare oculis Nazarenas ſedes: luſtrare antrum illud omnibus regum tectis auguſtius, in quo vnicus Dei Filius, ſuſceptâ mortalitate noſtrâ natus eſt: contueri columnā, ad quam ille deligatus verberibus cæſus eſt: admirari crucis magnitudinem, atque pondus, non ſine dolore & lachrymis ſepulchrum venerari caſtellum illud aſpicere in quo à diſcipulis duob. cum panem partiretur, eſt cognitus, & in domū Cornelij Centurionis ingredi, vbi Chriſtus primùm Spiritum ſanctum multis inſpectātibus, in homines à Iudæorum ſacris & moribus abhorrentes effudit. Sed quando nunc omnia ſunt in poteſtate hoſtium Chriſtiani nominis, nec lōgiùs nobis, aut diutiùs hinc abeſſe licitum eſt, certè quæ poſſumus, & quæ ſunt illis ſanctitate proxima illa viſemus. Nondum erat annus, cùm Dionyſius è
vita

vita diſceſſerat, accerſit ſuos, ſeſe ad iter comparare iubet, proficiſcitur. iam aliquot dierum viam proceſſerat, iam Durium trãſierat, iam Minium ſuperarat, nemo tamen ex tanto comitatu aut quid ageret, aut quò intenderet, ſciebat, tametſi iam tum nõnulli fortaſſe partim ex eius vita & moribus, partim ex itineris ratione; ſuſpicabantur. ventum erat ad locũ illum, ex quo primùm ſanctiſſimi templi turres altiſſimæ proſpiciuntur, deſiluit ſubitò ad pedes grãdis natu regina, & mirãtibus cunctis, nec repugnare tamẽ audentibus, quod reliquum erat itineris ita confecit. Quis oratione conſequatur ardorem animi cœleſtibus ignibus flagrantis? quis verbis explicet illius excelſæ ac diuinæ mentis tacitos reconditóſque ſenſus ex illa Sanctorum admirabili ſuauitate delibatos? quis gaudia non humanitùs concepta, ſed in illud caſtiſsimum pectus incluſa diuinitùs, mente poſsit & cogitatione complecti? Méne has terras ipſas aſpicere, quæ olim Apoſtolum Chriſti maximum, ſudantem concurſantemque viderunt? méne hæc loca pedibus attingere, in quibus illius ſanctiſsima ſunt impreſſa veſtigia? méne ad illud templum accedere, in quo venerandum omnibus gentibus, & colendum corpus eſt conditum? Te te ſancte Iacobe appello, te

imploro, te mihi patronum & defenſorem adopto, ſuſcipe cauſſam tibi deuotę feminę flecte precibus tuis cõmunem in omniũ parentem, vt mihi in tantis vitę peccatis quotidianisque delictis ignoſcat. Hæc & alia multa, quæ ſentiri quidẽ animo & intelligi rectè poſſunt, verbis exponi perinde atque ſentiuntur, non poſſunt; non quidẽ vociferans, ſed tacitè cũ animo ſuo cogitans, templum intrat, veneratur altaria, ipſam imaginem Apoſtoli pręcipuo quodam exim ióque cultu, & honore proſequitur. Inde digreſſa, quamuis inuita, diuertit tamen ad curandum longo itinere fatigatum corpus, & moderato v ctu quietéq; reficiendum. Quantam attulerit lætitiam omnibus hominibus eius aduẽtus, qui cõcurſus totâ vrbe facti ſunt, quãta tenuerit omnem ciuitatem admiratio quá humanit.r & benignè, tecto atque domò viri principes inuitarint, ſuperſede o dicere in præſentia, vos tamen facilè coniicere & aſſequi poteſtis. Nõ multùm aberat S. Iacobi feriarum dies, qui eſt ante diem 8. Kal. Sextilis quẽ cùm illis in locis exſpectare decreuiſſet, intereà perluſtrabat omnia ſigna & monumẽta illius in Hiſpaniã aduẽtus, adſcendit in montem, in quo verſatus eſt viuus, cùm gentes illas ab impietate ſua reuocare conaretur tráſuit il-

las per media ſaxa perforatas & patefactas vias, quà ille aliquãdo cùm homines eũ inhumani, & barbari perſequerentur, ſolebat elabi: conſpexit & illa veſtigia, quæ ſubito ſe ex impiorũ telis atque oculis eripiẽs qui eum ſcelerato nefarieq; ferro cõñcere tentabant, in ſaxo expreſſa defixaq; reliquit, cõtuita eſt ingentem rupẽ, quæ cedens ſacrato corpori, ſæpe ſuo ſinu atque complexu ſacrilegos mucrones inimicorum Chriſti fugientẽ illũ excepit, & ſincerũ atque integrũ ab omni periculo cõſeruauit: illã quoque petram duriſſimã conſpicata eſt, quam pro lecto molli narrant viro ſanctiſſimo fuiſſe: vidit & lapidem grandem, ex quo ſæpenumero concionantem illum Celticæ gentes audierunt: conſtitit in eo loco ad quem nauicula cum ſacro cadauere & diſcipulis appulſa eſſe fertur, demerſumque in fluuium ac propè obrutum limo, ſaxum è ripa ſpeculata eſt, quod cutes à maioribus ſuis acceperunt corpus in terram expoſitum recepiſſe mollius, & quem homines viuum repudiarant, ei mortuo ſinum & quaſi gremium ſuum tribuiſſe. Atque in his ſingulis inſiſtens, & ſingula contemplans, non modò fletum & lacrymas non continebat, orãs Apoſtolum vt vitam ſuam & ſalutẽ à Deo Opt. Max. deprecãretur, ſed etiam (qui eſt

pietatis fructus multò maximus) ad omnia ferēda & perpetianda Dei cauſa vehementiùs incēdebatur. Hi ſunt labores non quos nos recuſamus magis, quàm ferimus; hæc vitæ pericula,non quæ nos circumſeptæ parietibus domeſticis timemus: hæc hominis Chriſtiani vita, non quam nos, diffluentes omnibus deliciis nobis confingimus. nos vmbram tātùm effigiémque perſequimur:illi virtutem ipſam animo quaſi manu comprehenderunt, nos hanc ipſam adumbratam ſimulatæ virtutis imaginem ſæpe ſinimus è manibus elabi : illi veram atque perfectam cùm tenerent, non priùs dimiſerunt, quàm bona illa ſempiterna ſunt adepti. Vtinam hoc mihi tribuas aliquando & cōcedas,optime Ieſu,vita & ſpiritus animæ meæ, vt in me reperiatur aliqua tantarum virtutum, ſi non perfectio, at conatus tamen atque adumbratio. Aderat intereà feſtus ille,ſolenníſque S. Iacobi dies, & regina peragratis omnibus in oppidum reuerterat,cùm Archiepiſcopus apparatu maximo fecit ſacrificium. interfuit illa gaudens atque hilaris:quo quidem tempore ſigni ſatis dedit, quo animo regiis ornamentis vſa eſſet, viuo Dionyſio.habebat coronam ex auro ingentem grandi pondere, multis clariſſimíſque gemmis præclarè diſtinctam ad aſpe

aſpectum, veſtes magni pretij, margaritis plurimis & gemmis collucentes, pocula ingentia tantâ varietate operum perfecta, vt ars certare videretur cum copia: omnia ſpõtè obtulit, & in ornamentis religioſiſſimi templi eſſe voluit. Magna vobis hæc videntur, admirandam hanc benignitatem eſſe ducitis, vix ſupra quidquam eſſe poſſe creditis: hìs tamen contẽta non fuit Eliſabethæ liberalitas. Deportarat ſecum iuſtum atque integrum Pontificis ornamentum ad rem diuinam faciendam. multum omninò aurum erat, multum argentum, multæ gẽmæ. attulerat alia dona quamplurima, digna illa ſanctitate, digna celebritate loci, digna potentiſſimæ reginæ munificẽtia: hæc etiam in Apoſtoli ſacrario reponi imperauit. Omnes qui aderant, mirari, obſtupeſcere, iterum atque iterum conſiderare, cupere, nequaquam poſſe ſatiari, exclamare, neminẽ vnum in omni memoria tam multa, tã copioſa, tam ornata S. Iacobo dediſſe dono. Poſtquam omnia ſunt ab ea veteri more ritéque perfecta, præbuit Archiepiſcopus in Luſitaniam reuertenti ſcipionem & peram, vt ipſo quoque habitu imitaretur illos, qui peregrinationes in ea loca ſuſcepiſſent. Quacunque faciebat iter, eò concurſus vndique maximi fiebant. nec modò ex ijs op-

pidis caſtellis, vicis, qua redibat, ſed etiam ex finitimis viſendi cauſſa conueniebant, neque tam mirabantur homines maieſtatẽ regiam & comitatum, quam facilitatem, & humanitatem, & religionis incredibilem amorem, cùm eam, cuius opes & potentiam ſcirent eſſe ampliſsimam, ornatu communi voti cauſſà peregrinantium tantoperè viderent delectari. illa venit Oliſsipponem, vbi cum Alphonſo filio & multis epiſcopis, anniuerſaria iuſta regi mortuo perſoluit. Ab ea vrbe rurſus profecta Conimbricã rediit, vt B. Claræ cœnobium, quod inchoatum habebat, perficeretúr. Quid hîc eam feciſſe dicam? quo nomine appellem tam nouum & inſigne facinus? vocem liberalitatem? nominem humanitatem? appellem caducarum rerum deſpicientiã? dicam ſtudium religionis & amorem? nuncupem animi quandam amplam propoſitionem & excelſam? omnia mihi optimè congruere conuenireque videntur. Habebat omninò multam pretioſam veſtẽ, auro & bombycino contextam, grande argenti optimi cælati, grande auri pondus. Quid, inquit, hiſce fiet tam multis rebus, tam pretioſis, tam magnificis? vtar ego? at aliud viduitatis ſolitudo, aliud huiuſce grauitas ætatis, aliud flagitat æternæ ratio ſalutis: idem li-

beris cognatiſque meis affinibus ? at his iſta ornamenta non deſunt, quibus etiam vereor ne nimis multa ſint.in veſtiario igitur, & armariis putreſcere patiar, & tineis vetuſtatéque conſumi ? at quàm multa nuda templa ſunt & inornata, quæ his copiis, licèt exiguis, collucere tamen & illuſtrari poſſent ? Iubet ad ſe vocari ſartores,aurifices, cælatores,vaſcularios:imperat fieri veſtimenta ſacra, calices, cruces, thuribula,acerras,candelabra, lychnuchos,penſiles, & ornamenta cetera quorum eſt in ſacris aliquis vſus. quæ partim attribuit cœnobio, quod ædificabat, partim in omnia templa Luſitaniæ æquabiliter diuiſit, nõnihil etiam ex coronis & monilibus,nurui ſuæ, nõnihil neptibus,nonnihil Mariæ reginæ Caſtullæ, & Leonoræ reginæ Aragoniæ, multiſque aliis principibus feminis, quæ cognatione nomen eius & genus attingebant,benigniſſimè largita eſt. vt in ſeueriſſima vitæ diſciplina, morum facilitatem & comitatem retineret.At domum quidem illam cũ templo quàm libenti animo, qua pietate, quãto ſtudio religioſis virginibus ædificaret,quæ B.Claræ inſtitutis, Chriſto ſe in ſeruitutem adduxiſſent, quæſo cognoſcite. Eam vnam ob cauſſam venerat Conimbricã, plurimos ſtructores,plurimos fabros,tignarios vndique

quæ conuocârat nuſquã diſcedebat, nuſqu- diggrediebatur, nuſquam deflectebat oculos, vt opus inflammatis omnium animi eius præſentia maturaretur: hæc tamen e lenta nimis & tarda videbantur: ædes ſibi fecit, & ſuis inproximo, quæ etiam nunc extant, & viſuntur vt ad virgines adire ſæpius, & inſtare fabris vehementiùs, & ædificationem illam perficiendam diligentiùs curare poſſet. Addebat plus in dies ad redditus annuos augebat numerum mulierum ſacrarum, quas tam ſtudioſè tuebatur, vt earum commoditatem ſaluti ſuæ anteferret. Si vnum aliquem de ſuis virũ ſtrenuum, & harum rerum intelligentẽ ac peritum, quem & diligentiſſimè curaturum, & omnes partes ædificij ſcientiſſimè deſcripturum, & operas ad laborem acriter hortaturum eſſe conſideret, ei negotio præpoſuiſſet, ſi imperaſſet, ne opus vnquam intermitti pateretur, ſi abſens per literas de totius ædificij ratione & progreſſu, & pulchritudine fieri certior crebrò voluiſſet, hanc curam opinor, magnam & inuſitatã eſſe duceretis: nunc verò cùm opulentiſſima regina in illo loco ac penè in ipſa ædificatione cœnobii domicilium ſuæ ſenectutis collocarit, non vobis videtur hanc vnam curam omnibus reliquis curis antepoſuiſſe? O fortuna

tunatiſſimos parietes! ô recta ipſa beatiſſima quæ talem præſidem habuerunt & magiſtram! ô vrbem feliciſſimã! ô mœnia florentiſſima, quæ nouo exemplo reginam potentiſſimam, quaſi prȩfectam fabrũ architectantem, & imperantem opera viderũt! Sed quam in his ædibus vitæ rationẽ inſtituerit operæpretium eſt audire. Equidem viri ornatiſſimi principio ſubtinere cœperam, ne vobis quibus minimè velim moleſtus eſſem, ſi diutius quam par eſſet in tantis caloribus prefertim retinerẽ. verũ nunc humanitas veſtra mihi facit animum, ſilentium adimit ſuſpicionem, ſtudium, & alacritas pellit timorem. Nam cum tanto fauore omnium quaſi ſecundis ventis hactenus delata ſit oratio mea, verendum non eſt, ne ſi excurrerit paulò longiùs, vbi nos ille defecerit curſum tenere non poſſimus. res erit digna veſtris auribus, admiratione plena, expectatione maior, ne vobis longior quàm velitis, videatur, elaborabimus. Memoriâ tenere credo pleroſq; veſtrũ ex priore oratione, quâ fuerit in omni ratione victus tẽperantiâ quâ continentiâ quàm ſæpe ſe à cibo ſuâ ſponte abſtinuerit, viuo Dyoniſio. Fuit hæc in B. Eliſabetha virtus egregia nõ ſolùm in illo iuuentutis robore, ſed in hac etiam inbecillitate ſenectutis, nec ſanè im-

me

Abſtinentiæ laudes

meritò ac ſine cauſa tā ſtudioſa fuit huius abſtinentiæ non modò rerū humanarū verùm etiam diuinarum prudētiſſima regina. Eſt enim in hac virtute tāta vis, tāta dignitas, tantus ſplendor, vt ſine ea ceteræ nec elucere, nec cohærere queāt, & quod eſt cōmune virtutum omnium, huic vni tanquā proprium & ſuum tribuatur. Hæc eſt veluti fideliſſima nutrix integritatis, firmiſſimum præſidium ſalutis ſempiternæ, quædā quaſi arx munitiſſima cum omnibus vitiis pugnare cupientium, & fortiſſimorum Chriſti militū clauſum ad omnes aditus, caſtellum, quod qui tenuerunt, vti oportebat, facilè furorem teterrimorum hoſtium eluſerunt, reprimit enim corporis libidines, tuetur & cuſtodit caſtitatem auocat mētem à curis viliſſimis fluxarum rerum, ad diuinas & æternas contēplandas cōuertit, diminuit de onere, quo illa deprimitur ad terras, auget curſus in ſempiternam illā domum celeritatem: magnificè ſentientes & loquentes de ſe compeſcit: ſubmiſſe ſe gerentes, & ſui cognoſcentes excitat, ſuperbiam & cōtumaciam contundit, alit animi ſubmiſſionem & modeſtiam, ſatisfacit Deo de peccatis & maleficiis admiſſis in poſterum ne plura committantur, obſtat: offenſionem illius magni patris, ſi quam habemus; delet:

ſi

ſi quem timemus, vitat: corporis valetudinem ſuſtentat, mentis ſordes eluit, ſtultam & ſcurilem loquacitatem repudiat, ſobriam & moderatã orationem ſemper amplectitur: deniq; vt omnia paucis comprehendã, omnium vitiorũ fluctus à noſtra pernicie depellit, pectus omnium virtutum moderatione tranquillat, diabolos exterret, cœleſtes recreat, placat mũdi huius fabricatorem, & ſcelerum vindicem ſeueriſſimũ. Eſt verò ſtolidus atq; amẽs qui ſine huius præſidio virtutis conſequi ceteras, & indomiti corporis tanquam feroci & exultantis eculei effrenatos impetus cibi copiâ & bonitate atq; in omni indulgẽtiâ retardare ſe poſſe confidit, mens enim immoderato obſtupefacta potu atque paſtu, nihil magnũ & excelſum cogitare poteſt, & diſtentus cibo vinóq; venter ad ſupera & cœleſtia euolare conantem cogitationẽm obiicit ad libidinem. Itaq; ſeruator ille omnium gẽtium Chriſtus Ieſus tùm omnes appetitiones haberet ſua ſponte obedientes rationi, tamen vt nos doceret, ſi quando reluctantes relinquere & abiicere conarentur obedientiam, quo pacto poſſemus eas rationi præbere ſubiectas, prius quàm ad inſtituẽdos homines aggrederetur, quadraginta dies, & totidem noctes in vaſta ſolitudine ita vixit, vt

nihil

nihil vnquam cibi caperet, neque potionis. Quod cũ illi veteres incolæ ſolitudinis, & habitatores auidiùs arripuiſſent, Paulos dico, Antonios, Hilariones, Arſenios, Hieronymos, quãdo nullo prorſus viuere non poterant, certè tã modico, & tam tenui victu vtebantur, vt nunc eorũ continẽtia propter homines magis, quàm propter rẽ credibilis eſſe videatur, elixum, aut aſſum aliquid capere, luxuriem intolerabilem ducebãt: alij tertio aut quarto quoq; die, ſucco herbarũ, aut paucis caricis ſemimortuum corpus reficiebant, alij pane tantùm & ſale ſeſe tolerabant: alij perpauculis cariotis alebant frigida membra alij hebdomadarum inedia carnis laſciuiam & appetitus furorẽ ſuperare contendebant, atq; omnes eodem ſtudio & ardore in exercitu Chriſti militãtes, ſimulacrum corporis magis, quàm corpus ægrè trahebant. Horum virtutem egregiam admirabatur Eliſabetha, horum vitæ rationem animo ſuſcipiebat, horum facta felici ac beata immortalitate digna quoad poterat, & aliquãtò etiam ampliùs, quàm quantum poterat, imitari ſtudebat in vltima ætate. Anteà non quoties vellet, licebat ei per regẽ à cibo ſe continere, poſt illius mortem, quoties, & quandiu ei videbatur, abſtinebat, Iam in ſenili corpore reſtixerat

ſtixerat

frixerat ille calor iuuenilis, iam longâ meditatione multiſque ieiuniis, appetitiones longius euagantes repreſſerat, iam obtemperabant omnia rationi,& tranquillus animus omni perturbatione carebat;tamen verebatur ne fera & indomita beſtia rediret ad ſe atque ad mores ſuos, & exhauſtis ſenectute viribus,non extraordinariis modò cupiditatibus exquiſitos cibos,ſed etiã ipſi naturæ ac neceſſitati debitũ victum denegabat, & quam à quibuſuis hominibus Eccleſia ſemper accepit excuſationem ætatis, eam à ſe ipſa nõ accipiebat regina, iam annos ferè ſexaginta nata.Omne verò diurnũ nocturnúmque tempus quemadmodũ haberet diſtributum, non tã difficile dictu eſt quàm iucundum auditu. Habebat circum ſe quinque feminas ex B. Claræ familia; cum his de nocte multa vigilabat, recitabat matutinas preces, deinde ad primam & multo mane in ara,quam ſecum ipſa portabat, quocunque iret, ſacrificium voce ſubmiſſa facientem ſacerdotem diligenter & attentè audiebat, quâ pietate animi, quâ numinis diuini reuerentiâ, quo dolore cruciatus & mortis Chriſti, quo etiam ſæpe fletu, faciliùs vos cogitatione depingere, quàm ego verbis commemorare poſſum. Ibi non ſua ſolùm, verùm etiam omnium hominum

nihil vnquam cibi caperet,neque potionis. Quod cũ illi veteres incolæ ſolitudinis, & habitatores auidiùs arripuiſſent,Paulos dico,Antonios,Hilariones, Arſenios, Hieronymos,quãdo nullo prorſus viuere non poterant,certè tã modico, & tam tenui victu vtebantur,vt nunc eorũ continẽtia propter homines magis,quàm propter rẽ credibilis eſſe videatur,elixum, aut aſſum aliquid capere,luxuriem intolerabilem ducebãt: alij tertio aut quarto quoq; die, ſucco herbarũ, aut paucis caricis ſemimortuum corpus reficiebant,alij pane tantùm & ſale ſeſe tolerabant: alij perpauculis cariotis alebant frigida membra alij hebdomadarum inedia carnis laſciuiam & appetitus furorẽ ſuperare contendebant, atq; omnes eodem ſtudio & ardore in exercitu Chriſti militãtes, ſimulacrum corporis magis, quàm corpus ægrè trahebant. Horum virtutem egregiam admirabatur Eliſabetha, horum vitæ rationem animo ſuſcipiebat, horum facta felici ac beata immortalitate digna quoad poterat, & aliquãtò etiam ampliùs, quàm quantum poterat, imitari ſtudebat in vltima æta te. Anteà non quoties vellet, licebat ei per regẽ à cibo ſe continere, poſt illius mortem, quoties,& quandiu ei videbatur, abſtinebat, Iam in ſenili corpore reſtixerat

frixerat ille calor iuuenilis, iam longâ meditatione multiſque ieiuniis, appetitiones longius euagantes repreſſerat, iam obtemperabant omnia rationi,& tranquillus animus omni perturbatione carebat;tamen verebatur ne fera & indomita beſtia rediret ad ſe atque ad mores ſuos, & exhauſtis ſenectute viribus,non extraordinariis modò cupiditatibus exquiſitos cibos,ſed etiã ipſi naturæ ac neceſſitati debitũ victum denegabat, & quam à quibuſuis hominibus Eccleſia ſemper accepit excuſationem ætatis, eam à ſe ipſa nõ accipiebat regina, iam annos ferè ſexaginta nata.Omne verò diurnũ nocturnúmque tempus quemadmodũ haberet diſtributum, non tã difficile dictu eſt quàm iucundum auditu.Habebat circum ſe quinque feminas ex B. Claræ familia; cum his de nocte multa vigilabat, recitabat matutinas preces, deinde ad primam & multo mane in ara,quam ſecum ipſa portabat, quocunque iret, ſacrificium voce ſubmiſſa facientem ſacerdotem diligenter & attentè audiebat, quâ pietate animi, quâ numinis diuini reuerentiâ, quo dolore cruciatus & mortis Chriſti, quo etiam ſæpe fletu, faciliùs vos cogitatione depingere,quàm ego verbis commemorare poſſum. Ibi non ſua ſolùm, verùm etiam omnium hominum

peccata deflebat: ibi à Deo deprecabatur ne ſe aut quemuis alium à rectæ vitæ curſu deflectentẽ, diutiùs per ſalebras vitiorum ſineret errare, ibi cruciatus grauiſſimos indigniſſimamque necem Chriſti ponens æterno patẽti ante oculos, quaſi pro ſuo iure contẽdebat, ſi filium illum ſuũ agnoſceret, ſi vnicum, & omnibus ſibi rebus æqualẽ natum diligeret, ſi olim eum pro generis humani libertate ac ſalute obieciſſet impiorũ telis, & morti crudeliſſimæ, nec tantos illũ labores, nec tantã ignominiã fruſtra ſubiiſſe pateretur. Quòd ſi leue vobis hoc, & exiguum videtur, quia reges omnes ac reginæ quotidie ſanctiſſimis myſteriis adeſſe ſolẽt, cõferte quæ diximus cũ iis quæ vulgò videtis, ita facillimè cognoſcetis, quantum interſit. At certè omnes veræ virgines omnium familiarum ſicut oportet, hoc faciũt, & ipſa etiam Eliſabetha iam antè faciebat, Audite obſecro cetera, viri ornatiſſimi, vt quemadmodum non modò mulieres religione Sanctorum conſecratas, verùm etiã ſe ipſa vicerit, intelligere poſſitis. Vix peractum erat illud ſacrificium, cum ſe in ſacellam conferebat, Præſtò erãt ſacerdotes, qui cùm ſolenni cæremonia atque cantu, facerent rem diuinam pro rege mortuo, deinde cùm illi alternis verſiculis præeuntes

ac reſpondentes ſtatas pro Dyoniſio precationes, flebilibus modis concinerent, omnes qui aderant, Deũ verbis ſupplicib. orabant, vt eius animam igne purgante liberatam acciperet illis beatorum ſedibus iucũdiſſimis. S. Thomæ Aquinatis viri ſummâ doctrinâ & ſapiẽtiâ, tantã fuiſſe pietatẽ cõmemorant, vt ſingulis diebus ipſe ſacrificaret, & ſacrificanti ſacerdoti ſedulò ac ſtudioſè miniſtraret: quod cùm audimus aut legimus, quo amore incendimur? quo efferimur ſtudio, qua lætitia exultamus? vt nonnunquam etiam, quod fieri nullo modo poteſt, illis vixiſſe temporibus, & ſãctiſſimi viri os atque vultum vidiſſe peroptemus. At Eliſabetha cum tam commemorabilem pietatem cõſecuta eſſet, & hoc vno ſuperari videretur, quod cum mulier nata eſſet, ſacrum vt ille, facere non poſſet, quod de rei dignitate diminutum erat, id numero conpenſandũ eſſe duxit Nunc homines vel feſtis diebus, vel vni ſacro intereſſe moleſtũ & graue arbitrãtur, illa tribus aderat quotidie iidem illi ſacerdotes, vbi pro Rege Deo ſupplicarant aliud ſacrificiũ inſtituebãt, vt temporis & cuiuſq; diei ratio poſtulabat in eoque ſi quæ feriæ celebrarẽtur concio ſemper aliqua de rebus diuinis habebatur. Omnibus precationibus ad om-

nes horas publico ritu decantatis, regina cũ ſuis comitibus ad tertiam, ſextã, & nonam recitabat. Tum demum nõ ſine dolore diſcedebat, & temperato victu corporis vires reficiebat. ſcilicet expleri nõ poterat, quam diu ſe longè abeſſe videbat illius patriæ cæleſtis deſiderio, & illius ciuitatis gaudia, triũphos recordans, naturam ſuã & neceſſitatẽ ipſam obliuiſcebatur, & quo magis de Deo cogitabat, eò vehementiùs eius conſpectu frui cupiebat. Poſteaquàm cibo & potione fames ſitisque depulſa erat, quod pleriq; tempus vel ſomno vel ſcurrilibus iocis, vel anilibus ineptiis, vel cantorum & tibicinũ voluptati debere cenſẽt? ſanctiſſima regina architectos & operum præfectos accerſebat, audiebat, ædificationis totius reddentes & exponentes rationem, quod in rẽ eſſe exiſtimaret imperabat. Erat hoc ingenio ſapientiſſima regina, nihil vt ædificaret, cuius non ſpeciem quandam & formam pulcherrimam animo conprehenſam contineret: quam intuens, in eaque defixa, ad illius ſimilitudinem architectorum, artificum & opificum manus dirigebat. Mirabátur præfecti, artifices obſtupeſcebant, omnes incredibile putabant, cùm ab vna femina, & quæ fieri opporteret ſapientiſſimè conſtitui, aptiſſimè diſtribui, elegantiſſimè deſcribi

ſcribi, & quæ parum bene perfeciſſet, prudentiſſimè corrigi viderent:tam intelligẽs in hiſce rebus erat, tam eximium quendam ſenſum in omnibus habebat. His dimiſſis, omnium poſtulatis audiendis benigniſſimas aures & patientiſſimas accommodabat. tum ab hominibus cuiuſque modi quã plurimi libelli ſubiiciebantur. Ingens erat multitudo virorum & mulierum, volũtates variæ, ſtudia diſſimillima, alius aliud petebat. mihi hoc beneficij gratiæq; cauſſa cõcede, mihi liberiſque meis ad ſubleuandam inopiam iube aliquid dari, huic cœnobio nõnihil eroga, illud tẽplum exorna, illi pupillæ miſeræ & egẽti ſubueni, illam viduam tuere, illũ ægrotũ impera curari. Quibus illa pro re, pro loco, pro tempore, pro perſonis, pro numero, mirâ quâdam prudentiâ & liberalitate, & animi æquitate reſpondebat in eóque vehementer elaborabat, & facilè ſenſu quodam, ac ratiõne loquendi conſequebatur, vt omnes à ſe cum bona gratia dimitteret. Non hominum tenuitas, nõ ſordida veſtis & lacera, non viduarum & pupillorum ſolitudo, non paganorum ſqualor & puluis, non morborum pallor, ne vlcerũ quidem teterrimus fœtor ab eius domo & cubiculo excludebatur. Ad veſperam expeditis confectiſque negotiis in cubiculum

ſe recipiebat, ſui colligendi cauſſâ: quid hîc ſola faceret, quid ſecū meditaretur, quid agitaret animo, quæ ſuſpiria, quos gemitus ederet, quas lacrymas effunderet, quàm humiliter Deo ſupplicaret, vos ipſi, viri ornatiſſimi exiſtimare nō difficilè poteſtis. Erat circumcircà ſolitudo, locus omni ex parte ſeptus, vt nec videri poſſet, nec audiri, tempus precibus idoneum, & ſuperarum rerum commentationibus atque cœleſtiū, deſiderium Dei atque illius beatiſſimæ ciuitatis intolerabile, dolor exſilij triſtiſſimus grauiſſimusq; mœror, vt minimè mirandum ſit, nullam tum potuiſſe partem capere quietis hinc rurſus cōtendebat in ſacellū auditiſq; veſpertinis precationibus, quas eis ſacerdotes ſolēni ritu pro tempore, vel paululū demiſſa voce recitabant, vel perquàm ſuauibus modis concinebant, ipſa cum religioſis mulieribus eaſdē voce ſubmiſsâ peragebat. Veniebat ad cœnam, niſi fortè ieiunij dies eſſet (erāt autem ei, vt oſtendimus ſuperiore anno, fere omnes) deinde recitatis ſupremis cuiuſque diei, & ſolēnibus pro mortuis precationibus, ipſa in cubiculo ſuo remanebat, illæ verò quinque ſociæ ſe in ſuo includebāt. neque verò tota quieti ſomnoque dabatur; ſed bonā partem eius temporis, quod ipſa natura videtur omnibus animantibus ad requieſcendum conceſſiſſe, illa in acerri-

ma cogitatione & labore collocabat. O quoties nimis mollem,& delicatam eſſe vitam illam ſecum ipſa querens, exſiliebat è lectulo,& ętate graue corpus in vili duroq; ſtrato proſternebat? quoties è ſomno vigilantibus excitata curis, ſeminuda membra abiiciebat humi, gemenſque grauiter, cum fletu & lacrymis,magno animi dolore atq; ſenſu, miſericordiam & auxilium diuinum implorabat?quoties erecto vultu tendebat in cœlum ſupplices manus? quoties rurſus ad pedes imaginis Chriſti ſuffixi cruci iacebat ſine mēte atque ſenſu,quoties ſe ipſa, quoties ſuos,quoties Luſitaniæ regnū,quoties regis animam, verberans pugnis ſenile pectus atque eiulans, illi mundi creatori & parenti commendabat? quoties legendo, quoties precando ſomnum vrgētem repellebat,donec defatigata labore membra, etiam inuito animo multumque reluctante, ipſa ſponte ſua collapſa quieſcerēt? quoties verò poſt diuturnum eiulatum, & mœſtiſſimas querimonias exſultare ſibi videbatur inter choros Angelorum, & incredibili voluptate perfuſa, & diuina ſuauitate liqueſcens tacita clamabat: *Oleum effuſum nomen tuum,ideò adoleſcentula dilexerunt te,Trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum. Fundamenta eius in mōtibus Sanctis,dili-* Cant. I.

Pſal. 86. *git Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob. Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei Si*
Pſal. 136. *oblitus fuero tui Hieruſalē, obliuioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis. ſi non meminero tui, ſi non propoſuero* Hieruſalem *in principio lætitiæ meæ.* Cuius oratio narrare, qui ſenſus percipere, quæ mens aut cogitatio capere valeat illius animi diuini gaudia cœleſtia, non ex hac humilitate noſtra neque ex rerum labentium iucunditate orta, ſed ex altiſſima illa domo, beatorumque triumphis ac lætitia perpetua quaſi deriuata? Nolite exiſtimare, viri ornatiſſimi, cùm integerrimi homines in hoc tam exiguo vitæ curriculo, & tam breui omnes delicias reſpuunt, omnia quæ iucunda ſunt, repudiant, omnibus cum voluptatibus corporis bellum gerunt, multis magniſque ſe in laboribus exercent, contentiones grauiſſimas ſuſcipiunt, ſubeunt fortunarum & capitis dimicationes, nullâ eos, vt id faciant, voluptate commoueri, nullâ dulcedine teneri, nullâ ſuauitate duci. Nam ſi crudeliſſimus ille generis humani hoſtis tantâ delectatione perditos ac profligatos homines in illa impuritate vitæ demulcere poteſt, vt extincto omni animi lumine ad interitum ruant voluntarium: quâ indulgentiâ, quibus deliciis, quibus blandimentis Deum

Opt. Max. probos & moderatos in ſumma honeſtate vitæ delinire ſolitum creditis? quâ voluptate allicere? quâ iucunditate retinere? Aperit interdum ille ſuæ dulcedinis immenſæ atque infinitæ fontes, effundit tanquam flumina quædam æternarum voluptatum, non quibus conniueat ſopita virtus, ſed quibus renouata difficiliora moliatur. Quarum ſi guſtum aliquem nobis præberet aliquando amantiſſimus ille noſtri parens, immò ſi nos vllum earum ſenſum haberemus, non ita corrupti caducarum rerum blandimentis, flueremus mollitia, conſeneſceremus otio, deliciis liqueſceremus, & illam ſempiternam ciuitatem, cuius omnes nos ciues ſumus, ſi modò homines ſumus, contento curſu, acerrimo ſtudio, animis inflammatis peteremus. Sed vt eòdem vnde huc digreſſi ſumus reuertatur oratio noſtra, cùm ita viueret Eliſabetha, cumque grauiſſimis in rebus & maximis omne tẽpus etiam nocturnum poneretur, non ludorum ſpectaculis, non leuitate ſaltantiũ, non conuiuiorum magnificentiâ ſe oblectabat, ſed ſi quando opus erat, ita relaxabat animum, vt à ſanctiſſimæ reginæ pietate nihil abhorreret ipſa remiſſio. Memorare poſſem in præſentia, quàm ſæpe ad virgines miniſtras B. Claræ ſe conferret: quàm multos

dies commoraretur apud illas in ædicula, quàm iuxta ianuã cœnobij ſibi iuſſerat ędificari, quemadmodũ vnà precaretur, vnà cibũ caperet, vnà viueret, neq; gratius quidquam haberet quàm inter mulieres religioſiſſimas verſari. Poſſem exponere quanto ſtũdio inflãmaretur & amore, cùm illas omninò ſe Deo deuouiſſe ac religiõni addixiſſe cogitaret: quã grauib. verbis, quã ſapientibus ſententiis; quantâ contentione animi eas hortaretur, vt ſe Chriſto ſponſas fideliſſimas & caſtiſſimas exhiberent, vti promiſiſſent. quibus rebus illa quantoperè delectaretur, vel ex eo cognoſci perſpicique poteſt, quòd cùm eius quædam ſororis filia, quam ſecum habebat eum nonnullis æqualibus ſuis fœminis primariis, captâ pulchritudine virtutis, honoribus facultatibúſque ſuis, omnibúſq; rebus humanis remittere nuntium conſtituiſſet, experta diligenter earum conſtantiam libens & gaudens ſe ſe beatæ Claræ addicẽdi fecit poteſtatem. Verùm hæc omnia quæ ornatiſſimè diu, & iucundiſſimè audiri potuiſſent, prætermittam libenter hanc tantam laudum faciam iacturã, modò ne vobis ſim moleſtior, quã intelligo me neceſſariò futurum. Venio ad illa, quæ cùm ſint vna ex omnibus, quæ fecit longè maxima; tamen certum præfe-

nitumq; tempus non habebant, ſed erant vt ſangnis in corporibus, ſic illa in perpetuâ vitæ ratione fuſa. Omnes homines tenebat ſingulari quâdam beneuolentiâ cóplexos, quâtum poterat ingenio & induſtriâ, quantum copiis & poteſtate perficere, quantum viribus & labore contendere, tantùm faciebat vt omnes ordines, omnes ætates, omnes ſexus adiuuaret, ſi quam ab aliquo iniuriam accepiſſet, non ſolùm ignoſcebat facilè, ſed ne ſibi quidem ſatisfieri volebat, erátque tantâ in condonando & prętermittendo lenitate, vt iraſci nullo modo poſſe videretur. Quis illam vnquam ferociùs alicui vidit minitantem? quis paulò acerbiùs loquẽtem audiuit? quis animo commotam vehementiùs aſpexit? dabat vtilia & ſalutaria conſilia permultis, nullum laborem, nullum certamen, nullos ſumptus recuſabat, modò vnus aliquis emergeret aliquando ex ſuis ſordibus, & ſe ad frugem bonam, vt aiunt, vt reciperet: monendo, obiurgãdo, animaduertendo hominũ prauitatem corrigebat: eos, qui in luctu mœroréque iacebant, conſolábatur, & animorum ægritudini ſapientiſſimâ oratione medicinam faciebat? incredibilem hominum peruerſitatem quàm humaniſſimè ferebat: aſſiduè pro cunctis Deo ſupplicabat, maximè pro

iis quos huius opis magis indigẽtes eſſe cõgnouiſſet ſubleuabat eorum calamitatem, qui in vinculis & carcere ſeruabantur, alebat inopes, captos ab hoſtibus redimebat, præbebat veſtimenta nudis, accipiebat peregrinos hoſpitio, atque vt etiam abiecta cadauera, in quibus nihil erat reſiduum, neque mẽtis, neque ſenſus, humanitatem eius experirentur, ipſos mortuos ſepeliebat. erat illa curſum tenentibus comes, errantibus magiſtra, pupillis parens, viduis præſidium, incitamẽtum bonis, improbis terror, ſecundis in rebus ſocia; conſolatio in aduerſis; ad caſtigandum tarda, prompta ad remittendum; patiens in iniuriis, in honoribus non inſolens. at eius domus perfugium miſeris, portus iactatis, ſolatium deſperatis, horreum egentibus, nutrix fama perditis, cella penaria ab omni fortuna derelictis. Quæ ſi vobis omnia ſingulatim explicarẽtur, quem finem aut quem modum noſtra inueniret oratio? duo tantùm commemorabo facta magna, præclara inſignia, quorum laus præſtans & egregia meo iudicio, cum duorum Sanctorum excellente laude cõtendit: de quibus dum breuiter dico, reficite, quæſo, viri ornatiſſimi, veſtros animos, redintegrate iucundam memoriam beatorũ, ſtudium illud veſtrũ audiendi renouate; quod nobis

nobis adhuc ſingulare tribuiſtis, & ad veterem benignitatem veſtram & amorem hoc adiicite. vt hæc pauca, quę reliqua ſunt, diligenter velitis attendere de B. Clara virgine maximi animi, ſummæ continentiæ, inuſitatæ ſanctitatis omnes audiſtis, fuit per idem tempus Eliſabetha filia regis Pannoniorum, ſoror auiæ huius Eliſabethæ, cuius hodie feſtũ diem celebramus, mulier admirabili religione, integritate, innocẽtiâ, inde vſque à prima pueritia, quæ virum, cũ eam pater Ludouico Turingiæ comiti collocauiſſet, ſedulò monẽdo & hortando tranſtulit ad ſuorum morum ſocietatem, & cum eo vitam diuinam quodam, non humano more traduxit. poſt eius autẽ obitum, cùm ab agnatis & gentibus ereptæ facultates eſſet, quod nullos liberos haberet, ex eo quod reliquum fuerat, quod adimi nullo iure poterat, quod erat propriũ ipſius, magnam & amplam domum excitauit, vbi & hoſpitio acciperentur, qui tectum nullum haberent, quo frigoris & æſtus vitandi cauſſâ ſuccederent, & qui grauibus periculoſisq; morbis conflictarentur, ſuæ fortunæ miſeræ & afflictæ portum, atque perfugium paratum inuenirent. in ea non ſolùm multos collocauit adminiſtratores viros impigros ac diligẽtes; ſed etiam ipſa ſæpe pauperibus ſingula

gulari quadam alacritate miniſtrabat, non ſolùm inopũ ingentem multitudinem ſuis expenſis ſuſtentabat, ſed etiam ægrotorum vlcera ſuis manibus curabat. hiſce reb⁹ breui ære diruta eſt, & omni beneficentiæ materia ſublata. ſed eius tamen benigna prolixáq; natura, tametſi vnde ſuppeditaret, non habebat, nullũ potuit ſuppeditandi reperire finem. quid ergo? auferebat aliis, quod aliis donaretur? ſpoliabat diuitum domos, vt inopum tecta locupletaret? & cùm de ſuo non poſſet, de alieno laudem liberalitatis aucupabatur? Audite quid fecerit, vos ipſi profectò dubitabitis, an maius quidquam fingi poſſit. Non eſt, inquit, vnde tribuam⁹, certè manus quibus honeſtè quæramus, nõ deſunt. conſumpſit liberalitas fortunas, ac corporis vires nõ exauſit; abſtulit quod nobis erat traditum, quod labore parari poteſt nõ ademit. Lucubrabat ad multam noctem, ſurgebat ante lucem, tota die opus faciebat, nullus ferè ſomnus, nulla requies, nulla intermiſſio, & ipſa egens mercede laboris ſui, & manu, pretio quoad poterat, inopes iuuabat. Itaq; & Gregorius ſummus Pontifex, qui fuit nonus hoc nomine, poſteaquàm è vita diſceſſiſſe renũciatum eſt, fecit, vt maxima cum cæremonia religionéque in numerũ Sanctorum atque cœleſtium eam adſcri

ſcriberet. Non eſt mihi dubium, quin tantum hoc vobis videatur, quantum cuiuſque mens & cogitatio capere poſſit maximum. Eſt enim vna femina B. Pauli propriam peculiarémque laudem aſſecuta, qui ſibi ſociiſque ſuis artificio ſuo veſtium atque victum comparabat. Nunc quemadmodum Eliſabetha Eliſabethæ virtutem ſecuta ſit, cognoſcite. Acceperat hæc, quam hodierno die colimus, de illius ſanctitate; audierat ſe cum illa cognatione eſſe cõiunctam, eodẽ nomine à parẽtibus vocatam eſſe videbat, nihil potius, nihil præclarius, nihil feminâ Chriſtianâ dignius facere ſe poſſe arbitrabatur, quàm, vt cuius nomen retineret, eius excellentem virtutem pro viribus imitaretur. imperat ædificari domum ante ſuas ædes non longè à beatæ Claræ cœnobio: iubet in ea ſacellum exſtrui & ornari, fierique duo domicilia ſegregata locis, & diſtincta ſatis ampla, alterum mulieribus, alterũ viris, & ſtratos in vtroque lectos ſupellectilémque ceteram collocari. his ita paratis & inſtructis, accerſit quidecim viros inopes rerum omnium, totidémque feminas, ad ſuam vtroſque ſedem deducit, iubet eſſe bono animo; hortatur, vt honeſtè viuant, & æquo animo ferant ſuam paupertatem, nihil eis vnquam in ea domo defuturum

præpo

præpoſuit ſacello iam dedicato ſacerdotē, inſtituit, vt omnes eò quotidiè conuenirēt,vt & rei diuinæ intereſſent, & ſtatas ſolennéſque precationes audirent, ipſa victū in ſingulos annos,& nouum omnibus veſtitum, & ornamentum corporis præbebat, ſi quis eorum in morbum diuturnum incidiſſet,non humilitatem & mēdicitatem contemnebat, non deſpiciebat depreſſam fortunam & afflictam,non tectorum veſtiúmque ſordes exhorreſcebat, adibat frequentiſſimè, blandiſſimè appellabat, aſſidebat, colloquebatur,& dolores corporis non oratione modò plenâ humanitatis,plenâ amoris, plenâ cœleſtis cuiuſdam & diuini ſenſus,ſed etiam re, atque opere multò magis mitigabat. erigebat interdum in cœlum mentem,miſericordiâ permotam, & cum Deo Opt. Max. ſic verbis tacitis agebat: Quid hi commeriti ſunt,ô ſapientiſſime rerum opifex & rector, quid hi commeriti ſunt, quamobrem tam durâ & tam difficils vitæ conditione naſcerentur? aut quibus meis promeritis me nihilo his naturâ meliorem in tantis opibus, & regno collocaſti? cur me potius, quàm hos extolli tam honorificè, aut cur hos potius, quàm me tam miſerè abiici voluiſti? quæ mea officia prius quàm hâc abs te propriam lucem ac-

cepiſſem mihi te conciliârunt, aut quæ ab his peccata iam tum ante eorum abalienarunt? vtinam me non odoris, quam ſic omnibus muneribus temporis ornaſti; hos dilexeri[illegible] quos vnico filio tuo tam ſimiles, inopia feciſti. Verùm vtcunque ſe res habet, ego te mitiſſime pater non amare non poſſum, à quo multis & immortalibus beneficiis cùm te, tum vniuerſum hominum genus affectum eſſe ſentio, & quãdo de tuo in me amore dum viuo, certa eſſe nõ poſſum, his volẽs & læta famulabor, quos certò ſcio tibi eſſe cariſſimos. Non exſpectabat ancillas, nõ pueros operiebatur, ipſa ſtudio quodam inflãmata & amore ad infima quæque ſe demittẽs regina famulæ munia ſubibat. ſuccincta feſtinare in culinam, ſedulò apparare cibũ, bene conditum afferre, erigere iacentem, exſtruere puluinaria, in os inſerere, hortari, monere, nonnunquã etiam rogare nihil ei eſſe gratius, nihil iucũdius videri, quàm cum iis familiariſſimè verſari, quos tenuiſſimæ mulierculæ vel aſpicere indignum ſe eſſe crederent. Contendite nunc huius Eliſabethæ minoris factũ prædicabile, cum illius ſuperioris incredibili facinore, hui⁹ ardorem diuinũ, cũ illius ſtudio cœleſti: huius ſubmiſſionem admirandam, cũ illius inaudita modeſtia, illã ætatę

præcurrriſſe, hâc alacritate ſecutam eſſe: illam exemplum ſanctiſſimæ vitæ reliquiſſe, hanc ſtudioſisimè arripuiſſe, illam propter exiguitatem cõſumpſiſſe patrimoniũ, hanc propter magnitudinem diuitiarum manu & labore, quod daret, non quæſiſſe diceris, & vtrãque omniũ Gentium literis atque linguis prædicandam eſſe exiſtimabitis, quod vtraque id fecerit, quod anteà vel pauciſſimæ, illa amplitudine, illo ſplẽdore, illâ nobilitate vel nemo fecit. Quod ſi etiã vtriuſque cõditionem atque fortunã cõferre voletis, tantò hanc illi præſtitiſſe ſtatuetis, quantò regis maieſtas omnium principum dignitati antecellit. Omnium Eliſabetha, in omnes homines caritatem tuam! ô excellẽtem benignitatem atque laudabilem! tu enim ſi nõ ſola ex omnibus, ac vna tamẽ paucis reginis inuenta es cui non ſatis eſſet egentibus ad vſum & cultum ſuppeditare copioſè, niſi etiam ægrotantibus nõ humanitatẽ modò ſingularẽ, ſed operam etiam, laborem, diligentiam præberes, ſi hoc de mediocri aliqua femina, ſi de muliere infimę fortunę apud Aethiopes, & Indos cõmemorarẽ, tamen homines inhumani & barbari magnitudine pręſtabile, nouitate primũ, genere ipſo ſingulare ducerẽt: nũc verò cum dicam de regina, & de ea regina, quæ non

non occultè quaſi per cuniculos ad tantos honores obrepſit,ſed publico omnium conſenſu in altiſſimo dignitatis gradu collocata eſt, non clariſſimis natalibus orta erat, ſed omnium regum,qui tum erãt, nomen & genus cognatione attingebat: cùm dicam apud tales viros hoc cultu, hac humanitate, hoc ſplẽdore,hac ſapientiâ, ipſæ huius tẽpli aræ, ipſi parietes, iſta ipſa ſubſellia, in quibus ſedetis, mihi mirari & obſtupeſcere videntur. Etenim ſi paulò ante in morbo periculóque regis, cùm vitæ coniunctio poſtularet,officij ratio requireret, vxoris nomen flagitaret mariti morientis amor cogeret, tamen mirabamur vehemẽter, & iure optimo, ita ſe ſubmiſiſſe reginam:quæ nunc admiratio, noſtras omnium mentes occupare debet, ſi in re tam noua, in qua deterrebat animum hominum ſqualor, remouebat cõtagio morborum, retardabat maximarum rerum occupatio, dignitas & amplitudo reuocabat,ſola humanitas cum his omnibus pugnas hortabatur? pro certo habeo vos exiſtimare nihil iam omninò fieri poſſe præſtantius. Et quidem ipſe vobiſcum ſentirem, viri ornatiſſimi, fefelliſſétque me huiuſce rei magnitudo; niſi cetera tenerem,ſed aliud vt ego arbitror, multò maius hoc & mirabilius audite. Nemo veſtrûm

eſt, qui non aliquãdo de Baſilio Magno legerit, aliquando audierit, aliquando cum iucundo quodam animi ſenſu cogitarit, ex-ſtitit ille verè magnus ingenuarum artium doctrinis, diuinarum literarum ſcientiâ, bonorum morum diſciplinâ, ſanctiſſimæ vitæ conſtantiâ, Eccleſiæ regendæ prudentiâ; neque tãtas vnquam ei laudes quiſquam tribuerit, quantis virtus excellens digna debet videri. Cùm ille ſecundum ab Epiſcopo locum obtineret Cæſareæ, quæ ciuitas eſt in Cappadocia, regeretque ipſum populi rectorem ſapiẽtia, fuit in vrbe, omnibusque circumcirca locis tanta ſiccitas agrorum, vt & frumenta naſci non poſſent, & homines ac iumenta ſiti miſerabiliter ſtrãgularentur, & fierent paſsim pernicioſiſsimæ labes, cùm ad infinitam altitudinem terra deſideret. ex quo tanta repentè non inopia modò & caritas rei frumentariæ; verùm etiam fames conſecuta eſt, quantam nullus anteà vidiſſe meminerat, hic bonus Eccleſiæ curator, omnium ſuorum muneris dignitate princeps, animi ſubmiſsione poſtremus, amore frater, ſolicitudine parẽs, qui nulla ope facere valeret tãto malo medicinam, conſilium cepit non tam verſutũ & ſolers, quam ſalubre ciuitati & neceſſarium procedit in publicum, aduocat cõcio-

Gregorius Nazianz. & Gregorius Niſſen. in laudem Baſilij.

nem

nem, orationem habet vir ſingulari facultate dicendi & copiâ, quæ etiã nunc exſtat, tantâ grauitate ſcripta, tanto animi dolore, vt etiã cùm legimus, lacrymas tenere nequeamus. impellit locupletiores vt impertiant indigentibus de ſuo victu, aperit horrea copioſorum. & quæ iam erant humanæ vitæ more, ſua cuiuſq; & priuata, facit omnium communia diuidendo. Poſtquã magnam copiam earum rerum conparauit, quibus inopes tolerari ſolent, congregauit vnum in locum ingentem egentium multitudinem, illiſque accumbentibus, vt Chriſtum ducẽ ſuum imitaretur, linteo ſuccinctus ipſe miniſtrabat. Sic tam inſanabili malo vnius viri ſanctitas, ſi non remedium, alleuamentum certè aliquod inuenit, & famem atque ſitim, duas generis humani peſtes, cùm ſuis copiis, quæ nullæ erãt, depellere non poſſe, qua plurimũ valebat auctoritate, depulit. Similis aliquando pernicies Conimbricenſem ciuitatem penè deleuit. cùm hîc Eliſabetha moraretur, quibus diximus in rebus occupata. quo quidem tẽpore ſatis declarauit humaniſsima regina, ſibi nihil eſſe antiquius, quàm excitare iacẽtes, tueri miſeros, ab omni ſpe derelictos conſeruare. Erat tritici modius propè tribus ſeſtertiis, quod tametſi nunc optabile vide-

tur in tanta caritate rerum omnium & vilitate pecuniæ; tamen illâ ætate videbatur incredibile. nunquam anteà poſt hominum memoriam, annona tanti fuiſſe putabatur. laborabant homines, ſqualebant agri, ipſa tecta quodam modo mœrebāt, nullum auxilium oſtendebatur aliundè, nulla medicina, ægro æ ac propè deſperatæ ciuitati reperiebatur. Nam vrbes maritimæ ideò ferunt faciliùs hoc malum, quòd cum à fluctibus alluātur mœnia extrema, habeántq; portus in ipſa propè ædificatione incluſos & aſpectu, dant quibus abudant, accipiunt quæ non habent: vſui quæ non ſunt exportantur, importantur quæ ſint calamitati depellendæ; At Conimbricenſes diſiuncti longius à mari, nec quæ ſuppetebant, vendere poterant, nec quibus egebāt, comparare: de iis, quæ aderant, quid facerent, de iis, quæ aberant quid ſperarent, non habebāt. itaque ſpes ſalutis abiecta tenues præſertim, (quāquàm omnium ordinum erat hoc commune malum) exibant in agrum, ſtirpes colligebant, alij iumēta mactabant, alij mures, & huiuſmodi ſordes venebantur, quas ne nominare quidem honeſtum eſt & his miſeri perditíque famē tolerabant. tādem his etiam cōſumptis vita in pœna, mors in lucro ponebatur concurſare pueri totā vrbē,

pa

parentes appellare, opem flebili voce petere: illi ne ſuos liberos fame cruciatos, intereuntesq; videre cogerētur, erepto penè ex ore cibo, ſi quis erat, ipſi miſeri moriebantur. matres paruos complexæ filios, obire domos omnium cū miſerabili vociferatione atque fletu Sanctorum, atq: hominum fidem obteſtantes, pallebant ora, facies obſolebat illuuie, defloruerat ille natura diffuſus color, totum corpus ſine ſucco, ſine ſanguine, miſerandum in modum extabuerat, oculi penitus in ſuos orbes incluſi, tempora lacunis altiſſimis depreſſa, eminebant malę atque dentes, pendebat è ſpina ferè nuda pectus aridum, venter macie collapſus; oſſa cute pro carne tecta, digiti, manus, ceteriq; artus neruis tantùm & articulis continebā-tur, obſtupuerant ſenſus, languebant vires, non vox emitti faucibus, non crura moueri ſolo, non manus in cœlum tolli poterant. quid plura? non homines, ſed eiecta cadauera putares, cùm videres, aut quaſdam effigies velut ſpirātium mortuorum. Erat illud ſpectaculum triſte omnibus & luctuoſum, paſſim per medias vias atque fora proſtrata corpora eorum quibus inopia cibi vitam adémiſſet, & quod erat miſerabilius quamplurimi mortui ante mortem, & ante ſepulturam iam ſepulti. Quid hîc Eliſabetha

quid excogitauit? quid fecit? ſcilicet prouidens in poſterũ regina cautiſsima ingentẽ numerum frumenti conuehi pro imperio & poteſtate iuſsit, condi in cellis imperauit & aſſeruari diligenter, ne quando etiã ſuos annona deficeret, hoc fortaſſe feciſſet quicunq; noſtrûm. nolite vos tam humiliter, & demiſsè de tanta ſanctitate cogitare. Quam igitur rationẽ iniit? quã opẽ attulit, Deũ precata eſt, vt panis imber effflueret, vt vltrò ſegregatim coturnices offerrẽt, quo fugiens populus in ſolitudine ſeruaretur? fecit vt ex hydriæ lecythíque fundo, tanquam è fonte aliquo inexhauſta cibi copia perpetuò manaret, quæ quò plus hauriretur, eò mag's accreſceret, & quãtò crebriùs exinaniretur, tantò vberiùs redũdaret, quo ſe alentem aleret, & viduæ hoſpitalitatem hoc officio remuneraretur; an pauit multa hominum millia quinque panibus, & ita pauit; vt quæ reliqua facta eſſent, multis aliis menſis ſatis eſſe poſſent? Moſis iſta ſunt, & Eliæ, & illius magni Dei noſtri, ac fortaſsis etiã propria temporũ illorũ, quibus pertinacia multorum huiuſmodi rebus mirabilibus & nouis, & naturam ſuperantibus conuincenda erat, & audacia coercẽda. At Eliſabetha nec ſperauit, nec ſperare debuit hæc ſe poſſe perficere, cùm non oporteret.

teret. itaque priuatis copiis calamitatem publicam ſubleuare conſtituit, & cùm miſerabilem ciuitatis faciem ſine magno animi dolore nō poſſet intueri vnà cum omnibus, ſi neceſſe eſſet, interire maluit, quam ſola cum ſuis in tam fœda ciuium ſtrage viuere: patebat eius domus omnibus, dabat indigentibus de ſuis cibariis, tribuebat carnem præbebat frumentum, nummos diuidebat, inopes amplectabatur, diuites, ſi quâ re egerent, non reiiciebat, alebat omnes familias cœnobitarũ, ſuppeditabat victum ſacris virginibus, ne mors quidẽ extrema rerũ omniũ eius officium & humanitatẽ à quoquã excludebat mittebat qui mortuos cõquirerent per vrbem, curabat ſepeliendos religiosè, quæcunque erant ſepulturæ neceſſaria, largè ſubminiſtrabat. Quam multis vitam ſuâ liberalitate dedit & ſalutem? quàm multos iam iam efflãtes animam ex media morte liberauit? quàm multi iacuiſſent inſepulti, ferásq; & volucres ſuis carnibus pauiſſent, niſi B. Eliſabethæ benignitas ſubueniſſet? venerat in certamen reginæ bonitas cum malitia decumanorũ, pugnabat Eliſabethæ largitas cum mercatorum auaritia: contendebat humaniſsimæ feminę amabilis clementia cum deteſtabili barbarorum hominum imanitate, illi multos

inte

interire patiebantur, hæc nitebatur conſeruare quam plurimos? illi rem familiarem vel cum omniũ pernicie amplificare cupiebant, hæc vt vnũ aliquẽ cuſtodiret incolumẽ, omnes ſuas opes effundere non dubitabat; illi theſauros humi defoſſos habere ſtudebant, hæc omnes ſuas rationes & copias in illã beatorũ regionem conferre properabat; illi neſcio quid lucelli æternæ ac felici vitæ præponebãt, hæc ſocietatem ciuiũ cœleſtium omnibus regnis anteferabat, vt illud verè affirmare poſſimus, non tantùm ad hominũ perniciẽ illorum inexplebilem cupiditatem valuiſſe, quantùm beneficam huius omnibus gratificandi voluntatem ad ſalutẽ. Redite nunc ad ſanctum Baſiliũ, viri ornatiſſimi, & rem cum re, admirabili ſanctitate virum, cum muliere ſingulari virtute prædita comparate, vt habuerit ille alia maiora; quæ hæc non potuerit habere, certè in hoc ſi non ſuperiorẽ illo; at parem illi tamen fuiſſe fatebimini: ille oratione alienæ auaritię cellas aperuit; hæc ſuę liberalitatis horrea humanitate patefecit: egẽtes ille cũ copiis nõ poſſet, operá & diligẽtia conquirendi iuuit, hæc cùm poſſet præbere de ſuo, aliunde quærere nõ habuit neceſſe ille vnum in locũ collectos vndiq; paſcebat: hæc ſuum cuiq; victũ domũ ſubmittebat

Baſil. hõ. in fame, & ſqualore.

tebat hæc ſe, quia miniſtrã nõ licebat, præſtitit altricem; ille quoniam nõ poterat alitorem, miniſtrum ſe effecit, hæc tam pauperes quàm locupletes ſuis: ille pauperes, copiis locupletiorũ ſuſtentabat: hæc pro facultatibus optima cibaria largiebatur, ille pro ciuitate fabas & alia, quibus inopes vti ſolent, apponebat: ille denique neminẽ, qui repugnaret, habuit; hæc plurimos nacta eſt, qui ſtudium retardare, reprimere beneficẽtiam, omnes ſuppeditandi vias niterentur includere, falsâ quâdam & aſſimulatâ ſpecie prudentiæ. Nonnulli enim ex domeſticis ipſius, viri ornatiſſimi, quidem loco, ordine, nomine, copiis, ſed anguſto animo atque paruo, qui rem omnem & familiam curabant, afficiebântur magno metu, cùm hæc videbant: verebantur, ſi omnia ita profunderentur, vt ſibi ceteriſque, vel in pauciſſimos dies quidquam ſatis eſſe poſſet. veniunt ad eam, rem demonſtrant, docent illâ effuſione quantum in periculum adducatur omnis familia. Quid agis ô prudentiſſima regina? quid cogitas? vbi tua illa ſemper laudata, & ab omnib. cõmemorata prudentia? quo loco ſint rès, non cernis? te ipſa tuóſque perdis, dum alios conſeruare contendis. quanta ſit vbique non difficultas annonæ, ſed etiam fames, intelligis: cuiuſmo-

di

di tempora cõſecutura ſint, neq; tu ſcis, neq; hominum qùiſquam ſcire poteſt. omnẽ rẽ ruſticam non ratio. nõ labor, non induſtria, ſed res incertiſſimæ, venti tempeſtatesque moderantur, hoc tantùm habemus affirmare ſi paulò diuturnius fuerit hoc malum, & tu, quemadmodum cœpiſti, dare perrexeris, breui nos tecum vnà perituros. conſule igitur pro tua ſingulari ſapientia officioſiſſiæ familiæ, reſpice te, ſtatue modum aliquẽ liberalitati tuæ, nemini es deuincta magis & obſtricta quàm tuis, quàm tibi. Illa dolens, ſimulatione prouidẽtiæ deceptos eſſe tales viros, & inani quadã formidine ab hominibus iuuandis abhorere. Non poſſum inquit, declarare vobis, quantã mihi triſtitiam attulerint iſtæ anguſtiæ veſtri pectoris, atque animi egeſtas. timuiſſe vos, ne eos Deus interire patiatur, ſi hanc tantam calamitatem noſtris opibus leuemus? non à Deo nos curari creditis? non eius nutu atque poteſtate omnem hunc mundum gubernari? An cùm ille ſuo numine ac ditione omnia moderetur & regat, ſi noſtram humanitatẽ & miſericordiam ciuibus afflictis & perditis prę- *Matt. 6.* ſtiterimus, moriemur? ſi crudelitatem in miſeros inhumanam & barbaram execuerimus, viuemus? nunquam audiſtis illas admonitiones Chriſti, qui nos in craſtinum

diem

diem vetat eſſe ſollicitos? quæ quondã hominũ doctor & magiſter, de liliis auiculiſq; diſſeruit nunquam vobis in mentẽ venerunt? Equidem moterer, ſi, cùm audirẽ matrum familias lamentationem, cùm miſerabiles puerorum voces acciperem, cùm ſenum lacrymas viderem, cùm intuerer miſeros & inſepultos aceruos omnium ætatum, pereunti ciuitati non opitularer, ſi poſſẽ. Deponite, deponite timorem, eſtote bono animo, mentes humiles ac demiſſas excitate, mangnã ſpem habeo in illo mundi gubernatore Deo, nihil nobis defuturũ etiãſi omnia tribuamus. aperiet, mihi credite aperiet ille nobis theſauros benignitatis ſuæ, ſi noſtram domum ſenſerit indigentibus non eſſe clauſam. Hac oratione, meliore ſpe quàm venerant, beneque animatos illos à ſe dimiſit. ipſa nihilo facta parcior, neque reſtrictior ad elargiendum, alios alere, alios veſtire, alios humare, ſine vlla intermiſſione de domeſticis copiis haurire, quod in pauperũ ſinus infunderet. O inuictum Eliſabetha robur animi tui, & liberalitas incredibilis, cuius non magnitudo præſẽtis calamitatis non terror imminentis periculi nõ familiarium hominũ nobiliſſimorũ oratio, non dico obſtruere fontes atque venas ſed ne flumina quidem redundantia potuit ali-

qua ex parte coërcere. Mitto cetera, quæ tantam nobis admirationem, quantã cogitare poſſimus, afferre debuerunt. prætereo, quàm diligenter officium tuum præſtiteris morienti Dionyſio? taceo veſtitus inauditam mutationẽ, iter laborioſiſſimũ in S. Iacobi templũ, omnium ornamentorũ diſtributionem, cœnobii ædificandi curam, cibi continentiã, diurnas & nocturnas precationes, admirabiliter deſcriptam temporis totius rationem, in vniuerſum hominum genus caritatem, domum ad accipiendos egẽtes cõſtitutã; omnia quæ in Deum piè ac religioſè, in te ſeuerè & grauiter in alios clementer & humaniter feciſti, prætermitto: hanc vnam ob rem tam præclaram ad commemorandum, tam gratam ad audiendum, tam iucundam, ad cogitandum, ſi nullam aliam feciſſes, tamen omnes honores, omnia ſtudia, omnem cultum & reuerentiam, deberi tibi, arbitraremur. Nunc verò cum tua facta ſui multitudine infinita, varietate grata, genere diſſimilia, magnitudine admiranda excellentiâ, vel omniũ prima, vel nõ inferiora primis quâ lætitiâ, quibus gaudiis, quâ alacritate celebrabimus tuos feſtos dies, quibus te laudibus efferremus? quâ prędicatione commendabimus poſteritati? quo cultu, quâ reuerentia proſequemur? hoc ip-
ſum

ſum templum, tecta vrbis, viciniq; tumuli tibi gratias agerent, ſi quo modo poſſent, quod vitæ laudabilis atque perfectè, quaſi quandam imaginē non verbis, ſed factis, nō ſcribendo, ſed laborando; non ingenio, ſed opere & manibus expreſſam nobis reliquiſti, quam non ſolùm inſpiciamus cū ſūma voluptate, ſed etiam cum ſempiternæ vitæ fructu imitemur. Hæc fuit, viri ornatiſſimi, B. Eliſabethæ in viduitate & ſolitudine vitæ ratio, habitus eius facta, dicta, cogitata poſt regis obitum. Omitto in preſētia quod beatę Claræ religioſæ diſciplinę ſeſe tradere conſtitutum habuit, niſi vitam illam quam agebat, gratiorem fore Deo ſtatuiſſent ij, quibus ipſa propter inſignem pietatem atq; virtutem maximam rerum omniū fidē habere deberet. Sileo quod ſacris virginibus quo die primum in cœnatione perfecta cibū cœperūt, ipſa gaudēs ac læta miniſtrauit quanquam enim hæc non ſunt vlli eius facta minora, & ampliſſimam dare poſſunt materiam ad dicendum? tamen ſentio me fuiſſe longiorem, quam vos expectabatis. In quo quidem non me fefellit opinio mea de humanitate veſtra: ſed nō ero vobis grauior, neque hac veſtrâ tantâ patientiâ diutiùs abutar. tantum à vobis peto, & pro mea tenuitate ſubmiſſius, pro veſtra grauitate

verecundiùs pro amore,quem omnibus debeo, omni ſtudio pro magnitudine periculi, in quo Chriſtiana res eſt, vehementiùs etiam quàm poſſum contendo, vt hæc dies noctéſq;/cogitemus,hæc meditemur,hæc agamus,quæ modò nobis,cùm de aliis narari audiremus, admiratione ſūmâ digna videbantur atque hæc ſit in noſtris animis infixa cura ſēpiterna, vt quæcūque in aliis nō ſolùm probantur,verùm etiā laudantur,hæc in omni vita ſtudio virtutis incenſi amore Chriſti diuino inflammati, quaſi ſtimulis beneficiorum, quæ accepimus,excitati, deſiderio videndi Dei atque omniū cœleſtiū, æſtuantes,re ipſa præſtemus. Diſiūctiſſimas terras & religioſa loca non vacat adire,at ingredi templa vrbis,& ibi quàm humilimè Deo ſupplicare certè vacat. Vrgēt negotia? tribus quotidie ſacris intereſſe non licet?at vni licet adeſſe. Valetudo non ſinit?pernōctare non modò moleſtum eſt, ſed etiam pernicioſum?at facilè eſt ſurgere paulò citiùs quàm ſoles. Non potes extruere cœnobia?non Xenodochia cōſtituere? nō alere ciuitatem? at quadrantē largiri potes? at tantillum panis præbere potes, at miſereri potes, & egentis lacrymas lenitate verborum & humanitate conſolari. Non opibus, non labore,non cibo, non deniq; re iuuare

vales? at conſilio vales, admonitione vales, auctoritate vales. Et quidẽ profectò multò his magis homines iuuari poſſunt, quam re bus ceteris Regina præiuit, nos iiſdem veſtigiis ſequamur? illa ſanctiſſimè vixit, nos elaboremus vt eodem modo viuamus: illa prior in beatam illam ciuitatẽ ingreſſa eſt, nos eódem quò iam illa peruenit, feſtinemus. In excelſo poſita eſt vita ſapientium & eorum, qui ceteris dignitate antecellunt, latere non poteſt; omnes eam intuẽtur, quod illos facere vident, id etiam ſibi licere arbitrantur niſi ab illis imperita multitudo capiat rectè viuendi exemplum, quid tandem futurum eſt, aut quem exitum habebunt res humanæ? mitto illa vetera reipublicæ Chriſtianæ vulnera? hæc noua & recentia quam acerba, quàm luctuoſa, quàm mortifera ſint, videtis. Germania penè tota diſſidio miſerabili diſſidet à nobis, manat in dies latius illa peſtis: periculum eſt, niſi aduigilemus, niſi adnitamur, niſi omnes ætatis induſtriæque neruos contendamus, niſi Chriſtus Opt. Max. nos reſpiciat (reſpiciet autem pro ſua bonitate ſemper) nauiculamque ſuam fluctuantem cõſeruet ne breui omnis Chriſtiana religio ex hominum animis memoriáque deleatur. Oro vos, viri ornatiſſimi, obſecro, obteſtor, per illam

O

in nos indulgentiam Dei ſingularem, tam multis beneficiis declaratam, per vulnera Chriſti ſalutaria, per ſanctiſſimum ſanguinem, quo noſtræ ſordes eluuntur vt omnia ſtudia, omnes conatus, omnem induſtriam, operam, laborem, diligentiam ad ſanitatẽ mentis, ad Eccleſiã, quæ communis eſt omnium noſtrûm parens, erigendam ad Chriſtianam rempublicam ex tantis miſeriis excitandam conferamus: vt vbi honeſtiſſimis in laboribus vitam hanc quæ breuis eſt, conſumpſerimus, accepti ſedibus beatorũ atque illo clariſſimo domicilio, Dei conſpectu perpetuo fruamur, cui ſoli ſumma laus in omnẽ æternitatẽ immortaliſq; debetur.

PETRI IOANNIS PERPINIANI

Laudationis in B. Eliſabetham Luſitaniæ Reginam.

LIBER III.

ORATIO V.

VIDEO, Rector ampliſſime, viriq; ornatiſſimi video magnum quiddem atque diuinum expectare omnes & ſimul

ſimul tacitâ quâdã cogitatione animi non mediocriter commoueri. nam de ſanctiſſimæ reginæ morte, iure optimo noua quædam & inuſitata dici oportere putant: & cum ſuperioris orationis longitudinem recordantur, non immeritò, ne idem hodiernâ luce contingat, reformidant. Quid faciam? quò me vertam, viri ornatiſſimi? quam inire potero in tanta difficultate rationem? vt oratio par & æqualis rebus ipſis videatur, elaborem? At vereor ne ſim vobis etiam moleſtior, quàm anno ſuperiore fui. Perſtringam igitur omnia, ac res tantas properans breuiterque percurram? at timeo, vt hanc veſtram expectationem laudationis extremæ ſuſtinere ac tueri poſſim. Eum ſtatuã (tametſi dificilè eſt in hac rerum maximarum copia) eum tamen ipſe ſtatuam, & adhibebo modũ orationi meæ, vt ego veſtræ ſatietati occurriſſe videar, & ipſius rei magnitudini ſatisfactum eſſe iudicetis. Nõ enim committam, viri ornatiſſimi, vt hæc vltima oratione meâ vos ita feſſos audiendo, ita ſedendo fractos fatigatoſque dimittam, vt à me tardiores ad audiendum in poſterum facti eſſe videamini. Quid vultis amplius? me quoad potero, operam daturũ eſſe polliceor ne plus horam in dicendo conſumam. Quanquam vt, quẽ-

admodum ſentio, loquar, ſi quando in oratore latera vox, copia, in auditoribus attentio deſiderata eſt, & maior quædã in ratione temporis libertas., omnia maximè ſunt hodierno die requirẽda: vt enim cygni cùm ſunt ad moriendum vicini, tum quaſi prouidentes quantum ſit in morte boni, ſuauiſſimos, iucundiſſimosque cantus cum incredibili delectatione fundere dicũtur: ſic maiore quâdam ratione omnes boni, qui ſe integros caſtoſque ſeruârunt, & in corporibus humanis vitam ſunt imitati cœleſtium, præſentientes æternitatem illam beatiſſimam, & immortalia bona mẽte cogitatione que proſpicientes, ſupremo vitæ tempore, oculis, vultu, ſermone, factis, diuinitatem neſcio quam præ ſe ferunt animorum, & læti atque hilares veluti cum tacito quodam cantu & voluptate moriuntur. Ac mihi quidem vehementer optandum erat, vt tanquam boni poëtæ & actores induſtrij ſolẽt, ſic ego in hac extrema concluſione muneris & officij mei, diligentiſſimus eſſe poſſem, vt hic vltimus noſtræ laudationis annus, tanquam extremus actus, ornatiſſimus exſtitiſſe videretur: ſed neque tantum eſt in me ingenij, neque ſi eſſet, magnitudinẽ rerum conſequi poſſem, neq; ſi poſſem, vobis grauis & moleſtus eſſe vellem. pro veſtra

hums

humanitate & religione, viri ornatiſſimi, noſtram orationem, qualis ea cumque demum eſt, diligenter & attentè audietis. Etenim ea beneficia à B. Eliſabetha omnes accepimus, vt ingratus ſit exiſtimandus, qui laudes eius non libenter accipiat, etiam ſi non ornatiſſimè iucundiſſimeque dicuntur. Mitto ea, quæ viua & mortua mirabiliter fecit: non dico quàm multis difficillimis morbis & incommodis grauiſſimis opipulata ſit: hæc omnia prætereo, quæ magna vobis, atque adeò maxima videri neceſſe eſt: illa quæ forſitan ne ſentimus quidem, quanta ſunt? quòd pro nobis omnibus, quòd pro vniuerſa Luſitania, quòd imperij incolumitate ſemper in Deo Optim. Max. placando occupata eſt: quòd iracundiæ diuin manus & tela continet à nobis: quòd horribiles pœnas iam diu debitas ſceleribus noſtris deprecatur, quas ſi, ſtatim vt peccatum quid eſt, ſubire cogeremur, quid nos, quid ciuitates, quid regna, quid omninò hominũ vita eſſe poſſet? aut quæ iam exſtarent veſtigia tãtarum rerum atque huius tam admirabilis ornatus? quæ ſi veſtros animos nihil aut parum mouent, ipſa res ipſa virtutis dignitas, ipſum mortis gen⁹ ad audiendum excitare debet. Non enim in otio, vt nõ nemo fortaſſe veſtrûm arbitra-

tur, non, inquam, in otio, ſed in labore: nõ in vmbra, ſed in ſole ac puluere; non in cubiculo, ſed in acie; non in virtutis caſtris, quæ illa in ripa Mondæ collocarat, ſed in ipſo certamine atque congreſſu animam efflauit: & quæ res gloriam ſanctiſſimæ reginæ ſempiternam attulit, eandem ei cauſſam mortis extitiſſe cognoſceris. Cùm nobile illud ædificium, quod Beatæ Claræ virginibus inſtituerat, perfectum videret vt optabat, cogitabat ipſa ſecum quantum à Deo Optimo Maximo beneficium accepiſſet, & illius erga ſe liberalitatem & clemẽtiam ſæpe tacitè cõſiderabat. ſe, quod in hac humanæ vitæ breuitate vix ſperandum fuiſſe videretur, ad annos ſeptuaginta propè perueniſſe, vidiſſe tot reges, tot reginas, partim Luſitaniæ, partim Caſtellæ, partim citerioris Hiſpaniæ, partim Balearium inſularum, tot principes, tot filios regum, eoſq; omnes aut cognatos, aut affines ſuos: nihil amplius in his rerum humanarum anguſtiis exſpectãdum eſſe, plus etiam quàm earum inconſtantia ferret, ſibi eſſe conceſſum itaque gratias agebat immortales vitæ domino, & auctori Deo pro tanto munere ſimulque ab eo quantum poterat, petebat ſupplex, vt ſi commodum putaret, liberaret ſe cuſtodiis corporis, quo ſoluta

terrenâ ac cõcretâ mole ad excelſum illud plenum ſtellarũ domicilium & illuſtre penetraret. Homines vulgò nullâ vitæ diuturnitate poſſunt eſſe contenti, nec ſe ſatis vixiſſe putant, quandiu aliquid vltrà eſſe cognoſcunt. Da enim ſupremum tempus, Noë vel Mathuſalæ non auditam poſtea exſpectemus ætatem quorum alter nongentos quinquaginta vixit annos, alter nongẽtos ſexaginta nouem: non poteſt videri diuturnum illud in quo eſt aliquid extremum, ſẽper quàm breuiſſima iudicatur ætas, quæ nobis non ſentiẽtibus effluxit. Quã multos ſæpenumerò annos nonaginta, centum viginti natos querentes audimus, & miſerabiliter huius vitæ breuitatem lamentantes? quàm multos ætate cõfectos cum lacrymis mori videmus; quòd ab ipſo vitæ introitu ac limine ſe repentè reuocatos eſſe dicãt & abreptos! Videlicet nihil vnquam altũ illi, nihil æternum, nihil diuinũ cogitârunt, & omnes animi curas in hoc fragili corpore perpetuò defixas habuerunt. Quanto aliter illi excellentes viri ſentiebãt, qui elati ſtudio quodam fruendi Deo, & videndi ſacros illos beatorum animorum cœtus, vitæ ſuæ longinquitatẽ dies noctéſque deplorabant, & cum dolore vociferabantur cupere diſſolui, & eſſe cum Chriſto? Quantò aliter

ſanctiſſima regina animata erat? quàtò aliter ſe gerebat, quæ deſiderio æternitatis incenſa, nihil eſſe ducebat quantumcũque ſibi poterat ætatis accedere, & huius miſerę vitę faſtidio ac ſatietate iam nimis multos annos ſe vixiſſe credebat, ac ferè quot dies, quot horæ, quot momenta præterierant, tot hominum ætates actas & decurſas eſſe exiſtimabat. Quouſque, inquiebat, quouſq; miſera huius corporis curis diſtinebor? ecquando aderit tempus illud optatiſſimum, cùm ex hoc carcere atque ex his vinculis euolare liceat, cùm imperatoris iuſſu de vitæ præſidio ſtationeque decedam? cum longè ab hominum ſocietate, longè ab vrbibus, longè ab omnibus terris, non in aliqua vaſta ſolitudine, ſed in concilio cœleſtium, atque Chriſti comitatu verſer? Nihil prorſus, nihil obitum, nihil niſi veram vitam cogitabat nihil niſi immortalitatem meditabatur. Videte quàm ſeuocatum animum ab omni negotio quàm ſecretum à ſenſibus haberet, quàm liberum & ſolutum compedibus corporis. Attendite quid fecerit vno anno ante quàm eſt mortua. Audiit in illo antiquiſſimo & religioſiſſimo S. Iacobi templo annum illum eſſe Iubilæi, quo anno quicunque illa loca piè ac religiosè adiiſſent, modò eos ſuorum

pecca

peccatorum pœniteret ac pigeret, remiſſionem omnium pœnarum conſequerentur; quas poſt mortem in igne purgante perſoluere deberent. Non equidem crederem hoc de tam longo itinere, niſi in hiſtoria regum Luſitaniæ legiſſem. Etenim cùm nonnulla, quæ de beata Eliſabetha vulgò prædicantur, omiſiſſem, quoniam in antiquis literarum monumentis non reperiebam, nō cōmitterem, vt diminuerem apud grauiſſimos viros fidem & auctoritatem meam, ſi qua eſt, ſi ea pro certis commemorare viderer, quæ neque fama & ſermonibus hominum celebrarentur, neque cuiuſquam literis memoriæ prodita fuiſſent. Sed timendum mihi non eſt, ne hoc à ſanctiſſima regina fieri non potuiſſe putetis. Non enim hominum excellentium res geſtas, imbecillitatis noſtræ ponderibus examinari conuenit, ſed mentes noſtras ad illam altitudinem animi excitari, qua dicuntur fuiſſe, qui geſſerunt. Quod ſi ſeruari oportet in eorum factis ponderandis, qui humanis opibus tantùm nitebantur, quid in eorum vita, & moribus faciendum eſt, qui omnia diuinis præſidiis circumſepti faciebant? Audite igitur quod magis propter Eliſabethæ virtutem, quàm propter ipſius rei probabilitatem, credendum eſſe iudicetis. in

quò nihil à me iuuandi gratiâ dicetur, latinè loquar, non oratoriè. Regina iam annum agens quartum & ſexageſimum, corpore effœto, ſed animo forti, cupida fruendi tanto Dei beneficio ſponte oblàto, quid excogitauit? quid fecit? non aduocauit ſuos, non viaticum quæri, non pecuniā depromi iuſſit: ipſa calceos & veſtimenta mutauit, baculum ſumpſit, vna aut altera comitata femina, dedit ſe in viam moleſtiſſimo anni tempore, maximis caloribus, & quam omnia regna propter ſingularem vitæ dignitatem obſeruabant, omnibus ignota propter veſtitus nouitatem, pedibus tantùm iter & eundo, & redeundo confecit. Quid miramini? quid obſtupeſcitis? quid tacetis? nihil eſt quod dixi, attendite reliqua. Ipſa ſuam ſarcinam pendētem ex humero geſtabat anus nobiliſſima, ipſa quocunque perueniſſet, vicatim & oſtiatim ſtipem colligebat ad victum, vt egentes mulierculæ ſolent, quæ pietate animi, lōgas peregrinationes ſuſceperunt. non dico quam ſit hoc nouum: non quæro quæ regina idem vnquam in omni memoria fecerit: non contendam hoc iter cum illo itinere, quod eadem regina ad idē templum iam antè ſuſceperat feſtinandum eſt, vt omnia de morte vobis ſine faſtidio, poſſim exponere, rem ipſam ſimpliciter di-

ctam

ctam eſſe volo:vos eã,viri ornatiſſimi, ſuo momẽto ponderate.Non multò pòſt quàm Conimbricam rediit, ecce repentè nuntiatur,Alphonſum Luſitaniæ regẽ ab Alphõſo rege Caſtellæ,ſuæ ſororis filio vehementer diſſidere,magnam inter eos contentionem ortam eſſe,ad bellum ſpectare conſilia omnium,nihil eſſe propius, quam vt ferro dedecernatur. erat alter S. Eliſabethæ filius, alter ex filia nepos:vt etiam ſi non haberet illum diuinum animum,ac de rebus humanis femina humano more ſentiret; tamen de eorum certamine, quos vnicè diligeret, ſine magno dolore non poſſet audire. Prô Deus immortalis, quid inter te ſanctiſſima regina, atque illos intererat,qui certabant? quanta erat diſſimilitudo ſtudiorum atque voluntatum? tu cùm adhuc morareris in terris,totam mentem iam penitus in cœlo collocaras: illi obliti rerum cœleſtium, animum in terras omninò depreſſum habebant: tu relicto mortali regno, omne ſtudium & operam ad illud immortale conſequendum conferebas:illi æterno relicto, de breui & caduco regno inter ſe omnibus viribus contendebant:illi alacres ad arma vocabãt ſuos,& omnia neceſſitudinis iura violanda potius,quàm modicam vel iacturam, vel iniuriam ferendam arbitrabantur: tu

lugebas

lugebas eorum implacabiles iras, & omnia regna potius abiicienda eſſe ducebas, quàm tot ſanctiſſimas neceſſitudines contemnendas. Iam anteà ſæpe, viri ornatiſſimi, B. Eliſabetha, permiſſu Dei, qui eam vſu virtutũ omnium imprimis exercitam eſſe volebat, ſpectarat acerbiſſima prælia ſuorum, & impio ac ſcelerato ſanguine viderat imbuta militum tela: ſed propè dicam nullæ inimicitiæ, nulla diſcordia, nullum bellum vnquam ei tantum dolorem inuſſerat: excitabatur enim bellum inter ſocios & amicos, inter affines, inter cognatos proximos, plus quàm ciuile, auunculus propè alter parens oppugnabatur à ſororis filio; filius ſororis, quem liberûm loco haberi oportebat, ab auunculo gener, propè alter filius, ſocero ſuo inferebat arma; ſocer, qui parentis grauitatem obtinere debuit, in generum infeſtas copias ducebat: duo florentiſſima regna in ſummum periculum adducebantur; vtrũlibet illa tempeſtas obruiſſet, doloris fluctus in reginam turbulentiſſimi redundarent. Lætaretur parẽs filij victoria? at victo nepote auia lugeret. rebus ſecundis nepotis gauderet auia? at mater profligatum filium ſine ſummo luctu videre non poſſet. quæ cùm cogitabat, ac ſibi etiam illa proponebat, oppreſſos & contrucidatos incocentes,

improbos impunè bacchantes in cæde miſerorum, factioſos, exſultantes audacia, tenues atque humiles fortunis omnibus euerſos, religiones vexatas & ſepultas, regnantē & triumphantem impietatem, reges ad vincandum tardos, latrones ad prædādum proiectos, bello ardentem Hiſpaniam multorū ſanguine ſaginatam crudelitatem paucorū, omnium facinorū impunitatem infinitámque licentiam; tum regnorum æternam ruinam, & rerumpublicarum, quas maiores tanto labore fundaſſent, miſerabilem interitum perhorreſcebat. non eos timuiſſe Dei numen? non hominum famam? non auiæ matriſque conſpectum eſſe veritos? non cognationem materni ſanguinis, & dulciſſimum affinitatis, & propinquitatis nomen? O ferreos animos, ô barbaros mores conſiliariorum! tantámne eſſe hominum improbitatem, & ſcelus, & audaciam, vt duorum regum animos, vel naturæ, vel ætatis vitio feruentes, dominatus inſolentiâ elatos, exiguo rerum vſu parum cautos in tā inexpiabilem fraudem impellant, vt præ ſuis commodis tot res ſāctiſſimas pro nihilo ducāt? Videte obſecro, viri ornatiſſimi, quantum inter B. Eliſabetham, & illos interfuit, qui impij belli gerendi duces erant & auctores. Illi nihil non eſſe faciendum, nullos

tentandos aditus, nullas non quærendas artes exiſtimabant, vt ex aliorum malis & miſeria ſibi creſcere liceret. regina non auctoritatem modò, ſi quam adhuc retinebat, ſed vitam ſibi etiam amittendam eſſe ſtatuebat, vt arma impia ac perniciosa, de regum iratorum manibus extorqueret. Vocat ſuos, omnia comparari iubet, ſibi & ad filium, & ad nepotem eundum eſſe, prius quàm bellum illud calamitoſum atque funeſtum ſuſciperetur. Exſtiterunt vt in huiuſmodi rebus ſolet, qui, cùm ipſi prodeſſe non poſſent, obeſſe conarētur, tametſi animo fortaſſe proficiendi magis, quàm nocendi, voluntate, tempus maximè aduerſum eſſe dicebant, ne ipſas quidem beſtias vim ſolis, & æſtatis calores eſſe poſſe, iam ætatem illam otio, quàm negotio; quieti, quàm itineribus magis idoneā videri. modò peregrè penè cōfecta & ſemiuiua rediiſti, iam aliò cogitas: nondum ſatis ex itinere ſuperiore recreata, aliud rurſus ingrederis: vix ad has tuas ſedes perueniſti, roſiciſci geſtis, ſemper feſtinādum tibi? ſemper eundum, ac redeūdum eſt? ſemper in labore contētionéque viuendum? quando tibi frui licebit optatiſſimo tranquillitatis portu, ſi nūc extrema ſenectute iam propè vitæ ſpatio decurſo, in mediis fluctibus turbulentiſ-

ſimis

ſimis verſaris, cùm initium tibi requieſcẽdi fortè iuſtum & ab omnibus co nceſſum eſſe videbatur? magnum profectò, magnum hoc tempore regina ſubis diſcrimen: non poſſumus non timere vehementer, ſi hoc tãtum exacta ætate, laboris itinerisque ſuſceperis. Verùm, nihil hac oratione, Eliſabethæ animus grauis & excelſus commoueri, & labefactari potuit: tantum abfuit vt de gradu honeſtâque ſententia deiiceretur, permanſit in propoſito ſuſceptóque conſilio, hoc etiam quam anteà conſtantior, quod cùm ſe grauiùs oppugnari cerneret, multò vehementiùs confirmabat animum ad reſiſtendum. Potero videre duo regna proxima nõ modò vicinitate locorum, ſed etiam cognatione ſanguinis infeſtis ſignis cõcurrentia? audiam militum clamorem, crepitũ armorum, equorum hinnitum, & tubarum ſonũ, & cùm non diffidam auctoritate meâ ſedari poſſe hunc tumultum tantum: & ciuitates infinitâ cæde, vrbes euerſione prohiberi, rationem potius habendam eſſe ducam vitæ meæ quàm incolumitatis omnium & publicæ quietis? Quantum demum eſt hoc ætatis, quod anus decrepita poteſt viuere? ſi certò ſcirem ſexcentos annos ad eos, qui præterierunt, acceſſuros hoc itineris vitato labore; tamen emori malle deberem, quàm
diſcor

diſcordiam vniuerſæ Hiſpaniæ tam perniciosam non extinguere conari ſi poſſem. nunc cùm mihi momentis omnibus mors impendeat, non ſolùm vt pueris etiam imminere dicitur; verùm etiam quia perueni iam ad ſupremum corpus ætatis meæ, mori ſola recuſem, vt conſeruem quàm plurimos ſi mihi prorſus iter hoc interitum eſt allaturum, qui nam reperiri vitæ poterit magis optandus exitus? Inſtat cunctantibus, maturat, proficiſcitur ad ea loca, in quibus verſari filium audiebat, magnis itineribus contendit. Stremotium eſt oppidum trans Tagum peruetus, viri ornatiſſimi, cuius arcem altiſſima & firmiſſima turre nobilem, antiquiſsimi reges in mōte præcelſo atque edito collocârunt. Huc ſe rex Alphonſus Eliſabethæ filius fortè contulerat initium belli cum Caſtellæ rege facturus. Nam & locus ſatis munitus erat ad impetum hoſtiū excipiēdum, & propter illius regni propinquitatem, ad omnia belli conſilia maximè videbatur opportunus; eodem primùm aduolauit ſanctiſſima regina, vt rebus cum filio tranſactis atque deciſis, inde in Caſtellam ad nepotē properaret. ſed voluit Deus Opt. Max. tam ſalutaria mulieris excellentis conſilia, ad eum quem optabat, exitum peruenire: qui dubium non eſt, quin ob

mu

multa & grauia totius Hiſpaniæ delicta, pœnas à duobus potentiſſimis & florentiſſimis populis expetere voluerit, cùm permiſerit pluſquam ciuile bellum tantum, & tã luctuoſum excitari. ſtatim vt attingit Stremotium, cùm grandis natu fœmina aſſidua, exhauſta laboribus non breuiſſimum iter inepta viâ confeciſſet, defatigata & fracta, in morbum incidit primò ſanè leuiorẽ, ſed is magis ac magis ingraueſcens, paucis diebus Luſitaniæ decus, Hiſpaniæ præſidium, orbis terrarum lumen extinxit, immò verò terris eripuit, cœlo reddidit. O diem illum tibi quidem ſanctiſſima regina, beatiſſimũ, ſed non minus triſtem & acerbũ tuis, quàm lætũ & iucundũ, quo die vi morbi confecta, ea fugiſti, quorum faſtidium tibi vitæ ſatietatem afferebat; eò migraſti, quo iamdudũ incredibili animi ardore feſtinabas? eos in ſolitudine & orbitate reliquiſti, quorum incolumitatem & quietem, vt bona parens tuâ ſapientiâ & auctoritate tuebaris, ad illos immmortales beatorũ cœtus perueniſti, qui tibi non oneri, ſed æternę voluptati eſſe poſſent. Nam etſi ex iſto altiſſimo domicilio, vbi fidei remoto & detracto velo, cum inciredibili gaudio Deũ præſentem intueris, tantò meliùs tuis, qui iacebãt adhuc in terris, poteras optulari quãtò poſt obitum

eras cum illo perenni bonorum fonte coniunctior? tamen quam pacem & tranquillitatem hiſce gentibus tua vita videbatur allatura, eam iure optimo intempeſtiua mors atque diſceſſus credebatur ſuſtuliſſe. quæ enim poſterior lux non acerbior priore, aut quæ nõ inſequens hora antecedẽte calamitoſior, duobus regnis opulẽtiſſimis illuxit. Vidit Hiſpania & illum hauſit vel acerbiſſimum oculis dolorem; vidit periculoſis dubiisq; tẽporibus, non cõſiliis ſolùm & ſtudiis, ſed armis etiã & caſtris diſſidẽtes maximos reges: aſpexit pedeſtres pugnas atque nauales non mediocri certamine, nec paruâ dimicatione cõmiſſas: luxit ornatiſſimas naues partim captas, partim depreſſas, & lectiſſimos fortiſſimosq; viros, vel interfectos, vel in poteſtatẽ hoſtiũ redactos, cùm regum cognatorum claſſes maximæ ſpe atque animis inflãmata acerrimis ducib⁹ proxima & ſocia littora hoſtilem in modũ vaſtare niterentur. Pertulit direptiones & agrorum vaſtationes Gallicia, quæ cis Anam fluuium eſt regio maritima, ferrum hoſtile flammámque ſuſtinuit: extimuit Caſtella influentes cum pernicie Luſitanorũ copias: tranſtagana Luſitania Caſtellani regis, non ſine malo, ſenſit aduentum. Quis obſidiones vrbium, regionũ depopulationes, ſtra-

ges, incendia ſine gemitu & dolore cōmemoret? Quamdiu Eliſabetha vixit, viguit pax, valuit ſanguis, non ſunt affinitatis iura violata; poſt illius diſceſſum omnia ſpreta ac repudiata iacuerunt: vt regum cōcordia, & ſimul cum illa floruiſſe, & eodem elata funere, vnà ſepulta fuiſſe videatur. O Deus immortalis, magnam & commemorabilem laudem viri ornatiſſimi. Magnum eſt reges inter ſe diſſidentes pacificare conari: præclarum, vt id perficias, labores contentioneſque ſuſcipere: vitam & ſalutem in apertum offerre periculum, inuſitatum. Quid dicam, quod B. Eliſabethæ contigit in ipſa functione tanti muneris, & in cauſa animā amittere? par tantæ rei verbum inueniri nullo modo poteſt. O animus magnus, & excellens ſanctiſſimæ reginæ: quæ cum in omni vita retinendæ concordiæ, extingvēdi odij, recōciliādæ gratiæ ſtudioſiſſima fuiſſet, non prius deſtitit iratos hominum animos verbis & auctoritate placare; quàm extremū vitæ ſpiritum edidit. Quod anni negabant, tribuebat pietas: quantum de corporis viribus diminuerat ſenectus tantū ad animi robur motus ardor addiderat, & cùm exacta iam ætate vix ſe commouere poſſet, tamen incredibili celeritate, quocūque vocaret conſeruādæ pacis amor, aduo-

labat. Fuit, fuit illa quondam virtus excellentibus viris, vt cum crudelitatē ferre non poſſent, nec eos homines eſſe ducerent, qui ſemper humanum ſanguinem ſitirēt, manſuetudinem illius magiſtri cœleſtis imitantes, vt obſiſterēt cædi & furori, ac per ſummos quidem cruciatus nō recuſarent. veſtitus eſt hoc, quod dicam, & perpaucis veſtiûm fortaſſe cognitum? tametſi propter exempli nouitatem, nemini debet eſſe inauditum. Poſteaquàm Roma princeps omnium terrarũ publicè verã religionē accepit, cùm illa portētoſa ſacra, magna ex parte abieciſſet? tamen adhuc veſtigia quædam veteris impietatis retinebat, & in ciuitate Chriſto dedita, duorum Apoſtolorum ſanguine conſecrata, etiam tunc infeſtiſſimus hoſtis humani generis, quadam ex parte dominabatur. Ludorum diebus exhibebantur paria gladiarorum, qui nudi in medio theatro decertantes, ſuis vulneribus exprimerent imaginem quandã præliorũ, redũdabat miſerando ſanguine tota cauea, ſpectatorum animi crudeles, illo tam triſti & lũctuoſo ſpectaculo poſcebantur, tantáque immanitas hominum mentes errore cæcas imbuerat vt eum fortiorem iudicarent, qui rueret ad interitum audaciùs, eũ miſericordia minùs dignum arbitrarentur, qui illam

vehe

vehementiùs efflagitaret. hinc illa verba ſunt; *Ferrum recipe iugulum præbe*: non hominum ſpectaculis digna, ſed carnificina Barbarorum: non ciuitatum nobilium theatris, ſed luſtris immaniſſimarum belluarum. Igitur cum Theodoſij morte imperiū Europæ datum eſſe Honorio Telemachius quidam monachus, vir admirabili virtute præditus, ab orientis Solis partibus Romam venit eo animo, vt illam tantam inhumanitatem funditus tolleret, ſi poſſet. videte quam inierit rationem. neminē in ea ciuitate norat, nemini ipſe notus erat, ingreditur in theatrū cum ceteris, celebritate ludorum. ſedet tacitus inter deſpectos hominum greges rei gerendæ commodam occaſionem exſpectans, ecce duo procedunt gladiatores valẽtes & robuſti profligatâ audaciâ: quos vt ille diſtrictis gladiis congredientes aſpexit, exſiluit ſubitò exanimatus dolore, vociferatur, accurrit, tendenſque ad eos ſupplices manus, pro ſalute ipſorum multis lacrymis orobat, ne ſe tā nefario ſcelere contaminarent. Cùm certamen impediretur, fit repentè clamor, fit populi concurſus atque lapidatio, & qui ſpectandi cauſſa venerant, facti ipſi gladiatores, dęmonis inſtinctu, qui ſuum euerti regnum iniquiſſimo animo ferebat, ducem & auctorem pacis obruerunt.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

renunciatur optimo principi tam indignum facinus, exarſit ſcilicet vt in re tanta oportebat iuſtâ quâdam iracundiâ & dolore, itaque qui interfectus erat, eum in numerũ diuorum referẽdum curauit: improba verò & inhumana ſpectacula penitus è medio ſuſtulit edicto ſic vir ille diuinus quod viuus precibus & voce non potuit efficere, id extinctꝰ plagis & morte ipſa perfecit. Magna ſanè res, magna virtus, magna laus, non dubitaſſe ſuum ſanguinem profundere, vt duorum hominum vitam conſeruaret. Verùm attendite, quæſo diligenter, quãta magnitudine animi, veſtigia Telemachij perſecuta ſit Eliſabetha Ille nõ pertimuit populi furorem diſtrictoſque gladios: Eliſabetha morbos imminentes ſenectuti contempſit: illius feliciſſima cædes finem attulit vetuſtiſſimæ crudelitati ludorum, reginæ vita neceſſaria, nouorum bellorum ſtirpẽ ipſam ſemenq; delebat: ille viuus gladiatorum ſalutem quodammodo remorabatur, huius dilatus interitus inflammationem tectoũ, & vrbiũ vaſtitatẽ retardabat: ſed vterq; eâ fuit altitudine animi, vt mortem contemneret. Telemachius quò certamen impiũ gladiatorum vel ſuo ſanguine, ſi quo modo poſſet, obrueret, Eliſabetha quo regũ finitimorum prælia tanto magis

per

pernicioſa,quantò maioribus in acie copiis, & animis dimicatur, quàm in theatro, vel auctoritate ſua prohiberet, vel opprimeret ruinâ,& vniuerſæ Hiſpaniæ, quoad ei' fieri poſſet,pacem relinqueret non ad tempus. ſed æternam. Quod ſi tum alieno Reipubl. tempore illa virtus non eſſet erepta (neque enim extincta) tametſi verbis & precibus iratos regum animos mitigare nequiuiſſet, & effrenatus ac præceps furor eos à mente & conſilio deduceret,tamen in ipſo cõgreſſu medioque certamine,collatis iam ſignis, extorſiſſet arma de manibus, & in gratiam quãuis nolentes, quamuis recuſantes & reluctãtes reduxiſſet Meminiſſe vos arbitror, quid illa fecerit in pugna filij cũ rege Dionyſio, quo animo militum tela contempſit? quâ celeritate per medias acies ſola penetrauit?quâ prudentiâ hinc filiũ placauit,inde patrem? quod igitur ad concordiã tãtum valere re ipſa iam antè didicerat, id in ſummo periculo ſuorum omiſiſſet?nõ ferret animi pietas,non ſineret publicę tranquillitatis amor, ipſa pacis conciliandæ vetus conſuetudo nullo modo pateretur, vt ad illud inſigne Telemachij & ſingulare facin', qui inermis in media ſe arma coniecit,non animus ei defuiſſe videatur, ſed facultas. Vtinã diuturnior tibi vita contigiſſet ſanctiſſima

regina, neq; ipſo belli principio diſcediſſes à nobis: non ornatiſſimas claſſes demerſas maria vidiſſent: nõ agris vaſtitas, mœnibus excisio, tectis inflammatio, duobus Hiſpaniæ regnis euerſio fuiſſet illata: aut certè ſi tanta mala, & tam humilẽ peſtẽ ab aris & focis minimè repellere & arcere potuiſſes, impiis tuorũ armis obrui te & extingui paſſa eſſes, ne omnia collapſa & exciſa videres: Atq; vt clariùs perſpiciatis Eliſabethæ merita in omnẽ Hiſpaniam ſingularia, viri ornatiſſimi, proponite ante oculos veſtros priſtinum ſtatum Chriſtianæ reipublicæ & eũ qui nunc eſt, mente vobis & cogitatione depingite, veteraq; ſimul & recentia vulnera repetite memoriâ, vt explicatis ordinibus temporum, quæ oculis cernere nõ poteſtis, ea in animo tanquam in vno conſpectu videatis: quidquid vbique genitũ acceptũ eſt calamitatis, id à Chriſtianorum diſſenſione, non ſecus atq; à ſeminibus arbores ac ſtirpes, ortum eſſe cognoſcetis. In Sicilia & Italia ſummis opibus, Hiſpani cum Gallis dimicabant: principes & ciuitates modò Gallorum, modò Hiſpanorum arma ſequebantur: Germani cum Saxonibus, cum Gallis, cum Romanis confligebant; Galli cum regibus Britannorum bella grauiſſima gerebant: Pannonij in Italiam copias infeſtas

indu

inducebant: Itali & Galli cum ducibus Bæzantiis decertabant. Neque verò qui Solis orientis partes obtinebant, pacatioribus rebus ſuis vtebantur omnes inſulæ, omnia maria, omnes ſinus atque portus, omnes denique terrarum oræ diſtributis imperiis, miſerabili bellorum incendio conflagrabant. Quod ſi gentes ſolum vniuerſas, aduerſus alias ille furor armaſſet, etiamſi fuiſſet hoc ipſum luctuoſum ac funeſtum: tamen aliquantò meliùs cum rebus humanis actum eſſe videretur: ſed vbique locorum exitialis illa peſtis ciuilium diſcordiarum ab infinita regnandi cupiditate profecta, dominabatur in Hiſpania rerum ſummam alij aliò trahebant? in Italia ciuitates, populi, principes crudeliſſimis præliis conte-debant: in Gallia tumultus, in Britannia ſeditiones, in Germania varij motus populorum, in Pannonia repentinæ regnorum cõmutationes, in Thracia proditiones Imperatorum, aliorum creationes, defectiones, vrbium oppugnationes, direptiones, & alia quæ ſine lacrymis commemorari non poſſunt. Aduocabuntur ad Chriſtianorum perniciem & vaſtitatem à Chriſtianis, Saracenorum, Turcarum, & aliorum hoſtiũ nominis Chriſtiani duces cũ maximis copiis omnia diuina & humana agebãtur &

ferebantur. In Syria Ligures volebant obtinere principatum, Veneti reſiſtebant acriter, & cum Liguribus omnibus viribus de imperio certabant. Neque res Eccleſiæ in tanto bellorum tumultu meliores erant. Epiſcopi Byzantij, & Imperatores à Romano Pontifice deficiebant, cum palam armis oppugnabant, peſtem Vrbi terrarum & religionis principi machinabantur. nunc in Gallia, nunc in Germania ſummi Pontifices noui creabantur, nunc in ipſa Italia intra Vrbis mœnia exſiſtebant, qui ſibi munus illud ſcelerate vendicarent. Intereà Saraceni, ac Turcæ gentes inimiciſsimi Chriſtiani nominis, emergentes ex Arabiæ Scythięque latebris Pontum, Paphlagoniam, Galatiam, Bithyniam, Phrygiam, Cariàm, Lyciam, Pamphiliam, Ciliciam, Cappadociam, vtramque Armeniam vi ceperunt: inde Syriam omnem, & Hieroſolymam, & Aegyptum, & Africam ſub ſuam poteſtatem ſubiecerunt, confirmatoque imperio duarum ferè partium orbis maximarum, cùm in Europam traieciſſent, penè totam Hiſpaniam perdomuerunt, Thraciam occuparunt, vtramque Myſiam inuaſerunt, Macedoniam eripuerunt, Græciam ſubegerunt, totam Pannoniam depopulati ſunt, & maximam

ximam eius partem ſub ſuam ditionem & imperium ſubiunxerunt· Atque vt ad hæc noſtra tempora deueniamus, quæ non minores calamitates ſæpe numerò viderunt, occupatis omnium animis inteſtino bello (tametſi hanc pacem tam æquis conditionibus conſtitutam, tot ſanctiſſimis affinitatibus ſtabilitam, tot à Deo precibus omnium gentium & votis impetratam, æternam fore confidimus) tamen dum Chriſtiani principes inter ſe pugnant atque contendunt, imminent illi cum infinitis copiis, in omnes terras & maria claſſibus maximis ædificatis & ornatis quocumque libet, impunè peruagantur: penetrant in ſinum atque in complexum Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, &. in iis portubus volitant armati, quibus vitam & ſpiritum ducimus. neque metu aliquo affecti diſcedunt, ſed ſatietate, cùm regum Chriſtianorum oculos totius terrarum orbis prædonum remi reſpergant, inſulas diripiunt, vrbes incendunt, regna ferro & flammâ vaſtant, omnes terrarum oras habent infeſtas eaque iam immaniſſimorum hominum audacia proceſſit, vt Gaditano freto in Oceanum erumpere non dubitarint, & partem Luſitaniæ maritimæ luſtrare. In tanta igitur calamitate vniuerſæ Reipubli-

cæ in tanto decore Chriſtiani nominis, in tanto periculo omnium gentium quas reliquas fecit teterrimarum belluarum crudelitas inſatiabilis? Fingite animis vnum aliquem exiſtere præcellentem hominem atque diuinum, quique nunc ſua ſponte, nõ humano, ſed diuino conſilio inchoatũ videmus auctoritate ſuâ perficiat, perniciosa Chriſtianorũ bella deleat, lites cõponat, ſeditiones cõprimat, inueterata odia penitus extinguat, atq; omniũ Gentiũ arma trãsferat, & conuertat ad illa tam multa tam magna; quæ ſunt per diſcordias amiſſa vno cõſenſu conſpirate atq; cõflato repetẽda: quãtum iudicaretis, huic homini deberi, qui tã breui tempore tantã Chriſtianorum rebus afflictis lucem afferre potuiſſet? Tantũ ego Eliſabethæ credo omnem Hiſpaniã debere atq; hoc etiam aliquantò amplius, quod ille vulneribus iam acceptis faceret, ſi poſſet, medecinã regina priùs quàm mali quidquã accideret, ne accidere poſſet, prouidere conabatur: quod etſi perfectum non eſt, tamen eam pari laude dignam puto, cùm vt perficere poſſet, ad extremum vitæ ſpiritum elaborarit, mortem enim impendentẽ cõtemnere potuit: vitam ſibi longius propagare non potuit. Quid ſanctæ Eliſabethæ cauſam mortis attulerit, videtis nunc qua

ratione ſit mortua, conſiderate etenim in ipſo obitu hominum virtute præſtantium, non minus eſſe ſolet admirationis quàm in vita fuit ſanctitatis. Principio cùm non vehementer ægrotaret, quotidie veniebat in ſacellum regiũ, & ſuo priſtino more aderat rei diuinæ cum Alphonſo filio poſt grauiùs affligente valetudine, & vrgente morbo die Lunæ quodam ſe cubiculo ſuo continuit: aderat ſocrui laborãti nurus, diligenter & præ famulabatur, & quibuſcunque rebus poterat, ſanctiſſimam anum moleſtiſſimo morbo intabeſcentem, ad lætitiam & hilaritatem reuocare videbatur. audite quid euenerit, mirari profectò deſinetis, ab hominibus tantopere laudari, quam cœleſtes inuiſerint. Equidem non temerè grauiſſimos doctiſſimoſque viros credidiſſe arbitror, impiorum hominum, & facinoroſorum mentes, migrantes à corpore ſimulacris & ſpectris horribilibus, ac furiarum pœnis metuendis perterreri, neque vnquam poſſe conſiſtere: at qui ſanctè integreque vixerunt, eorum animos placidè & quietè diſcedentes è vinculis corporis, Chriſti Optim. Maxim. beatorumque omnium præſentiâ & numine, obiectâ aliqua ſpecie gratâ & iucunda, non recreari modò, verùm etiam confirmari.

nam

nam credibile non eſt, aut infeſtiſſimos hoſtes non illis inſtare morientibus, quos ſuæ crudelitati iam deditos, quodam modo & addictos eſſe arbitremur; aut mitiſſimum parentem non illis adeſſe in tanto diſcrimine, quos intelligat ſibi dicto ſemper audientes extitiſſe. Mitto cetera, tametſi magna & admirabilia quæ ſummâ fide & auctoritate homines literis mandauerunt: id ſolùm dicam, quod eſt quâdam ex parte cum reginæ laude coniunctum beata Clara, eximia religione virgo, & laborum patientiâ, cuius humilem & anguſtam ædiculam Innocentius Pontifex maximus, qui fuit quartus hoc nomine, pontificiâ maieſtate ſibi cohoneſtandam eſſe duxit, vltimo vitæ die Chriſtum Ieſum, eiúſque matrem ſanctiſſimam, ceteráſque virgines ſtolis candidis ornatas, ad ſe ingredientes, hilaris & læta conſpexit, nec de tanto gaudio celare potuit comites ſuas; ſed exultans & geſtiens quæſiuit, an ſacrum illum cœtum, quem ipſa cerneret, viderent. Iuſtum planè, ac penè debitum erat, vt S.Mariæ reficeretur aſpectu, cuius exemplo & inſtitutis caſtiſſimæ virginum ſacrarum familiæ, Chriſto initiatæ ſunt atque deuotæ. Huius ſanctiſſimæ virginis rationem

& moris non ſolum probarat maximè, ſed etiam & ante nuptias, & in matrimonio, & in viduitate, pro ſua virili parte proſecuta fuerat Eliſabetha. huius in ipſa morte non eſſe diſſimilem oportuit, cuius in vita ſimilitudinem aliquam aſſequi ſtuduiſſet imitando. Vidit, cùm morbo vrgeretur, Dei matrem accedentem virginali habitu atque veſtitu, & nurum ſuam, & alios qui aderant, hortata eſt, vt illi matronæ cederent, quæ albata veniret. ego verò non abfuiſſe credo ſacrum virginum beatarum chorum, quo ſtipata Chriſti parens feliciſſima ſolet vagari liberè, quà libet. Claram autem iam apud ſuperos agentem quis in illo tali conuentu fuiſſe deſideratam opinetur, cùm inuiſeretur in diſceſſu regina, quæ eius ſimillima eſſe voluiſſet in vita? Multum valet ad bene moriendum multum valet tranquilla & honeſta vita, viri ornatiſſimi; & vt eſt valde difficile rectè mori, qui malè vixerit, ſic fieri ferè non poteſt, vt eius mors ſit miſera, cuius vita fuerit beata. Scitis opinor, ac fortaſſe vidiſtis aliquando, quid vſu venire ſoleat in morbis, & periculo præſertim eorum, qui opibus & honoribus antecellant. Qui metus medicorum? quæ familiarum & domeſticorum dubitatio? quanta omnium hæſitatio

ratio tractuſque verborum? vix iam duos dies viuere poteſt: at ſi hoc ipſe cognorit, ægritudine animi citiùs conficietur. quid igitur inſcium periculi ſui mori vis, nec opinantem? non eſt tam citò deſperandum fortaſſe euadet. at in diſcrimine ſalutis oportet confiteri de peccatis. ſatis erit temporis, ſi res ita tulerit, & vt ſperamus, non erit neceſſarium: feſtinandum adeò non eſt. vt terreatur. Ita ſæpe accidit vt priùs eos qui ægrotant, mors opprimat nihil metuentes, quam ipſi potuerint ſe ad bene moriendum comparare. At Eliſabetha non medicorum conſilium, non ſuorum admonitionem, non cuiuſquam vocem expectauit, & cùm ſæpius quot annis peccata cōfeſſione expirare conſueſſet, die Iouis proximo, quàm cœperat morbus ingraueſcere, qui dies erat ante diem quartum Nonas Quintiles, vt hic eſt, vocari iubet ſacerdotem, à quo ſolebat audiri, animoque perpurgato ac delictis ſoluto, imperat fieri ab eodem ſacrificium extra cubiculum, vbi iacebat, ſed in eo loco, vt ipſa & quæ gererentur. ſpectare poſſet, & accipere quæ dicerentur. O rem nouam & inſolitam, ô facinus pulchrū & inſigne, de quo quoties cogito, totius animus admiratione defixus, obſtupeſcit! Vtinam adeſſent

omne

omnes gentes atque nationes: vtinam me-tam præclarum factum commemorantem audirent ſola terrarum vltimarum: vt omnes mortales intelligerent, quæ pietas, qui cultus, quæ reuerentia Euchariſtiæ ſacroſanctæ debeatur. quantum potero tantum voce contendam, vt hi ſaltem omnes exaudiant, qui hodiernâ die conuenerunt Factâ re diuinâ regina ſummi animi, ſurgit è lecto, induit veſtem illam, quã ipſa ſibi delegerat poſt mortem regis. hoc fortaſſe mirum vobis videbitur, ſed nihil dicam, quod, ſi neceſſe ſit, veſtuſtiſſimis literis probare non poſſim. illo amictu quo fuerat in ſolitudine & viduitate delectata, nulla adiutrice, nemine nixa, debilitata quidem morbo, ſed diuino numine corroborata, ſola ad aram extra cubiculum egreſſa eſt, ſubſedit genibus flexis, ſanctiſſimum corpus Chriſti cum fletu & eiulatu ſumpſit viaticum perneceſſarium ad illud iter extremum in cœleſtem patriam conficiendum, & quod mihi multò rem mirabiliorem reddit, hæc illo ipſo die fecit, quo migrauit è vita. O mirificam ſubmiſſionem animi, & ſingularem erga Deum Eliſabethæ reuerentiam! Non, vt quondam Petrus Apoſtolus multitudine piſcium, quos præter expectationem cepiſſet, ſtupe-

facta apud ſe commemorantem totius
Math.8. mundi rectorem & dominum orauit ſupplex, vt à ſe diſcederet: non vt ille Centurio, Chriſti verbis & oratione laudatus magnitudine earum rerum quas ab eo fieri vidiſſet, perterrita domum ſuam veniētē obſecrauit, ne tam humile anguſtumq; tectum ingrederetur: ſed cùm neceſſe eſſet, aut venientem accipere, aut quærere abſentem. ſemiuiua, ad eum adire maluit, quàm pati ad cubiculum ſuum accedere omnium rerum parentem & gubernatorem. rediit ab altari ad lectulum, cœleſti cibo recreata & cōfirmata decubuit. Cùm aduesperaſceret, nec medici tam citò morituram eſſe ſuſpicarentur. acceiſiuit regem filium ſuum, multum & diu cum eo altercata eſt, nec dubium eſſe poteſt, quin egerit de pace, cuius rei cauſſâ laborem illum & periculum non recuſarat. tandem vt ad cœnam iret, admonuit; ille cœnauiſſe reſpondit, ſed vt gereret morem ægrotanti, exiit tantiſper foras cum medicis. Vix Alphonſus peruenerat ad oſtium cùm repentè mulierum, quæ cum matre remanſerant, tumultus auditur & vociferatio. aduolat exanimatus filius parentem diſcedentem non ſine lacrymis & dolore conſolatur, oſculatur aniles manus, quæ ſæpe vlcera, ſæpe egentibus pedes

ab

abluerant. Intereà Regina ad ſe rediit, reſpirauit interruptis ac morientibus vocibus cum filio de neceſſariis rebus collocuta eſt, ac ſubitò ſe ad Deum conuertens oblita res humanas cùm ſentiret illud tempus aduenîſſe, quo tempore Deo reddẽdus eſſet animus à quo eum accepiſſet, defixit oculos in imaginem Chriſti ſufixi cruci, ſanctæ Mariæ virginis opem & auxilium implorauit quam ſanctiſſimè coluerat in omni vita: quam in morte nuper viderat præſentẽ. *Maria*, inquit, *mater gratia, mater miſericordia tu me ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe,* pronunciauit ſymbolum Apoſtolorum, vt fidem ſuam, quam maximè manifeſtam teſtatámque relinqueret, recitauit, tametſi iam eam ſpiritus deficiebat, recitauit tamen vt potuit, ſolemnes precationes Eccleſiæ, animúmque ſuum è corporis ergaſtulo fugientem, auctori & creatore ſuo commendauit. Obſtupeſcebant magis magiſq; ſemſus, hebeſcebat totum corpus, debilitabatur vox, intercludebatur anima, ægriùs anhelabat, cùm beatiſſimus ille animus, ſolutis vinculis, emergens è tenebris, relinquẽs concretum & mortale corpus, nactus liberum cœlum atque lucem, in illam ſempiternam domum triumphans euolauit. Quid lacrymarum ipſum regem putatis profudiſſe,

vbi matrem illam mortuam aſpexit, cuius precibus & diligẽtia ſæpe numerò fuiſſet è ſummis vitæ periculis conſeruatus? quem fletum omnium clientium fuiſſe? quem luctum & eiulatum circumſtantium feminarum? quem ploratum pauperum quem dolorem & gemitum Caſtellanorum? quem mœrorem totius Luſitaniæ? obiiſſe reginã talem ſpecimen virtutis, exemplum integritatis & innocentiæ, pacis interpretem, omnium ferè regnorum Hiſpaniæ parentem, quæ ſuo conſilio ex ferro & flamma nõ ſemel, ſed iterum ac ſæpius liberauiſſet: cuius etiam ſi vita tam naturæ debebatur, ſapientia tamen reipubilcæ videbatur neceſſaria. Quantum detrimentũ quarto Nonas Quintiles accepiſti Luſitania, quantam illo die iacturam Hiſpania feciſti? quam inſanabilis & mortifera plaga fuit omnibus ciuitatibus inflicta periit enim opulentiſſimorũ regnorum dignitas, periit pax periit tranquiilitas periit æquitas quæ vis Martis perculit, quæ diripuit ira victoriæ, quæ vexauit militaris furor, quæ ferrũ euertit, quæ flamma conſumpſit, omnia pariter cum Eliſabetha perierunt. Fuit illa quidẽ certè fortunatiſſima, quæ non ſolum vitam labenem immortali, breuem æternâ, miſeram beatâ, vel potius mortem vitâ commutauit

ſed illud etiam cōſecuta eſt diuino munere atque cōceſſu. quòd à Deo ſæpe fuerat precata, vt ſibi moriēti Alphonſus filium adeſſet, terræ ipſæ infelices ac miſeræ fuerūt, quæ tale vel ornamentum rebus ſecundis, vel ſubſidium aduerſis perdiderunt. Verum ne magis deplorare mortem quàm reginæ factæ laudare videamur, & ingrati iudicemur, ſi vehementiùs noſtris malis doleamus, quàm lætemur illius bonis ſempiternis, ad reliqua pergamus. Pauca enim ſunt quæ mihi reſtant, admodū pauca, viri ornatiſſimi, ſed eiuſmodi, vt nihil magis neque Eliſabethæ ſanctitatem neq; totius populi aduerſus eam caritatē & amorem declarare poſſit: ea, dū breuiter attingo, peto à vobis, vt benignas mihi veſtras aures & attentas accōmodetis. In funere priſcorū regum & imperatorum, cùm improba corpora & impura cremarentur, quorum à manibus nullum facinus, à reliquis partibus corporis, nullum flagitium vnquam abfuiſset, ne odoris intolerabili fœditate eiectis iis, qui aderant, rariſſimis lignis ſemiuſtulata cadauera, nocturnis canibus dilanianda relinquerentur, magna vis odorum in eaſdem flammas conijciebatur, vt eorum ſuauitate, fœtoris grauitas ab hominum naribus depelleretur. Quid dicam vnâ horâ ducentas

Plut. in vita Sylla. decem lecticas refertas odoribus arſiſſe cũ L. Sylla? quid memorem imaginem eius ſatis amplam & excelſam, ex diuerſiſſimis fictam odoribus, cum exangui corpore fuiſſe incenſam? videlicet qui ſic vixerat, vt ille, & exitum vitæ dignum moribus ſuis inuenerat, ſi aliter atque ille, combuſtus eſſet, contagione peſtiferâ corrupiſſet, & contaminaſſet ipſum cœlum. Alios pretereo, quorum exitus non diſſimilis, vitæ propè par fuit turpitudo. Quàm diſpar, prô Deus immortalis, quàm diſpar, quàm diſſimilis ſolet eſſe, mors piorum? quorum corpora ſanctiſſima, vt ab omni turpitudine & corruptela, dũ viuerẽt, abhorruerũt, ſic mortua & exanguia, integra, & à corruptione aliena, diuino numine conſeruantur. Infinitum eſſe narrare de omnibus, quorum è ſepulcris patefactis atque erutis mira quadam ac diuina ſuauitas odoris afflata eſt, commemorarem de ſancto Dominico, ampliſſimæ & religioſiſſimæ familiæ parẽte: de B. Thoma Aquinate, egregiâ ſapientiâ & integritate viro: de aliis quamplurimis, quorum cùm beneficiis immortalibus debitos reddit, tum nomini, virtuti, rebus geſtis ſummâ voluntate tribuit populus Chriſtianus feſtos dies, quorum vitam atque facta viri ſummâ grauitate & doctrinâ nobis ſuis

ſuis poſteris literis teſtata eſſe voluerunt. Æquum profectò,æquum erat, viri ornatiſſimi,ac prope neceſſarium, vt & illa mõſtra ex omnium ſcelerum & flagitiorum colluuione nata,ipſa fœtoris nouitate, declararent mortua, quibus in ſordibus, quo in luto,quo in cœno viua iacuiſſent, & qui diuino quodã;non humano more vixiſſent, eorum odoris iucunditate ne mors quidẽ, quæ maximè putatur propria hominũ, humana videretur. At hoc certè defuit Eliſabethæ. quid vnquam magis nouum, magis inuſitatum,magis inopinatum in hoc genere,aut vidimus,aut legimus,aut audiuimus? Mandarat Alphonſo filio, & Epiſcopo Lamaceno,vt perficienda curarent, quæ teſtamento fieri iuſſiſſet.in teſtamento quodam loco ſic ſcripſerat: velle iuberéque ſuũ corpus deportari Conimbricam, & in templo beátæ Claræ à ſe ædificata ſepeliri. reclamabant viri primarij,&vehementer aduerſabantur.ferri non poſſe dicebant tali tempore anni,vel itineris tam longi, vel odoris tam tetri moleſtia. rex imperat fieri quod mater ſcripſiſſet. proficiſcuntur proximo die Veneris magno comitatu. Cõcurrebant ex omnibus oppidis, caſtellis, vicis, videndi & deplorandi cauſſâ,virorum & feminarum greges: ſequebantur obliti ſui, obliti

ſuorum, obliti familiæ: perſonabant viæ atque agri plangore, & eiulatu miſerorum, cùm ſe non reginam, ſed matrem optimam amiſiſſe quererētur, nulliꝰ auctoritate, nullius verbis, nullius minis à ſanctiſſimo corpore abſterreri poterant: tantus erat omnium amor in Eliſabetham, ſic exarſerant dolore, vt omnia pro nihilo ducerent, modò officium iuſtum ac debitum vitâ ſenſúque parenti perſoluerent. Iam aliquārulum proceſſerant cum agitatione corporis, & concurrentis multitudinis iactatione, rimas agere ligneus loculus, quo cadauer erat incluſum, & hac illac fama perfluere cœpit. qui proſequebantur regis iuſſu funus, grauiter & moleſté ferre, palàm conqueri, accuſare regúm inſaniam, qui libidini ſuę parere mallent, quàm amicorum ſalutaribus conſiliis obtemperare. Nihil eſſe facilius quàm quietum, & nihil agentem imperare ceteris. ſi modò hic eſſet, quantò aliter ille ſentiret, quàm cùm otioſus in vmbra de labore itineréque noſtro conſultabat? Potuit Strenotij in templo S. Franciſci maximo & ornatiſſimo interim ſeruari: potuit deportari Eboram, & in æde ſacrarum maxima tantiſper cuſtodiri cōditum loculo, dū in puluerem corpus redigeretur: tum oſſa nuda ſine vllo negotio vel in vltimas terras

di:

deportari licuiſſet. Hoccine tam putridum cadauer, cùm totum iam dilabatur ac diffluat, integrum poterit Conimbricã peruenire? reperietur aliquis, qui ad loculum illum ſanie madentem velit accedere? nimirum ludibrio ſumus regibus omnes, qui in eorũ imperio & ditione ſumus, neque ſatis iucũdum illis videtur, quod non ſummâ ſit omniũ moleſtia perfectũ. Cùm hęc illi maximè vociferarentur, intereà vnus accedit fortè ad feretrum, exclamat nihil illo odore fieri, nec cogitari poſſe iucundius: nunquam tantam vlla ex re percepiſſe voluptatem. alter, tertius, quartus, permulti cùm acceſſiſſent, eandem ſuauitatem non ſine ingenti admiratione ſenſerũt. planè diuinitùs effuſus odor non humanitùs adhibitus eſſe videbatur: omnium enim aromatum, & vnguentorũ odoratus, ſi vnum in locũ omnia conferrentur, non tam ſuauis & gratus fore credebatur. veniũt religionis antiſtites, venit ipſe Lamacenus Epiſcopus, mirari omnes, obſtupeſcere, Deo gratias agere, reginã laudare, clamare, nihil vnquam tale vidiſſe, dignam eſse Eliſabetham, cui idem, quod paucis contingeret, quãdo ſemper vixiſset, vt pauci, ita cum ingenti gaudio ac lætitia Conimbricam veniunt ſeptimo die, quàm Strenotio fuerant profecti. Quis verbis cõ-

ſequatur huius ciuitatis mœrorem atque luctum, cùm illam ſine ſpiritu & anima referre vidit, quam ſuperioribus diebus incolumem proficiſci viderat? quæ certè, cùm ſe non ſolùm eius præſentia decoratam, ſed etiam liberalitate ornatã magnifico & religioſo ædificio, & in annonæ caritate, & fame cõſeruatam eſſe recordaretur, magnum & intolerãdum dolorẽ ex eius morte capiebat. Ipſa ripa fluminis, muta & inanima ſaxa, etſi iure lætabãtur illius beata & æterna vita, reginã tamen ſuam, ſuam illã reginam requirere quodãmodo, ac lugere videbãtur. Quantus cõcurſus factus ſit, quę fuerit omnium mortalium collacrymatio, quàm miſerabilis & luctuoſa vociferatio eorũ, quos in ſumma inopia reginæ beneficẽtia paſcebat, etſi à nobis dici nõ poteſt, viri ornatiſſimi, à vobis certè cogitari poteſt. Tandem freqũẽtiſſimo conuentu, publico luctu, maxima cũ cæremonia; decantatis ſolennibus precationibus pro mortuis, multiſq; perfectis ſacrificiis, honeſtiſſimi quiq; ciues ſanctiſſimũ corpus ad ſepulcrũ iam multò ante præparatũ detulerunt. Eliſabetha ædificato cœnobio, cùm intelligeret nihil eſſe morte certius, nihil incertius tẽpore ipſo moriẽdi, monumentũ ſibi faciendũ curarat è lapide magnũ & excelſum, & in ipſo templo beatę

Claræ collocarat. quod ne Mondæ creſcẽtis inũdatione obrueretur (nam iam ſemel acciderat ſed ne iterum idem eueniret) cùm in locum editum ob eam rem ædificatum tolli iuſſiſſet, & in eo per ſcalarum gradus efferendo aſcenſu difficili atque adeo permulti homines iam diu molirentur, neque illud intereà vlla labaret ex parte, impoſuiſſe dicitur regina baculũ ſuum, ac ſubitò tam facilè fuiſſe ſublatum, vt non commoueri vectibus ſubiectis, nõ rapi deligatũ funibus, ſed pedibus ſuâ ſpõte ſequi videretur. Conſtitutum eſt in illo ſuperiore ſacello, vbi nunc cernitur, nitebatur vt etiam nunc videtis, octo leonibus, multis vndique ſigillis ornabatur, vt imago reginæ pergrãdis, virginum ſanctæ Claræ habitu, in manibus iunctis, & pedibus inſtar mortuæ iacebat in ſomno. nunc verò liberalitate mulierum ſacrarum, & pietate magnificentiùs exornatum eſt. nitent omnia pulcherrimis coloribus, & auro & teſtudine ligneâ egregiè depictâ teguntur, quæ ex omnibus angulis quatuor columellis affabrè factis è ligno ſuſtinetur, quò cùm Eliſabethæ corpus deportaretur, & omnium manus atque veſtes effluente ſanie reſpergerentur; tamen qui aderant, inter amœniſſima roſaria lectiſſimóſque flores verſari ſibi videbantur.

Ibi conditum eſt ſacrum illud venerandum cadauer, ibi iacet obrutus Luſitaniæ theſaurus, qui lapis operuit Eliſabetham, idem pariter ſpem pauperum, præſidium inopum, perfugium miſerorum ſolatiúmque contexit. At animus cùm primùm à corpore diſceſſit, ſecundo ac felici curſu in illas clariſſimas piorum ſedes penetrauit! quo quidem tempore, etſi acerbiſſimus fuit eorum dolor, quos reliquit; tamen longè maior exſtitit lætitia cœleſtium, ad quos peruenit. Proceſſit enim, vt exiſtimare licet, proceſſit obuiam illi venienti Chriſtus Opt. Max. cuius ſalutares cruciatus, & mortem tam piè ſæpe deplorarat. properauit caſtiſſima virgo Dei mater: quam præcipuè venerata erat; occurrit beata Clara dux multarum virginum & magiſtra, cuius non modò vitam, ſed etiam veſtitum ipſum fuerat tam ſtudiosè imitata: egreſſus eſt totus virginũ ſanctiſſimarum & viduarum chorus: prodierunt omnes beatorum cœtus, & cum inſolito applauſu in ſempiterna ſede collocarunt. Cumulabatur illa immortali gaudio, geſtiebat, triumphabat, vbi cœleſtes orbes ſubiectos ſub pedibus ſuis deſpiciebat, vbi ſe tali frequentia & ſplendore circumſeptã videbat in ſempiternum tempus immortalibus bonis fruituram; vbi præſtantem illã

di

diuinámque naturam non oculis corporis hebetis & tardi, quo carebat, ſed acie mentis æterno lumine illuſtratæ, quam retinebat, præſentem intuebatur. Gaudeo vehementer reſpuiſſe ludos pueritiæ, lenocinia cupiditatum, voluptatum blandimenta, delicias regni: iuuat fuiſſe patientem in iniuriis, fortem in periculis, in religione diligẽtem, abſtinentem in victu: delectat ſuſtantaſſe egentes, curaſſe ægrotos, abluiſſe pauperum pedes, tractaſſe vlcera, extinxiſſe odia, non timuiſſe armatas acies, non itinerum longitudinem reformidaſſe, omnes'copias & ornamenta conſumpſiſſe. O feliciſſimi labores! ô contentiones ipſæ beatiſſimæ, quæ tantum præmium aſſecutæ ſunt! ô rectè collocata certamina, quæ talem mihi coronam pepererunt, quam ſi non eſſem adepta, tamen tam benigni regis cauſſa nunquam quæ feci, me feciſſe pœniteret. Sic illa fortaſſe admirãs tacita ſecũ loquebatur. Vos verò, viri ornatiſſimi, quantum eam apud Deum valere & valuiſſe cẽſetis? quid non obtinere, quid non ſuis precibus efficere poſſe putatis? Etenim ſi vulgò reges ac principes, quos in amicitiam receperunt, eis omnia concedenda eſſe arbitrantur, quis credat Deum, qui vt maximus eſt, ſic etiam optimus, aut tam parum amantem ſuorum

eſſe,

eſſe, vt nihil eorum precibus cõmoueatur: aut tam moroſum atque difficilem, vt nihil cuiuſque meritis & gratiæ putet eſſe tribuendum? Declarat ille ſæpe multis rebus mirabilibus& nouis,ſuam vim atque numẽ oratu cœleſtium, qui multis frequenter ad ſepulcra præſertim in difficillimis rebus, præſens auxilium ſuum obtulerant. Senſit Eliſabethæ opem, vna ex ſanctæ Claræ familia,quæ religioſè oſculata loculũ moleſtiſſimo inſanabilique morbo liberata eſt. Sẽſit Ferdinãdus Stephanius ciuis Conimbricenſis,qui in illa turba diſcedẽtium cùm ſe acutiſſimo clauo induiſſet,nec auelli poſſet,fidem eius & miſericordiam implorans, repentè ſanum integrumque pedem aſpexit. denique ſenſerunt, qui febri æſtuque iactabantur,qui à dæmonibus vexabantur, cæci,mẽbris capti,aliique plurimi,qui cùm in opera medicorum & diligẽtia nihil præſidij ſibi reliquum eſſe viderent: partim ad monumentum magnâ pietate venientes & fiduciâ, partim ſudaria & lintea quæ fortè retinuerant, adhibentes, non modò leuabantur,ſed etiam ſani penitus fiebant. Iure igitur ſanctiſſima regina, iure te his honoribus afficimus, qui poſt mortem iis qui ſanctè integréque vixerunt, tribui ſolent maximi:iure rex ille Ioannes tertius, vt ſapientiâ

pientiâ,ſic etiam religione præſtans, quem nō diffidimus tibi eſſe comitem in iſto piorum domicilio,tantum ſtudij & laboris adhibuit,vt hoc à Pontifice maximo impetraret, & inſtituit, vt in hoc Collegio regali, muſis & pietati dedicato, cùm carminibus, tum verbis ſolutis quotānis tuæ laudes celebrarentur:iure Paulus Pōtifex maximus hoc nomine quartus,quemDeo iuuante nō mediocrem opem Eccleſiæ rebus afflictis allaturum eſſe ſperamus,regi poſtulāti cōceſſit,vt in omnibus eius regnis tibi altaria ſtatuere , tibi ſimulacra tabulasq́ue pictas dedicare , tibi ſacra facere , tibi ſolemnes precationes publico ritu decantare liceret. Ego ipſe qui nūc primùm res tuas vitamq; cognoui quidquid laboris hiſce trib⁹ annis à me tuâ cauſâ ſuſceptū eſt , ſi quid meum iudicium proficere poteſt ad ornanda tua facta , planè in loco poſitum benèque apud te collocatū eſſe duco, vel potius quidquid de te humanâ voce dici poteſt, id ego longè eſſe iudico infra dignitatem tuā. Sed iā fui fortaſſe longior,quàm volebam,&quàm fidei ac promiſſi mei ratio patiebatur.Quid reſtat?niſi vt in hac extrema oratione mea vos orem & obteſter, viri ornatiſſimi , ſi quid mihi aliquādo quamuis indigno exiſtimaſtis eſſe concedendum , ſi huic tan-

to dicendi labori vllum præmiũ dari oportere cenſuiſtis, vt hoc ſpecimen virtutis, hãc imaginem vitæ ſanctiſſimæ apud animum noſtrum frequenter proponamus. Hanc ego mercedem, pro huius triennij labore à vobis omnibus & peto & flagito: operæpretium me feciſſe arbitrabor, ſi videro vos ad ea imitanda, quæ à me commemorata, ab Eliſabetha geſta ſunt, ſatis alacres & paratos eſſe. Quid enim cogitari aut fingi poteſt ad honeſtatem pulchrius, ad delectationem iucundius, ad veram ſolidamque gloriam prædicabilius, ad incolumitatẽ Reipublicæ Chriſtianæ ſalutarius, quàm omnes nos ita viuere; vt digni maioribus illis principibus religionis noſtræ, digni Deo parente, digni Sanctorum ſocietate videamur? At laborioſa res eſt, plena difficultatis, plena negotij, plena moleſtiæ. Sed per Deum immortalem quouſque tandẽ humi defixa noſtra mens erit? quouſque ſpectabimus quæ caduca ſunt & breuia? illa quæ ſola ſunt æterna, negligemus? quouſq; per anguſtam hanc hominum ſedem contẽplabimur, non intuebimur illam ampliſſimam & illuſtriſſimam domum beatorum? quouſque cogitauimus quantum laborarit, quantum ſudarit Eliſabetha, quid aſſecuta ſit, obliuiſcemur? moleſtiæ nos retardant?

deterrêt? magnitudo laboris exanimat? At erit, erit illud tempus aliquãdo, cùm laboraſſe, vigilaſſe, decertaſſe cum vitiis, omnes exſorbuiſſe difficultates, nos vehementer delectabit: cum noſter animus, qui naturali quadam veri videndi cupiditate exardeſcit, in illa diuina & beatiſſima natura ſimul omnium rerũ genera, partes, vim, proprietates, ordinemqué diſpiciet, cùm ratio numine diuino corroborata vigebit & dominabitur, neque poterit à recto & honeſto deflectere, cùm mens æterno vinculo coniuncta effectori & parenti ſuo concors & particeps diuinitatis ad ſupremum honoris gradum euehetur: cùm nõ hominum fama quæ ſæpe falſa eſt, & ſimulata, ſed Dei Opt. Max. & omnium cœleſtium, qui nec fallere volũt, nec falli poſſunt, ſincerâ quâdam & veriſſimâ prædicatione celebrabimur: cùm ſummo & ſempiterno bono potiri, in quo rerum omnium pulchritudo cõtinetur, diuitiis affluemus non latentibus & fluxis, ſed immortalibus atque perpetuis: cum nullâ ægritudine interueniente, conſtanti quadam & æquabili voluptate perfruemur, tanto nobiliore voluptatibus corporis quanto mens ſenſibus, Deus eſt ceteris rebus præſtantior: cùm ab omni metu vacui, ab omnibus periculis & incommodis

liberi certiſſimè ſciemus in omnem æternitatẽ nos eſſe victuros in illis bonis. Quæ tandẽ erit illa geſtientis animi lætitia? quæ gaudia cœleſtiũ?qui cantus? quæ concurſatio?quanta iucunditas? Ergo vt hæc bona conſequamur tam multa, tam magna, tam admiranda,tã inaudita, quæ ne mens quidẽ & cogitatio capere poteſt,nõ omnes moleſtias,omnes acerbitates,omnes dolores,omnes cruciatus perferemus?non contẽnemus? nõ vltrò depoſcemus? Tu tu sãctiſſima regina quæ ſupra cœleſtes orbes euecta, læta cõtẽplaris auctorem tuum:cuius lætum feſtũmque diem agitamus:quã pro tenuitate & inopia orationis noſtræ, conati ſumus ornare:ſi tibi gratum hoc officium,ſi iucundum extitit? tu ſanctiſſima parens tuis precibus opitulare iis,quos iam olim in ſolitudine deſtituiſti:tuere hunc, qualiſcunq; eſt, ſi non oratorem tuum, ac ſtudioſum tui defende hunc tantum ornatiſſimorum hominum conuentum, qui me de tuis laudibus tam attentè,tam amicè audierunt: cuſtodi Conimbricenſem Academiam:ab omni Luſitania pericula, famem, cædem, flammam, peſtilentiam auerte: regem Sebaſtianum, cuius vnius exſpectatione hæc florentiſſima regna ſuſtentantur: reginam, & principem Henricum, rectores imperij ſaluos & inco

incolumes conſerua: experiamur qui te colimus, quantum gratiâ valeas apud opificē omnium rerum & gubernatorem. At tu mūdi effector & molitor Deus, cuius maieſtatem atque numen in Sanctis veneramur: cuius immenſam amplitudinem illorum vita, mors, gloria maximè oſtendit; tu, ſanctiſſime pater, audi Eliſabethæ preces, tibi pro noſtra ſalute ſupplicantem ne excludas, & omnibus qui eius facta cognouimus, eam mentem iniice, vt diligentiſſimè perſequamur imitando, quo huius miſeræ vitæ curriculo confecto, ad eandem metam peruenientes, ſempiternam coronam, tuo munere & conceſſu capiamus.

PETRI IOANNIS PERPINIANI

DE ARTE RHETORICA diſcenda.

ORATIO VI.

Spectatum ſatis & donatum iam rude quæris
Mœcenas iterum antiquo me includere ludo,
Non eadem eſt ætas.

LIcet enim mihi, Patres religioſiſſimi, verſib. iiſdem affari auditores meos, quibus affatur Mœcenatem ſuum ille bonus

poëta, non eadem religione, neque iiſdem præceptis imbutus, quibus non ſumus, ſed eruditus tamen, & vrbanus, & lepôris cuiuſdã non ingrati plenus. Tametſi & ſentio & fateor, neque in me eſſe quidquam hominum cognitione dignum, neque rudem vnquam ignauum gladiatorem meruiſſe. verùm & hoc, quidquid eſt vel ingenij, vel doctrinæ, quod video quàm ſit exiguum, tot annorum curriculo ſatis ſupérque cognoſci potuit; & ludo noſtro præfecti homines mites & humani, me, quamuis non merentem optato otij & tranquillitatis præmio donandum eſſe cenſuerunt: nec fortè iniuria. nam ſi veteri gladiatori, fixis armis ad valuas Herculis, in agrum ſecedere licebat, ne populi miſericordiã, quam ſpe iam eſſet in árena conſecutus, denuò efflagitare cogeretur, mihi certè tantò meliorẽ artem factitanti, qui tot annos fuiſſem in hoc oratorio certamine verſatus, toties depugnaſſem, toties populi non modò veniã, ſed etiam beneuolentiam obtinuiſſem, idẽ tranquillioris vitæ receſſus concedendus fui, vbi pauliſper animus ex illo populari ſtrepitu recrearetur, at nunc ſiue ſtudiis veſtris, ſiue eorum imperio, quibus parere debeo, ſiue vtroque ad antiquũ ludum reuocatus, ecce rurſus in arenam deſcendere, ar-

ma iam penè rubigine confecta capere, multitudinis gratiã aucupari cogor, ſi cogi dicẽdus eſt is, qui libẽter vel roganti morẽ gerit, vel obtemperat imperanti. Vtinam adololeſcentes optimi, vtinam eadem eſſet, quæ quondã erat, vis corporis ad elaborandũ; vt eadẽ mens eſt, eadem voluntas, idem ſtudiũ, quod ſemper fuit, ad parendum: minus mihi fortaſſe tam longo vti principio neceſſe fuiſſet. ſed NON EADEM EST AETAS, non idẽ robur, non eadẽ valetudo: quæ debilitata & fracta, animum quoq; ipſum imbecilliorẽ reddunt. Quare nõ poſſum equidẽ non commoueri, cùm illi præſertim hodierno die ſuccedam, cui ne ſi omnia quidem eſſent integra, me parem eſſe poſſe conſiderẽ, quo mihi magis oẽs orãdi & obteſtandi eſtis, vt hanc mediocritatem noſtrã, vel potius tenuitatem & inopiã, ſtudio, alacritate, beneuolentiâque veſtrâ adiuuetis: quas ego res ſi mihi nõ deeſſe ſenſero, ſpero me diligentia compenſaturum ingenij tarditatem. Quod ſi, peregrina literarum appellatio & inſolẽs, atq; aliena veſtris auribus grauium, acutarumquẽ vocum obſeruatio, alicuius animum offendet, eum ego oro atque obſecro, ne priùs aut rideat, aut reprehendat, quàm cur ita quidque dicatur, acceperit, nihil enim erit, quod non

aut multò rectiùs aut nihilo certè deprauatum magis eſſe demonſtrem, quam quod homines politi & humani vulgò vſurpant. Nunc antequam de Ciceronis libris, quos explanandos ſuſcepi, ea dico, quæ mihi vobis audientibus ex hoc loco dicẽda eſſe arbitror, exponam breui quod de tota facultate dicendi, quam omnes quærimus; de artificio rhetorico, quod profitemur; deq; eius artificij tradendi ac diſcendi ratione ſentiã, vt omnium ſtudia vehementius inflammentur, vitâ cognita facile poſſitis quo intenditis; ac ſine errore peruenire. Peto à vobis, adoleſcentes optimi, vt attentè & amicè accipiatis, quæ dicam, neque humanitatis veſtræ fontes, qui omnibus ante me bonarum artium ſtudioſis maximè ſemper patuerunt, mihi vni clauſos eſſe patiamini: facultas eſt enim eiuſmodi, quæ maximè debet animos omnium ad diſcendum impellere, ſine quo neque hominum commune nomen cum dignitate obtineri poteſt, neque conſilium ſapiens ad populi ſalutem in medium proferri, neque religio à furioſo hominum nefariorum impetu humanis opibus defendi, pro qua maiores noſtri iiſdem, quibus hoſtes eloquentiæ ſepti præſidiis fortiſſimè propugnauerunt. Et quoniam omnibus nobis enitendum eſt, vt digni-

gnita

gnitate hominibus præter cæteras animantes diuino munere cōceſſam,ornauiſſe potius & amplificaſſe,quàm vel abieciſſe, vel diminuiſſe videamur; adhibenda eſt vobis illa vis, & omni ſtudio ac diligētiâ comparāda,quæ maximū & pulcherrimū Dei munus tuetur & exornat: quo neglecto,nō ſanè video,quid inter mutas belluas & homines interſit.Et enim duo ſunt in nobis munera diuina,vtilitate magna,nobilitate prima,ipſo genere præclara,ratio, & quaſi nūtius quidam rationis & interpres, ſermo. Illa res abditas inueſtigat, inueſtigatas cō̄prehendit,comprehenſas digerit & componit; diſſipata colligit, collecta diuidit, præterita recordatur, cernit inſtantia, futura coniectat,& extrema conferens primis omnium rerum curſum, & euentorum conſequentiam notat:ſed hæc omnia veluti quibuſdam obruta tenebris latent, incluſa penitus in pectoribus & animis noſtris: quæ vbi lumen orationis acceſſit, tum demum ab omnibus patefacta & illuſtrata cernuntur; hæc duo ſunt, quæ nos homines reddunt: hæc beſtias longè nobis faciunt inferiores, quæ tantâ inter ſe naturæ cognatione iūguntur, vt animantia rationis expertia ſignificare volentes, muta dicamus. ra-

ſerendi vis,quam logicam vocamus, informatat orationem,quo ſit aptior ad perſuadendum, benedicendi facultas, quam eloquentiam dicimus, verbis ſententiisque locupletat. Quod ſi vix eos homines eſſe dùcimus, qui non ſtudio & labore rationem meliorem effecerũt, quis non ab hominum ſocietate remouendos illos arbitretur, qui ſermonẽ nõ excoluerũt, ſine cuius luce illa vis ingenij mirabilis eniteſcere non poteſt? quis nõ eos muta quædam hominũ ſimulacra potius, quàm homines appellet? quæ ſi vobis adoleſcentes optimi, turpia, cõtumelioſa, indignaq; videntur, vt meritò debent videri ſtatuite quẽ vobis animũ pro cõmuni hominum dignitate ſuſcipiendũ putetis? Quam multi vulgò ſummoperè cõtendũt, vt excitent celeritatem pedum? quàm multi omne ſuum ſtudium & operam conferũt ad augendum & confirmãdum corporis robur quam multi (quorum ego conditionem miſerrimam duco) toti ſunt in pulchritudine formæ conſeruanda & adornanda occupati? atqui hæc & alia generis eiuſdem, aut longè meliora ſunt in beſtiis quàm in nobis? aut certè nobis communia cum illis. nos verò quod omninò noſtrum eſt quod hominũ proprium nobis à Deo Opt. Max. conceſſum ad vitæ ſocietatem, ad communionem

nionem iuris atque morum, ad mutuã vel voluptatẽ, vel ſalutem negligemus? non exornabimus? non expoliemus? in obſcuro iacere atque obſoleſcere patiemur? Videte ne, vt illi mundi creatori, & parenti Deo glorioſum fuit, tantum nobis, & tam optabile bonum impertiri, ſic vobis turpiſſimũ ſit, acceptum ab illo munus induſtriã tueri, & ornare non poſſe. Quid? quod ſuperbiſſimo faſtidio mortalium rectè & ſapienter cogitata, niſi lectiſſimis verbis grauiſſimisque ſententiis ad aures perueniant; neque fidem faciunt; neq; in hominum mẽtes influũt; neque animos quidquã mouẽt; neque memoriam gratam habent, neque diuturnam? at quæ iucundè audiuntur, etiam ſi non ſalutariter dicantur, ea ſic arripiuntur vt propè ad æternitatem inhæreant in pectore infixa. Quod ſi idem & ſapienter & ſuauiter diceretur, quam aſſenſionẽ hominum cõmoueret? quæ ſtudia excitaret? quãtam efficeret admirationem? quàm lætis acclamationibus omnium acciperetur? aut nulla profectò ſalus reliqua eſt afflictæ, ac prope deſperatæ reipublicæ Chriſtianæ aut hæc vna reliqua eſt (excipio ſemper auxilia cœleſtia, quæ firmiſſima & certiſſima ſunt) de humanis tantùm opibus loquor aut igitur nullum iam in hominũ induſtria

ſubſidiũ eſt; aut hoc ſolum reſtat è multis, vt iidem & ſapienter, & copioſè atque illuminatè dicant. Sunt enim pleraque religionis noſtræ decreta in ſpeciẽ inculta & horrida cõtra deprauatas multitudinis opiniones à publico vſu abhorrentia, huic corruptiſſimæ naturæ, profligatiſſimisque moribus omniũ gentium maximè aduerſa: quæ niſi ſplendeſcant oratione, & tanquã excolantur, & à populari ſententia diſcrepantia populariter dicantur; poſſunt illa quidem diuinâ vi, quæ non eſt indigens humanarũ artium, multitudini perſuaderi, ſed dicendo tamen in vulgus probari non poſſunt. Itaq; videre eſt eos, qui nullum ſequuntur florem orationis, & Stoicorum more minutis quibuſdam interrogatiunculis quaſi pũctis, id quod propoſuerunt, efficiunt, vbi loci illi inciderunt, de abiudicandis facultatibus? de propinquis & amicis reliquendis de oppetenda morte? de contemnendis honoribus, de voluptate fugienda; de amplectẽda humilitate; de condonandis iniuriis, ita hærere, vt neſcias, maiore ne odio digni ſint, quòd ſuâ ſponte faciant, quod bene facere non poſſint, an miſericordiâ, quod infantiæ ſuæ miſeri quamplurimos teſtes, non domeſtico ſuorum, ſed publico totius multitudinis præconio colligere conentur. Vi-

tioſa

tioſa planè res eſt,& hominum generi valde perniciosa,non tam quid dicatur, quàm quomodo dicatur attendere. Sed quid cum populo agas? iam eò ventum eſt, vt nemo ſit ſolâ ſapientiâ contentus,omnes eloquẽtiam requirant. Quando non poſſumus ceteros quales volumus habere, ne ſit inanis omnis conatus noſter atque labor, demus operam, vt ſimus nos tales, quales illi volunt: volunt autem vitæ morûque magiſtrũ eſſe non modò ſapientem & probum, ſed etiam copioſum & ornatum. Præclarè,vt mihi quidem videtur, ſanctus Auguſtinus, nihil eſſe melius ſalubri ſuauitate,vel ſuaui ſalubritate, quodam loco teſtatus eſt, & è quatuor libris,quibus doctorem Chriſtianum omni laude cumulatum inſtituit, vnũ in eo conſumpſit, vt rhetorico propè more, quemadmodum inuenta ſint in lucem proferenda,demonſtrauit. Intelligebat ille vir eximiâ reconditâq; doctrinâ & in hac ipſa dicẽdi facultate multùm exercitatus,quantum ea res momenti afferat ad hominum mentes vel à turpitudine reuocandas, vel ad honeſtatem impellendas. Non dicam in præſentia quantum eloquentia ſemper in omnibus liberis ciuitatibus dominata ſit: prætermittam quanto in pretio fuerit apud omnes nationes nõ ennumerabo honores

&

& imperia hominibus eloquentibus, nullâ maiorum commendatione mandata: ſilebo quantas pecunias nonnulli ſint veterum oratorum cõſequuti: ne verbum quidem vnũ de voluptate dicendi faciam. hæc omnia facilè patiar taceri apud tales viros, propterea quòd vel ambitioſorum, vel auarorum, vel delicatorum hominũ ſunt magis quã eorum qui ſalutem Reipublicæ Chriſtianæ omnibus & voluptatibus, & vtilitatibus ſuis, & honoribus anteponant. hoc vnum de tota facultute dicendi extremo loco dicam, quod me & ſemper ad ſtudium incitauit, & apud vos homines amantiſſimos publicæ ſalutis plurimùm valere debet, & in animis omnium, qui rem Chriſtianam ſaluam volunt, fixum eſſe par eſt ad memoriã ſempiternam: ſi ad tuendum hominum nomen, atque ad animos multitudinis rectè de religione ſentientis pertractandos, nullus eſſet vſus eloquentiæ, qui certè maximus eſt: ſi nihil fructus haberet hæc exercitatio, neque ad honores adipiſcendos, neque ad augendas facultates, quæ non magnoperè debemus optare: ſi nulla eſſet delectatio dicendi, quæ tanta eſt, quantã vix credere poſſint, qui non ſenſuerunt? tamen quia magnam vim habet ad veritatẽ oppugnandam, & aduerſus religionẽ adminiſtra

ſæ gc.

ſæpe ac ſatelles ab improbis adhibita eſt, & adhibetur, ſummum ſtudium, omnem curam, operam, induſtriam in hac facultate comparanda figi opporteret. Video mirari vos, adoleſcentes optimi, eam à me cauſſã afferri eloquentiæ complectendæ, quæ ad deterrendos homines ab hoc ſtudio vel ſola plurimum poſſit. quid enim eſt maiore animi prouiſione fugiẽdum, quàm quod veritatis & religionis oppugnatoribus, quaſi quædam arma ſuppeditat? Accipite, obſecro, accipite alacri ac prompto ore ac vultu, quæ dicam, & ea penitus mentibus veſtris animiſque mandate: ipſi profectò fatebimini, illud ipſum nobis optandum eſſe maximè, quod vehementiſſimè nobis obſiſtat. Habet enim eloquentia vim talẽ, vt eadem de re duas cõtrarias orationes explicare poſſit: ex quo δυνάμεως id eſt facultatis nomen accepit, non vt quidam philoſophi ambitioſi tradiderunt, quòd homines collocet ἐν δυνάμει καὶ ἐξοχῇ hoc eſt in poteſtate & excellenti dignitate. eadem vera refellit & cõfirmat falſa & probabilia reddit & arguit. turpia vituperat & laudat, honeſta commendat & accuſat. Itaque vt cæteræ artes ac ſcientiæ omniaque vel externa, vel naturæ bona, ſic etiam vis eloquendi perinde eſt, vt ait comicus poëta, vt il-

lius

Dialecticæ neruis,ſed amœnis etiam eloquentiæ contorſerunt?quàm multi noſtrâ memoriâ perditi ac ſcelerati homines orationis copiâ tantum incendium excitauerunt, quantum niſi Deus nos reſpexerit ,vix multis annis bonorum virtus & induſtria poſſit reſtinguere?etiam nunc improbitate quorundam eloquẽtium,& nefario conatu, omnia diuina & humana iura perturbãtur,violantur, reſcinduntur.Quid igitur eſt quod in tantum malis ad retundendam & frangendam eorum corroboratam iam vetuſtate audaciam, facere debeamus, veritatis & religionis amatores,hoc vnũ opinor:arma impiis & perfidioſis extorqueamus è manibus,vt eiſdem ipſi petantur telis,quibus nos opugnant. & quoniã in vtrãque partẽ valet copia dicendi,vt eam hęretici transferunt ad Eccleſiam opprimendã, ſic nos ad eandem fortiter defendendã cõuertamus;illi callidè ac verſutè ſeſe inſinuant in gratiam audientium & auditũq́; ſibi faciunt vel ad turpiſſimam cauſam; nos prudenter hominum nobis beneuolentiam adiungamus,& ad tuendam religionem,ac reprehendendos ipſorum errores communiamus viam,illi rem artificioſè narrant ad fallendum ? nos idem artificium narrandi ad homines falſâ opinione liberandos ad-

hi

hibeamus illi argutè & veteratoriè noſtra refellunt ſua confirmant?nos limatâ,& politâ diſputandi ſubtilitate & orationis acumine certiſſima patrum decreta comprobemus,illorum quaſi delirantium ſomnia coarguamus illi variè mentes auditorum verſant & flectunt,ſimulata verborum & ſententiarum grauitate?nos veris integriſque ſententiis in omni amplificandi genere exardeſcentes,grandi,forti,& incitatâ oratione eorundem animos impellamus,ad quemcumque cauſſa poſtulabit motum.illi peſtiferum venenum tanta dicēdi ſuauitate cōdiunt vt mortiferum poculum haurire libeat audienti?nos remedia ſalutaria dulciſſimo quodam genere ſermonis temperata præbeamus,vt quantò magis verborum & ſententiarum dulcedine delectetur auditor, tantò ardentiore ſalutiferæ potionis cupiditate rapiatur,ſic tandem , bene iuuante Deo,pióſque conatus cœleſti fauore proſequente,fiet , vt armata veritas nullo negotio armatam vincat & iugulet falſitatē, cuius modò bacchantis impetum inermis & nuda ægrè ſuſtinet:quamquam fieri nō poteſt vt omninò veritas erroribus obruatur quæ diuinâ ope ſine dubio pulchrior aliquando & clarior elucebit. Verum vos eius alumni videte quid pro cōmunis parentis

rentis incolumitate vobis faciendum exiſtimetis. Maiores noſtri ſingulari religione & doctrinæ viri, eloquentiæ copiis inſtructi, nullam pro veritate dimicationem recuſabant: ſemper in campo, ſemper in acie, ſemper in ſole ac puluere verſabantur: nos illorum poſteri, ne tātum ſit adeundum vel periculi, vel laboris, abiectis armis in vmbra atque in otio tēpus omne conſumemus? illi quo paratiores eſſent ad certamen, relictâ patriâ, propinquis, amicis, orationis locupletandæ & excolendæ gratiâ, longinquas terras peragrarūt; nos vltrò ſe offerentem dicendi facultatē domo prohibebimus? à nobis abſterrebimus & excludemus? illi res multas atque diuinas, magno labore quæſitas & inuentas, quàm elegātiſſimâ potuerūt oratione, nobis tradiderūt; nos ignauiâ quadam & ſocordiâ langueſcentes, quæ ab illis accepimus, deteriora tractando faciemus? illi partim philoſophorum cæcum impetum, partim hæreticorum inſanam rabiem copioſè loquentis ſapientiæ telis à ſacris repulerunt; nos manibus vacuis & inermes, hoſtes religionis, euerſores ſacrorum, prædones diuini iuris & humani, omnia conuellere, diſſipare, extinguere ſinemus? magnoperè verendum eſt, ne vt illi ingentem ab hominibus laudem, & im-

mortale à Deo præmium pro ſuo labore ſũt ac diligentia conſecuti? ſic nos pro noſtra deſidia & ignominia notemur à poſteris, & ſempiternis à Deo pœnis viui mortuique mactemur. Quare incumbite animis omnique voluntate, adoleſcẽtes optimi, ad eã facultatem, quâ propria hominum dignitas, totiùs populi ſalùs, veræ religionis defenſio continetur. Dixi de ipſa eloquentia, quæ viſa ſunt, nunc de artificio eloquentiæ paucis abſoluam, ſi me dicentem ſtudium veſtrum ad extremam orationem proſequetur. Nam quoniam non ex artificio nata eſt eloquẽtia, ſed, vt omnes confitẽtur, artificium ipſa peperit: magnique auctores inter naturam, imitationem, & exercitationem, quibus videtur bene dicendi vis ſatis poſſe perfici vix vllum præceptis reliquerunt & doctrinæ locum, poſſet aliquis quãtumuis eloquentiæ ſtudioſus, contentus illis tribus, artem deſpicere, quam ad orationis copiam vel inutilem prorſus vel minùs neceſſariam eſſe arbitraretur. Mihi verò multa de arte legenti, multa cogitanti longè aliter videri ſolet. ſic enim ſtatuo quãuis plus adiumenti ſit ad dicendum in illis tribus, vel ſingulis, vel vniuerſis ſine arte, quàm ſine illis in præceptis omnibus, tamẽ perfectam eloquentiam & omnibus nume-

ris abſolutam, non poſſe exiſtere ſine ratione quadam & confirmatione doctrinæ. ars enim aut omninò tollit, aut corrigit vitia naturæ: quod verò eſt in ea boni, id auget ac melius reddit: eadem in exercitatione & imitatione quid ſequendum ſit, quid fugiendum, docet: vt nemo ne illa quidem eloquentię præſidia ſine præceptionibus artis poſſit habere perfecta. quamquã de imitatione veriùs dixiſſem, nullam omninò poſſe eſſe ſine doctrina. ſtatũ enim, aut motum, aut amictum imitari alicuius, hoc non magnum eſt, illud præclarum imitãdo magnorũ oratorum neruos varietatẽ, copiam, filium denique ipſum orationis expreſſiſſe: hæc autem quis vnquam aſſequatur nisi qui eorum & conſilia inuiſtiget, & initia obſeruet & progreſſiones notet, & exitus intueatur? atqui hæc obſeruatio vel artificij tota eſt, vel à natura profecta, gignit artem. Quantum igitur ad eloquentiam adiumẽti affert natura, quantũ imitatio, quantum exercitatio, tantum artificio debemus, ſine quo illa aut omninò nulla ſunt, aut perpolita eſſe non poſſunt, atque hoc etiam fortaſſe plus arti debemus, quod illa inchoãt, hæc eloquentiam perfectè abſoluit. Nam cauſſæ cur quidque fiat, aut non fiat: cur hoc vitandum, illud perſequendum: cur aliud

laudabile ſit aliud vitioſum, cui præter artificem notæ ſunt? aut vbi, niſi arte explicantur qui verò non tenent cauſſas rerum, eos multa facere neceſſe eſt non decorè, multa ſtultè, multa propè dicam flagitiosè. Vt enim illi medici qui ſe empiricos eſſe profitentur non cognitis morborũ cauſſis, medicamentorúmque natura, non poſſunt aptè ad cuiuſque morbi vim variè commutare medendi rationem, & ea ſæpe faciunt, quæ ad necandum potiùs quam ad ſanandum valere videantur, ſic qui non adhibent artem ducem & magiſtram ad agendum, neque poſſunt pro cauſſæ natura omnibus modis torquere ac flectere dictionem ſuã, & multa ſæpe committunt vel vitioſiſſima in dicendo. Mihi quidem ſtomachum nõnulli aliquando mouent, dum vel extenuãt, quod amplificandum erat, vel quod erat diminuendum, augent, vel quæ ſunt cõtraria, maximè illuſtrant, vel aliqua ſimilitudine ſemper exordiuntur orationem, cùm illa fugienda ſit in primo aditu præterquàm in certis quibusdam cauſſis, qui non mediocrem fuiſſent dicendi gloriam adepti, ſi vel hoc vnum vitium cognitum vitare voluiſſent. Magna prorſus eſt hæc vtilitas, adoleſcentes optimi magnus fructus artis & doctrinæ: ſed ille maior, quòd facit, vt ab eo,

quod

quodcunque nobis propoſuerimus, minùs aberremus. Etenim qui ſolis naturæ adiumẽtis propter cõſuetudinem bene quid dicunt, quoniam id temerè fortuitóq; faciunt non quoties volũt, idem efficere poſſunt: at verò qui viam certam rationémq; ſequuntur, niſi quid obſtet extrinſecus, & quod volunt efficiunt, & quotieſcũque volunt. Quid enim exiſtimatis eſſe cauſſæ, cur nonnulli oratores id facilè ſemper aſſequantur, quocunque ſe mente ac voluntate cõiecerunt? alij verò ſæpe auditorũ animos conati cõcitare vehementiùs, in medio curſu repentè concidant? ſæpe argumentationem artificiosè concludere volentes, inchoatã illam imperfectámq; relinquant? ſæpe mirabiliùs aggreſſi locum aliquem ornare, conſilio ac ratione ſubitò deficiantur? ſæpe pro amore odium, pro admiratione riſum commoueãt, inuidiam pro miſericordia? nimirum illi boni artifices omnes dicendi vias & aditus pernouerunt: hi tametſi bene aliquãdo fortè dicunt; tamen artis ignari, ſemper id paratum habere non poſſunt, vt empirici non perpetuò appoſitè curant ad ſanandum, quia dum medecinam ſpernunt, certi nihil habent, quod ſequantur. Quapropter nemo rhetoricum artificium contemnat, nemo reprehendat; nemo ſe eloquentiam

& imperia hominibus eloquentibus, nullâ maiorum commendatione mandata: ſilebo quantas pecunias nonnulli ſint veterum oratorum cōſequuti: ne verbum quidem vnũ de voluptate dicendi faciam. hæc omnia facilè patiar taceri apud tales viros, propterea quòd vel ambitioſorum, vel auarorum, vel delicatorum hominũ ſunt magis quã eorum qui ſalutem Reipublicæ Chriſtianæ omnibus & voluptatibus, & vtilitatibus ſuis, & honoribus anteponant. hoc vnum de tota facultute dicendi extremo loco dicam, quod me & ſemper ad ſtudium incitauit, & apud vos homines amantiſſimos publicæ ſalutis plurimùm valere debet, & in animis omnium, qui rem Chriſtianam ſaluam volunt, fixum eſſe par eſt ad memoriã ſempiternam: ſi ad tuendum hominum nomen, atque ad animos multitudinis rectè de religione ſentientis pertractandos, nullus eſſet vſus eloquentiæ, qui certè maximus eſt: ſi nihil fructus haberet hæc exercitatio, neque ad honores adipiſcendos, neque ad augendas facultates, quæ non magnoperè debemus optare: ſi nulla eſſet delectatio dicendi, quæ tanta eſt, quantã vix credere poſſint, qui non ſenſuerunt? tamen quia magnam vim habet ad veritatẽ oppugnandam, & aduerſus religionẽ adminiſtra

ſæ ge.

ſæpe ac ſatelles ab improbis adhibita eſt, & adhibetur, ſummum ſtudium, omnem curam, operam, induſtriam in hac facultate comparanda figi opporteret. Video mirari vos, adoleſcentes optimi, eam à me cauſſã afferri eloquentiæ complectendæ, quæ ad deterrendos homines ab hoc ſtudio vel ſola plurimum poſſit. quid enim eſt maiore animi prouiſione fugiẽdum, quàm quod veritatis & religionis oppugnatoribus, quaſi quædam arma ſuppeditat? Accipite, obſecro, accipite alacri ac prompto ore ac vultu, quæ dicam, & ea penitus mentibus veſtris animiſque mandaretꝫ ipſi profectò fatebimini, illud ipſum nobis optandum eſſe maximè, quod vehementiſſimè nobis obſiſtat. Habet enim eloquentia vim talẽ, vt eadem de re duas cõtrarias orationes explicare poſſit: ex quo *δυνάμεως* id eſt facultatis nomen accepit, non vt quidam philoſophi ambitioſi tradiderunt, quòd homines collocet *ἐν δυνάμει καὶ ἐξοχῇ* hoc eſt in poteſtate & excellenti dignitate. eadem vera refellit & cõfirmat falſa & probabilia reddit & arguit, turpia vituperat & laudat, honeſta commendat & accuſat. Itaque vt cæteræ artes ac ſcientiæ omniaque vel externa, vel naturæ bona, ſic etiam vis eloquendi perinde eſt, vt ait comicus poëta, vt illius

Dialecticæ neruis, ſed am-ntis etiam eloquentiæ contorſerunt? quàm multi noſtrâ memoriâ perditi ac ſcelerati homines orationis copiâ tantum incendium excitauerunt, quantum niſi Deus nos reſpexerit, vix multis annis bonorum virtus & induſtria poſſit reſtinguere? etiam nunc improbitate quorundam eloquẽtium, & nefario conatu, omnia diuina & humana iura perturbãtur, violantur, reſcinduntur. Quid igitur eſt quod in tantum malis ad retundendam & frangendam eorum corroboratam iam vetúſtate audaciam, facere debeamus, veritatis & religionis amatores, hoc vnũ opinor: arma impiis & perfidioſis extorqueamus è manibus, vt eiſdem ipſi petantur telis, quibus nos opugnant. & quoniã in vtrãque partẽ valet copia dicendi, vt eam hæretici transferunt ad Eccleſiam opprimendã, ſic nos ad eandem fortiter defendendã cõuertamus; illi callidè ac verſutè ſeſe inſinuant in gratiam audientium & auditũ ſibi faciunt vel ad turpiſſimam cauſam; nos prudenter hominum nobis beneuolentiam adiungamus, & ad tuendam religionem, ac reprehendendos ipſorum errores communiamus viam, illi rem artificioſè narrant ad fallendum? nos idem artificium narrandi ad homines falſâ opinione liberandos ad-

hi

hibeamus illi argutè & veteratoriè noſtra refellunt ſua confirmant?nos limatâ,& politâ diſputandi ſubtilitate & orationis acumine certiſſima patrum decreta comprobemus,illorum quaſi delirantium ſomnia coarguamus illi variè mentes auditorum verſant & flectunt,ſimulata verborum & ſententiarum grauitate?nos veris integriſque ſententiis in omni amplificandi genere exardeſcentes,grandi,forti,& incitatâ oratione eorundem animos impellamus,ad quem cumque cauſſa poſtulabit motum.illi peſtiferum venenum tanta dicēdi ſuauitate cōdiunt vt mortiferum poculum haurire libeat audienti?nos remedia ſalutaria dulciſſimo quodam genere ſermonis temperata præbeamus,vt quantò magis verborum & ſententiarum dulcedine delectetur auditor, tantò ardentiore ſalutiferæ potionis cupiditate rapiatur,ſic tandem, bene iuuante Deo,pióſque conatus cœleſti fauore proſequente,fiet, vt armata veritas nullo negotio armatam vincat & iugulet falſitatē, cuius modò bacchantis impetum inermis & nuda ægrè ſuſtinet:quamquam fieri nō poteſt vt omninò veritas erroribus obruatur quæ diuinâ ope ſine dubio pulchrior aliquando & clarior elucebit. Verum vos eius alumni videte quid pro cōmunis parentis

rentis incolumitate vobis faciendum exiſtimetis. Maiores noſtri ſingulari religione & doctrinæ viri, eloquentiæ copiis inſtructi, nullam pro veritate dimicationem recuſabant: ſemper in campo, ſemper in acie, ſemper in ſole ac puluere verſabantur: nos illorum poſteri, ne tãtum ſit adeundum vel periculi, vel laboris, abiectis armis in vmbra atque in otio tẽpus omne conſumemus? illi quo paratiores eſſent ad certamen, relictâ patriâ, propinquis, amicis, orationis locupletandæ & excolendæ gratiâ, longinquas terras peragrarũt; nos vltrò ſe offerentem dicendi facultatẽ domo prohibebimus? à nobis abſterrebimus & excludemus? illi res multas atque diuinas, magno labore quæſitas & inuentas, quàm elegãtiſſimâ potuerũt oratione, nobis tradiderũt; nos ignauiâ quadam & ſocordiâ langueſcentes, quæ ab illis accepimus, deteriora tractando faciemus? illi partim philoſophorum cæcum impetum, partim hæreticorum inſanam rabiem copioſè loquentis ſapientiæ telis à ſacris repulerunt; nos manibus vacuis & inermes, hoſtes religionis, euerſores ſacrorum, prædones diuini iuris & humani, omnia conuellere, diſſipare, extinguere ſinemus? magnoperè verendum eſt, ne vt illi ingentem ab hominibus laudem, & im-

mortale à Deo præmium pro ſuo labore ſũt ac diligentia conſecuti? ſic nos pro noſtra deſidia & ignominia notemur à poſteris,& ſempiternis à Deo pœnis viui mortuique mactemur. Quare incumbite animis omnique voluntate,adoleſcẽtes optimi,ad eã facultatem,quâ propria hominum dignitas, totiúſque populi ſalus,verę religionis defenſio continetur. Dixi de ipſa eloquentia,quæ viſa ſunt,nunc de artificio eloquentiæ paucis abſoluam, ſi me dicentem ſtudium veſtrum ad extremam orationem proſequetur. Nam quoniam non ex artificio nata eſt eloquẽtia,ſed,vt omnes confitẽtur, artificium ipſa peperit: magnique auctores inter naturam, imitationem,& exercitationem,quibus videtur bene dicendi vis ſatis poſſe perfici vix vllum præceptis reliquerunt & doctrinæ locum,poſſet aliquis quãtumuis eloquentiæ ſtudioſus, contentus illis tribus,artem deſpicere,quam ad orationis copiam vel inutilem prorſus vel minùs neceſſariam eſſe arbitraretur. Mihi verò multa de arte legenti, multa cogitanti longè aliter videri ſolet. ſic enim ſtatuo quãuis plus adiumenti ſit ad dicendum in illis tribus, vel ſingulis,vel vniuerſis ſine arte, quàm ſine illis in præceptis omnibus, tamẽ perfectam eloquentiam & omnibus nume-

ris abſolutam, non poſſe exiſtere ſine ratione quadam & confirmatione doctrinæ. ars enim aut omninò tollit, aut corrigit vitia naturæ: quod verò eſt in ea boni, id auget ac melius reddit: eadem in exercitatione & imitatione quid ſequendum ſit, quid fugiendum, docet: vt nemo ne illa quidem eloquentię præſidia ſine præceptionibus artis poſſit habere perfecta. quamquã de imitatione veriùs dixiſſem, nullam omninò poſſe eſſe ſine doctrina. ſtatũ enim, aut motum, aut amictum imitari alicuius, hoc non magnum eſt, illud præclarum imitãdo magnorũ oratorum neruos varietatẽ, copiam, filium denique ipſum orationis expreſſiſſe: hæc autem quis vnquam aſſequatur, niſi qui eorum & conſilia inuiſtiget, & initia obſeruet & progreſſiones notet, & exitus intueatur? atqui hæc obſeruatio vel artificij tota eſt, vel à natura profecta, gignit artem, Quantum igitur ad eloquentiam adiumẽti affert natura, quantũ imitatio, quantum exercitatio, tantum artificio debemus, ſine quo illa aut omninò nulla ſunt, aut perpolita eſſe non poſſunt, atque hoc etiam fortaſſe plus arti debemus, quod illa inchoãt, hæc eloquentiam perfectè abſoluit. Nam cauſſæ cur quidque fiat, aut non fiat: cur hoc vitandum, illud perſequendum: cur aliud

quodcunque nobis propoſuerimus, minùs aberremus. Etenim qui ſolis naturæ adiumẽtis propter cõſuetudinem bene quid dicunt, quoniam id temerè fortuitóq; faciunt non quoties volũt, idem efficere poſſunt: at verò qui viam certam rationémq; ſequuntur, niſi quid obſtet extrinſecus, & quod volunt efficiunt, & quotieſcũque volunt. Quid enim exiſtimatis eſſe cauſſæ, cur nonnulli oratores id facilè ſemper aſſequantur, quocunque ſe mente ac voluntate cõiecerunt? alij verò ſæpe auditorũ animos conati cõcitare vehementiùs, in medio curſu repentè concidant? ſæpe argumentationem artificiosè concludere volentes, inchoatã illam imperfectámq; relinquant? ſæpe mirabiliùs aggreſſi locum aliquem ornare, conſilio ac ratione ſubitò deficiantur? ſæpe pro amore odium, pro admirationẽ riſum commoueãt, inuidiam pro miſericordia? nimirum illi boni artifices omnes dicendi vias & aditus pernouerunt: hi tametſi bene aliquãdo fortè dicunt; tamen artis ign[illegible], ſemper id paratum habere non poſſunt, vt empirici non perpetuò appoſitè curant ad ſanandum, quia dum medecinam ſpernunt, certi nihil habent, quod ſequantur. Quapropter nemo rhetoricum artificium contemnat; nemo reprehendat; nemo ſe eloquentiam

habere velle dicat, oratoria præcepta nolle cognoſcere, cũ ſine his nullius oratio poſſit eſſe perfecta: nemo queat in locum principum oratorum peruenire. Reſtat id quod in noſtra partitione fuit extremum, vt de arte tradenda & diſcenda pauca dicamus. Tradendi ratione omnia præceptoris officia, auditoris verò munera diſcendi modo continentur; quæ non conabor vniuerſa complecti oratione, quod eſſet infinitum, ſed ea tantùm quæ magis neceſſaria videntur, breuiter commonebo. Primùm igitur vt in ceteris artibus, ſic etiam in Rhetorica docenda ſpectandus eſt ordo. ac de ordine quidem tradendarum artium multa ex Platonicorum ſentẽtia, multa ex antiqua Stoicorum diſciplina, multa ex Peripateticorum decretis hoc loco dici poſſent, verùm vt rem longè latéque patẽtem, modicis definiam anguſtiſque regionibus, dico, poſt Grammaticam & Dialecticam, tum tertio loco Rhetoricam tradi oportere, primus enim eſt naturalis vſus ſermonis quẽ Grammatica inſtituit, cũ proximè ſequitur vſus rationis, quem Dialectica confirmat, poſtremus eſt naturalis vſus eloquentiæ, qui præceptis rhetoricis perpolitur ſiquidẽ pueri primùm loqui incipiunt: deinde progrediente ætate rationem adhibẽt iudicem ad

vnam

vnamquamque rem examinandam, ſuóque momento ponderãdam; tum ad extremum quæ cogitarunt, verbis ac ſententiis magnificentiùs aggrediuntur ornare. illud omitto, Dialecticam omnium artium comitem & adminiſtram, omnibus aliis antecedere debere; exceptâ vnâ arte ſermonis, prætereo illud quoque, rhetoricam inuentionẽ, & ſingulorum argumentorũ diſpoſitionem, cùm ſint magna ex parte propriæ Dialecticorum, eius artis ignaris rectè tradi non poſſe: quæ ſi perſequi dicendo velim, facilè oſtendam, priùs diſſerendi præceptis informandam eſſe iuuentutem, quàm oratoriis artibus inſtruatur. Ego verò vt de me ipſe confitear, non Dialecticâ ſolùm, ſed etiam vniuersâ Philoſophiâ pertractatâ, tunc demum ad ea cognoſcenda me contuli, quæ pertinent ad bene dicendum, non aſpernatus rhetorum vocem, licèt aures iam eſſent ſapientiſſimorum hominum diſputationibus aſſuetæ. Quod ſi mihi vni quâ ratione vellem, omnes artes auditoribus meis tradere liceret, non alium ordinem ſanè quàm quem expoſui, ſequerer in docẽdo, ſed quoniam aliud ab alio diſcendum eſt, & ad rhetoricas exercitationes cogimur omnes adcipere ſine delectu, qui iam aliquando loqui didicerunt, dabo operam, vt quæ à Diale-

cticis petenda ſunt: neque omninò prætermittam, neque tam copiosè explicē, quàm illi ſolent ita fiet, vt & tantum intelligant auditores, quãtum ſit ſatis ad id, quod quæritur, & vnaquæque diſputatio integræ ſuũ in locum, & tempus reſeruetur. Si qui tamen adſunt tam imbuti Dialecticis, qualẽ arbitror adeſſe non neminem, ij ſperent multo ſic maiores vno anno proceſſus effecturos, quàm anteà multis effeciſſent, illa porrò à magiſtro huius artis, requiruntur: ne multa cuiuſque generis vtilia, inutilia congerat in vnum locum, ſed delectum habeat, vtilia retineat, illa repudiet, quæ nihil, aut parum profutura videatur: ne in alienis refutandis diutiùs commoretur, ne minutis ac ſpinoſis diſputationib. ingenia diſcipulorum attenuet, vt egregium aliquem oratorem proponat ad imitandum, & in eo quę maximè excellant, ſedulò demonſtret, vt eos crebris exercitationibus ad omnem dicendi copiam, varietatem, grauitatémque traducat: exercitationes autem ſint principio minores, quotidianóq; ſermoni proximæ, deinde quanta ad facultatem adoleſcentium, tanta ad exercitationum magnitudinem fiat acceſſio. hæc omnia recipio me pro mea virili parte, ſi minùs diligenter, at non negligenter tamen eſſe facturum.

Audi

Auditorum autẽ officia partim cum doctoris officiis coniuncta ſunt; quæ, quoniam ex illis ſine mea oratione ipſa per ſe intelliguntur, non attingã; partim propria ipſorũ. ea mihi videntur eſſe, primum vt magiſtrũ diſſerentem diligenter audiant: deinde ſi quid non bene intellexerint, vt interrogent, tum vt omnia iam anima percepta, & cognita memoriâ comprehendant; poſtremò, vt in exercitationibus quotidianis omnia ſibi ſumma proponant, vt ea vel mediocria conſequantur: neque magnopere laborent, quàm multum aut quàm citò dixerint, vel ſcripſerint, ſed quàm bene, hoc eſt, quàm variè, quàm numeroſè, quàm abundanter, quàm illuminatè & rebus & verbis. Quamobrem cùm & eloquentia ſit tam neceſſaria, vt nequeat ſine dedecore contemni, & ad eam comparandam magnum quoddam præſidium ſit poſitum in doctrina; & magiſtrum habeatis (etſi magiſter vobis nunquam defuit, qui vos hoc ipſum, quod ego moneo cõmoneret) ſed cùm magiſtrum habeatis & doctorem, ſi minùs eruditum, at certè non indiligentem, qui ſe promittat, nunquam officio, neque ſuo, neque veſtro defuturum: & quid illi, quid vobis agendum ſit, non ignoretis. dubitabitis, adoleſcentes optimi, hanc tantam, & tam

præclaram artem, eloquentiſſimorum hominum ingeniis olim inuentam, ſummorum poſteà philoſophorum diſputationibus amplificatam, noſtrâ memoriâ eruditiſſimorum hominum ſtudiis vehementer illuſtratam, ad extirpandam impietatem, ad ornandam religionem, ad Chriſtianam rempublicam dubiis formidoloſiſque temporibus tuendam, conſeruandámque conferre? ſi vobis in extremam Italiam, Galliam, Hiſpaniam, ſi in vltimis Indiæ oras eius diſcendæ cauſsâ proficiſcendum eſſet, tantum itineris, laboris, moleſtiæ, periculi ſubire deberetis, ne tanto vel ornamento ad rempublicam Chriſtianam decorandam, vel ad defendendam præſidio caruiſſe videremini. nunc verò cum non in Italia modò, ſed etiam in vrbe, ac penè domi veſtræ diſcere poſſitis, & in omni genere orationis exerceri, quid exſpectatis? quid cunctamini? an ipſam & audiendi, & ſcribendi, & declamandi moleſtiam pertimeſcitis? plus ne igitur apud impios, plus apud ſceleratos homines nocendi voluntas, quàm apud vos alios iuuandi ſtudium valebit? illi vt in errorem inducant quamplurimos, vigilant, ſudant, laborant, contendunt, non rei familiari parcunt, non corpori, nullam partem capiunt quietis, omnes

rhetorum libros peruolutant, omnia veterum oratorum ſcripta perlegunt, & eorum quàm ſimillimi eſſe conantur: vos, vt errore liberetis multos mortales, vt veſtros ciues è tantis malis conſeruetis, ſi minùs maiorem, at parem certè curam non ſuſcipietis? illi vt multitudinem agant furore & amentiâ præcipitem, antiqua & religioſa templa; violent, ſacras imagines diſturbent, altaria demoliantur, ornatiſſimas cruces in publicis viis, maiorum pietate collocatas, comminuant, ſanctiſſimas cæremonias ſacrorum ex hominum memoria deleant & extinguant, nihil eſt, quod non aggrediantur & efficiant; vos vt tantam, & tam profligatam audaciam à templis, ab imaginibus Sanctorum, ab altaribus, à ſacris repellere poſſitis, non omnes & corporis & animi neruos contendetis? an quòd pulſa foro iam eloquentia eſt, id vos fortè remoratur? at qui ſenatui præeſt, moderatur doctorum hominum conuentus, dominatur in concionibus populi, ſacra concilia continet, & regit ad conſtituendam religionem conuocata. an timetis ne ſit tenuis & inops ad quæſtum faciendum? non eſt hominis quæſtu magis, quàm hominum caritate cõmoueri. Valeat igitur, auditores optimi, valeat apud vos bonorum exemplum, valeat

maiorum auctoritas, valeat communis hominum dignitas, valeat reſpublica, valeat religio, cui ſi in hiſce tantis, & tam cæcis errorũ nubibus & procellis, ſapiẽtis & ornatæ orationis facẽ prætuleritis, ad aliorum ſalutem conſeruandã, immortalia vobis à Deo præmia operæ, laboriſq; veſtri, tum viuis, tum mortuis perſoluentur. Hæc habui, adoleſcentes optimi, quæ hodierno die dicerem; cetera, quæ ad explanationem Ciceronis attinent, veſtrâ bonâ veniâ in proximã lucem differemus.

PETRI IOANNIS PERPINIANI

De Perfecta Doctoris Chriſtiani forma.

ORATIO VII.

NEſcio quo pacto fit, patres ampliſſimi, vt vbi me quàm pudẽtiſſimum eſſe oporteret, ibi vix vllam priſtinæ verecundiæ meæ partem retinere poſſim. nam cùm in hac vrbe principe orbis terræ vel vnũ verbum facere peregrinum hominem ſummæ ſit impudentiæ; me ab vltimis terrarũ partibus

tibus non ita pridē aduocatū pietas, & officium, & amor erga iuuētutē ſtudioſam bonarum artium nimiū ſæpe loqui; vel potiùs indecorè clamare cogit. Repetite memoriâ antiqua illa roſtra, forum, curiam, & populi Romani gloriā, non ſolùm in re militari, ſed etiam in omnibus partibus humanitatis atque doctrinæ: cogitate Craſſos, Antonios, Hortenſios, Cicerones, & illam præclaram eloquentiæ formā, quam quondam accepimus, in hoc imperij domicilio fuiſſe verſatam. ſic credo ſtatuetis, ne Romanis quidem oratoribus, aut Italis, qui nunc ſunt, vllum iam Romæ eſſe relictum locum ego autem neſcio vnde in hanc vrbem paulò antè miſſus, pingue quiddam ſonans atque peregrinum, auribus veſtris obſtrepere cogor impudenter. Quid faciam, patres ampliſſimi, quò me vertam? quid conſilij capiam? non eorum audientem eſſe dicto, quorum me poteſtati permiſi, impium eſt; non morem gerere multis, hoc à me partim exſpectantibus, partim poſtulantibus, inhumanum: non ſeruire iuuentutis vtilitati, quoad poſſim, hiſce præſertim ſuſceptis vitæ rationibus, flagitioſum. Ergo quando ſemel tranſire fines verecundiæ neceſſe eſt, ero bene & nauiter impudens; & quando omninò cōſulere pudori meo non licet, totum abiiciā:

vt

vt impudentiæ meæ videar impudẽtiorem exitum quæſiſſe. Vos parati veneratis omnium diſciplinarum laudes audire; ego laudationem in deliberationem hodierno die conuertam. vos fortaſſe conſilio nobis opus eſſe exiſtimabitis: ego vobis non modò non potentibus, ſed ne ſuſpicantibus quidẽ dabo conſilium. vos de me vno iudicium factum iri putabatis; ego vos etiam vnà mecum ad iudiciũ vocabo. Quid plura? vos breuem, ſed ornatam exſpectabatis oratiũculam prompti alicuius adoleſcentis; ego vobis explicabo ſatis longam & impolitam orationem tardi ſenis. quare, ſi quis hic eſt vel negotioſus, vel faſtidioſus, vel certè parum moræ patiens; moneo, prædico, antedenuntio, vt de ſua ſtatione decedat, priùs quàm vndique frequentiore coronâ circũuentus, exitu prohibeatur. Ego namque ſẽtiens ea ſtudia iacere maximè, quæ apud homines & naturâ magnanimos, & religione Chriſtianos vel ſola, vel præ ceteris vigere oportet, & ſummã illam ſapientiam hominum generi diuinitùs donatã à pleriſque contemni, à paucis ita negligenter tractari; vt vno die repẽtè ſuffragiis imperitæ multitudinis, & ſolâ voluntate, ſine labore Theologos euadere ſe poſſe confidant, & nihil aliud afferant, niſi aut immoderatam
lo

loquacitatem, aut ſophiſtarũ ineptias planè pueriles, decreui non mecũ eſſe, mecũq; vt dicitur, viuere, nullam humanarũ rerum partem attingens, vt S. Gregorius Nazianzenus aliquando ſe confitetur optaſſe, verùm in hac frequentia virorum præſtantiũ perfectiſſimam quandam, & omnibus numeris abſolutam doctoris Chriſtiani formam proponere, & ad eam amplectendam omnes adhortari: ſi fortè oratione conſequi poſſim, vt vel vnus aliquis pulchritudine ipſius & nobilitate capiatur. quod ſi dicendo non tantum effecero, quantum volo; hunc certe fructum omnes ex adhortatione mea capiemus, vt qui nobis Theologi ſapientéſque videmur eſſe, cùm non ſimus, falſam de nobis opinionem hoc ipſo in loco deponamus. Neque verò quiſquam vel me, quem omnium rerum ignarum eſſe cõfiteor, vel alium aliquem hominem intueatur animo, cùm de præſtãtis doctoris Chriſtiani forma diſputabo. nihil enim mortale, nihil caducum, nihil quod cerni oculis, aut manibus tractari queat, oratione meâ cõplectar; ſed, vt diuinus ille Plato ciuitatem poſteris, M. autem Tullius, & F. Quinctilianus oratorem talem ſuis literis effinxerunt, qualem nemo vidiſſet vnquam, vel poſtero tempore viſum iri arbitrarentur: ſic

ipſe

ipſe vobis talem Chriſtianæ philoſophiæ magiſtrum verbis depingam, qualis nemo vſquam eſt, neque antè fuit, neque fortaſſe conſequentibus ætatibus exſiſtet: eos ſemper excipio, qui diuinitùs, vel iã olim inſtituti fuerunt, vel poſthac inſtituentur aliquando. Denique dicam paucis, perfectionẽ ipſam Chriſtianæ doctrinæ ponã ante oculos; vt cùm ad eam quiſque noſtrûm omni ope cõtendit: ſi prima minùs aſſequi potuerit, certè in ſecũdis aut tertiis non inhoneſtè conſiſtat. res erit, vt ſpero, cõſentanea ætati meæ, his altercationibus annuis, huic religioſo templo, his auditoribus cupidis erudiendæ multitudinis accommodata, non indigna veſtris auribus, patres ampliſſimi, his ornatiſſimis viris qui circumſtant non inutilis, omnibus qui adſunt, ad cognoſcendũ grata & iucunda. Dicendum eſt enim de ſapientiæ diuinæ dignitate atque fructu, de omnibus ferè ſcientiis, & artibus humanis eius comitibus & adminiſtris, de honeſtate vitæ, & integritate morum; vt non tam mihi laborandum ſit, vt habeam paratum, quid dicam; quàm prouidendum, ne ſi omnia, quæ dici poſſunt, dicere voluero, nullus vnquam inueniatur exitus orationi meæ. adhibebo tamẽ ipſe mihi modũ in dicẽdo, & rem propè immenſam anguſtis cancellis

cir

circumſcribam, quibus incluſa dictio, cùm ad extremum venerit, ipſa ſuâ ſponte conſiſtat, quæſo, quid agendum ſit, diligentes attendite, quo faciliùs rem totam percipere poſſitis. Omnes, qui in ciuitate Chriſtiana non ſibi ſolùm proſpicere, ſed etiam aliis, quod poſſent, adiumento eſſe voluerunt, duobus mihi videntur generibus contineri partim enim non docēdo, ſed agēdo; non ſuperiorum præclara mirabiliū virtutum exēpla narrando, ſed ſua ipſi prębendo, cæteros ad probitatem & ſanctitatem morum incitare ſtuduerunt. ex hoc numero fuerunt caſtiſſimę illę virgines & viduę quę inuſitato vitæ genere ſępe maximam hoſtibus ipſis Chriſtianæ religionis admirationem attulerunt. ex hoc Pauli, Antonij, Hilariones, aliique diuini homines, qui abiudicatis à ſe facultatibus patriis, & auitis voluptatibus corporis reciſis, maiorum dignitate cōtemptâ, ſpe rerum humanarum abiectâ, ſolitudinem oppidis, feras hominibus, antra tectis, lecto ſolum, ſomno vigilias, inediam ſaturitati, laborem quieti antepoſuerunt: partim docendo, monendo, cohortando ceteros ab errorū tenebris ad lucē veritatis, à turpitudine vitæ ad honeſtatem morum, à ſuppliciis æternis ad immortale præmiū traducere contenderunt Huius

autem rationis duos inter ſe diſſimiles gradus ac diſpares fuiſſe video, vnus eſt, eorum qui rerum cognitione diuites, orationis ornamentis inopes, prudenter illi quidem, ſed parum ad perſuadendum appoſitè dixerunt: quales ego cognoui non paucos, qui cùm cogitandi prudentiâ cum primis æquarentur, eloquendi humilitate numerabantur in poſtremis, alter eſt gradus paulò altior eorum, qui & intelligendi prudétiá, & dicendi facultate præſtantes, tum rerum, tum orationis copiis abundarunt, quales ferè S. Hieronymi ætate, ſuperioribusque ſeculis permulti floruerunt, & noſtris temporibus etiam nonnulli florent. nam qui ornatiſſimè quiduis explicant, nihil tamen ſapienter excogitare poſſunt, hi non adiumento ceteris, ſed calamitati eſſe ſolent, vt ipſe parens eloquentiæ M. Tullius non vno in loco teſtificatus eſt, quos ego nõ ſecus atq; furioſos tãtò magis fugiẽdos eſſe iudico, quantò ſunt paratiores, quàm qui eloquentiæ arma non habẽt, & inſtructiores ad nocendũ. Atque vt in his duobus gradib⁹ vtiliũ magiſtrorũ poſteriores prioribus antecelliũt: ſic de duobus hominũ generibus alios adiuuare cupientium priores profecto tãtò ſunt poſterioribus omnibus pręponendi quantò plus ad alios excitãdos

valent

valent exempla, quam verba, ſed nullum ex his generib⁹ mihi videtur eſſe perfectũ, ſi aliorũ præſidiis nudetur. Aduertite obſecro veſtros animos, patres ampliſſimi, neſcio quid magnum & admirabile iam pridẽ animo conceptum, & aliquot annos in pectore penitus incluſum, nunc demum geſtit in lucem erumpere. Dico nullum generum ſuperiorum auulſum à ceteris, ipſum per ſe ſatis eſſe perfectum namque ſapientia etſi per ſe ſola probatur intelligentibus, ad imperitæ concionis animos regẽdos vim ſatis magnã habere ſola non poteſt. Non diſputo in præſentia, quorũ hoc vitio accidat. ita certè euenire quotidie ſentimus, ſi ad ſapiẽtiam accedat eloquentia, erit illa quidem aliquãto fortior, verùm fac abeſſe vitæ dignitatem, quãtum demũ oratio quãuis prudens & ornata virium habebit, quam eius, qui dicit, vel ſcelerata vel flagitioſa vita confutet? honeſtæ verò vitæ ſplendor etſi magis ipſe ſolus proficit, quàm ſine hoc vno cetera, ſępenumerò tamen vel ad conſilium dãdum in rebus difficilimis, doctrinæ; vel ad reflectendas aut concitandas populi mentes, eloquentiæ ſubſidia deſiderabit. Is igitur erit doctor Chriſtianus omni laude cumulatus, meâ quidem ſententiâ hoc tam graui dignus nomine, qui & quamcũq; rem

ſapiẽter prouidẽdo,& prouiſam copioſè ornatéq; loquẽdo, & vitã caſtè sãctéq; degẽdo,populi cõcionem bona docere, mala dedocere ſic poterit, vt & intelligenter, & libenter, & obedienter audiatur. non enim credi, non amari, non ſperari poteſt, quod intellectum non eſt, nec in mẽtes & ſenſus hominum intrat, quod audiatur inuitè, nec intelligẽter audiuiſſe & vidiſſe prodeſt, niſi parenti. Tenemus tãdem aliquando, patres ampliſſimi, tenemus quem tanto ſtudio & labore quærebamus, aut, vt verè loquar, huiuſmodi quidem neminem habemus, ſpeciem tantùm eius quandam verbis expreſſam animo continemus: quem ego ſi præſentem intuerer, non illum lacinia conarer retinere, ſed vndique, ne quâ elaberetur, arriperem; neque priùs dimitterem, quàm nos omnes docuiſſet, quibus ſemitis, quibus gradibus, quò iam ipſe perueniſſet, poſſemus aſcendere. idem vos credo faceretis, idem ab eo precaremini, idem vniuerſi efflagitaretis, magnum enim opus eſt, patres ampliſſimi, opus eſt magnum & difficile, tot res & tantas vnum aſſequi, cùm vnaquæque vix diuturnâ hominis vitâ videatur eſſe contenta. Primo capite omnis cognitio diuinarum & humanarum rerum, quoddam Chriſtiani doctoris inſtrumentũ,
alte

alcero vis eloquendi tanquam inſtrumenti tractatio, diſtinctio, expolitio cōtinetur: tertio virtutum vniuerſus ornatus, firmamentum vtriuſque partis ſuperioris atque robur, his omnibus de rebus polliceor me quinque diebus eſſe dicturum. nunc, dum primam partem explico, oro vos atque obſecro, vt eâ benignitate, quâ ceteros ſoletis, verba mea audiatis. Etenim quàm multiplici & variâ cognitione rerum, quantâ ſapiētiâ opus eſt ei, qui ſit futurus vitæ magiſter, populi Chriſtiani rector, temperator animorum, dux omnium per tot tantaque pericula ad altiſſimum beatorum domicilium, magno labore & ſudore contendentium? oratorem ſuum omnes antiqui dicendi præceptores negant in cauſſis forēſibus atque communibus, grauiter ſatis & magnificè poſſe verſari, niſi plurimarum & maximarum rerum ſcientiâ pectus antè complerit. & in re tam tenui, vbi nihil niſi pecunia, vel ad ſummum ciuitas, libertus, exiſtimatio denique vita agebatur, tamen erant tam diligentes & moroſi; nos quemuis impolitum hominem, rudem & ignarū bonarū artium, ſtipitem, inquam, aut lapidē huic tanto muneri præficiemus? & populum Chriſti morte ab interitu vindicatum, eiuſdem ſanguine redemptum à crudeliſſimis:

atque teterrimis hoſtibus humani generis, ad vitam beatam & immortalem, denuò quaſi creatum atque generatum ei cõmittimus, cui vix quiſquam ſuæ rei familiaris curationem rectè putet poſſe committi? Quid oratores commemoro? quid artifices nobiliorum artium, quæ præſtantiâ ſuâ magno in honore ſunt apud omnes nationes? nemo veſtrûm ſuos agros villico ruſticarum rerum experti, nemo pecuniæ procurationem & diſpenſationem huiuſmodi tuendæ rei familiaris imperito, nemo ædificationem alieniſſimo ab architectura commendat, dicam breui, quidquid alteri mandandum eſt, quod probè curari conueniat, quis eſt tam ſtultus, qui non eius rei bene peritum & intelligentem hominem ſedulò perquirat? ſoláne igitur ſalus animorũ aut tam expedita eſt & facilis, vt nullam curatoris & magiſtri ſapientiam requirat, aut tam exigua & tam vilis, vt quæ vel minimis rebus tribuitur, ei vni non ſit tribuenda diligẽtia? Caluinianorũ iſta ſunt inſtituta, quibus cùm primùm nouus Chriſtus (Antichriſtũ dicere debui, nihil enim mihi videtur intereſſe, cùm nouus Chriſtus nemo poſſit eſſe, niſi hoſtis primi) ſtatim igitur vt nouus Chriſt⁹ nuper inter alpes è cœlo delapſus, ſcilicet, ad corrigendos errores ab il-
lo

lo Chriſto per Apoſtolos & eorum ſucceſſores, ad nos vſque tranſmiſſos, neſcio quid in aures eis, conuiuionum crapulam exhalantibus adhuc, & nihil aliud niſi ſacrilegia & inceſta meditantibus inſuſurrauit, veluti magico aliquo carmine facti repentè ſapiẽtes Hieronymum, Auguſtinum, Baſilium, Gregorios, omnes denique veteres populi Chriſtiani doctores præ ſe cõtemnunt. Vidi ego anno ſuperiore, cùm iter facerẽ per Galliam Narbonenſem in taberna diuerſoria quendam ex illo grege tantâ doctrinâ, vt nihil planè ſciret, tantâ grauitate, vt ſtabulo iumentiſque præeſſet, tantâ modeſtiâ, vt ſtabularius hebes & indoctus, illius vici magiſtrum ſe eſſe profiteretur. Rectè illi quidem ad omnes res diuinas & humanas euertendas ex lacu Lemano ſubitò emerſi, doctrinam, quâ continentur illæ, cõtemnunt. facile namque eſt ſine præceptis aratorum arua ſegetéſque corrumpere, & fortiſſima tecta diruere ſine architectorum diſciplina. Nos verò, patres ampliſſimi, qui quæ ſunt ab iſtis furiis corrupta, vel euerſa, in antiquum ſtatum, quantum in nobis eſt, reſtituere velle debemus, quantum cuique deeſſe intelligemus de ſumma rerum magnarum atque artium ſcientia, tam eum longè à perfectione Chriſtiani doctoris

abeſſe putemus. Poſſem equidem commemorare quamplurimos, qui cùm in omnibus vitæ partibus eſſent admirabiles atque perfecti, quòd ſe à doctrina imparatos eſſe cognoscerent, à populo docẽdo ſemper refugerunt, neq; vllam huius muneris partem attigerunt, niſi quantum aliquãdo nata neceſſitas, & inſtinctus numinis diuini cogebat. nimirum intelligebant illi viri excellẽtes. indoctos homines, quamuis optimos, ab officio multitudinis inſtituendæ eſſe remouendos. Ego verò, quantum aſſequi cogitatione poſſum, multorum eâdem de re monumentis non negligenter perlectis, duplicem rerũ cognitione eximio doctori Chriſtiano neceſſariam eſſe arbitror. vnam earũ, quæ propriæ ſunt huius muneris, alterá earum, quæ cum ad illas percipiẽdas & tractandas magnũ adiumentum præbeant, extrinſec⁹ aſſumẽdæ ſunt. illa Theologia vocatur à Græcis, hæc omnes humanas diſciplinas, aliásque res prætereà non paucas comprehendit. Ac Theologiæ quidẽ, de qua ſola nobis hodiernâ die verba faciẽda ſunt, magnitudo & dignitas tanta eſt, vt etiam ſine vlla ſpe fructus, incredibili amore ſui debeat noſtras mẽtes incẽdere, fructus tam iucundus & neceſſarius, vt etiam ſine dignitate, ſola ſpe vtilitatis, omnium in ſe ſtudia
poſſit

poſſit conuertere, ratio diſcendi tam expedita, vt etiam ſine dignitate & emolumēto, ipſa facilitate nos ad cognoſcendum inuitet. Quid enim maius, quid auguſtius, quid diuini⁹ excogitari poteſt illâ doctrinâ, cuius materia ſubiecta De⁹ eſt, finis Deus, auctor idem Deus, forma ipſa digna Deo? Ponite vobis ante oculos, patres ampliſſimi, omnes artes ab hominibus inuentas, quæ propter earũ rerum quas docēt, magnitudinem, aut propter extremi eius quo referũtur, præſtātiā, aut propter inuētorũ gloriā, aut propter exquiſitũ aliquod & ſingulare docēdi genus, commendatur, ex hac cōtentione magis diuinæ doctrinæ ſplendor elucebit. Illæ humi penitus iacent: & ſi quādo ſeſe altiùs erigere conātur, nō lōgè tamen ab humo recedunt: hæ relictis terris, aërem ſuperāt, & procul ab hominũ oculis abſtracta, celũ ipſum, & illas quæ ſolo animo cernũtur, incorporeas mētes celeri atq; arduo volatu tranſcendit. illæ rerũ humanarũ perrangoſtis regionib⁹ circumſcriptæ, ſi quādo diuinas attingunt, trāsferunt ad humanas: hæc in latiſſimo rerũ diuinarũ cāpo liberè peruagata, ſi quādo tractat aliquid de humanis traducit ad diuinas illæ partim quæ poſita ſunt in hominũ vita & moribus, partim obſcuritatem naturæ, partim numerorũ magnitudinē, ſono- *Gregorius 20. Moral. cap. 5.*

tum cōuerſionúmq; cœleſtium rationē explicant. quæ verò præ cæteris ampla diuinaque habetur, & in rebus ab omni materia ſolutis pertractandis occupata eſt, ea ſolùm de Deo, mentibúſque ſingularibus tradit, quæ humana ratio conſequi poteſt, cauſſas ex affectis inueſtigās: at hæc noſtra diuino numine nobis afflata, philoſophis antiquis penitus ignota ſapientia, cùm nihil doceat, quod non aut Deus ipſe ſit, aut referatur ad Deum, permulta declarat, quæ ſuapte naturâ illuſtriſſima, nobis ob imbecillitatem animi obſcuriſſima, cùm à nemine viribus ingenij cognoſci poſſent, omnibus credere volentibus diuinâ benignitate patuerunt. noſtra eſt vnius & eiuſdem naturæ triplex hypoſtaſis ſolâ proprietate diſtincta: noſtra mirabilis illa mundi molitio, & primorum hominum tanquam alterius mūdi minoris tam ſolers, tam ſtabilis tam accurata fabricatio: noſtra eluuio terrarum, & animantiū ſemina, Noë diligentiâ & labore ſeruata, noſtra diuina humani animi origo, noſtra Christi veri Dei hominisque vita & mors, noſtræ ſalutares peccatorum expiationes, noſtra mortuorum ἀνάστασις noſtrum iudicium de omnibus hominibus formidoloſū noſtra ſpes verè beatæ, & æternæ vitæ, quibus de rebus aliiſque permultis, quæ ſunt

S. Thom. 1. p. q. 1. art. 3.

propriæ

propriæ doctrinæ diuinæ, ſi quid aliquando nonnulli Græcorum ſapientes tetigerunt, aut tam inepti fuerunt vt ridendi ſint, aut tam impij, vt deteſtandi, quare ſine ſapientia eſt; quæ ſummam rerum omniũ cauſſã intuetur, hæc ſola profectò, quam accepimus à Deo perfecta præ ceteris & abſoluta ſapiẽtia nominãda eſt, quæ tota in explicatione Dei, à quo omnia ſunt orta, verſatur: neque communia quædam & peruulgata perſequitur, quæ noſtra mens vi ſuâ videre, & explorare penitus poſſit, verùm ea quæ cùm ſint maximè propria ipſius, ita latent, vt à nemine, niſi cui vel per ſe, vel per alios ipſe detexerit; perſpiciatur: ſiue de ſententia Platonis earũ rerum ſcientiã, quæ ſolâ intelligentiâ comprehenduntur, veréque ſunt, neque oriuntur & intereunt, ſapientiam apellamus, hæc vna maximè omnium tã graui nomine digna cenſenda eſt, quæ ad reconditiſſima diuinitatis myſteria, vnde humanæ ſcientiæ prorſus excludebantur, ſola penetrauit, ſiue Ariſtotelis iudicio ſapientiam volumus eſſe earum rerum, quæ ſunt honore digniſſimę naturâ, ſcientiam & intelligentiam, cui potiùs hoc tam illuſtre nomen tribuendum eſt, quàm cæleſti diuinæque doctrinæ quæ de natura illa omnium præſtantiſſima ea nobis explicat

cat, quæ quò minùs hominum generi ſunt nota naturâ, eò maiore apud omnes in honore & pretio eſſe debēt. Fuerit ſanè Thales Mileſius omnium opinione ſapiens: fuerit Anaxagoras ille Clazomenius: fuerit Solō Salaminius: alij permulti fuerint popularium ſuorum æſtimatione ſapientes? quòd illis eximia quædam, & admirabilia, & diuina tenere viderentur: ego ſolum illum ſine adiunctione aliqua appellari arbitror ſapientem, non qui multa commentus, pauca quædā de diuinitate fuerit mēte complexus, neque magna, neque abſtruſa, vt illi fecerunt: ſed qui ex illa perfectiſſima ſcientia, ac beatæ mentis velut ex altiſſimo gurgite tantum hauſerit, quantum ipſius ſupremæ naturæ bonitas cum hominibus cōmunicandum eſſe iudicauit? permultaſque res non acie ingenij ſui, ſed diuinæ liberalitatis munere cognorit, quas nemo nec hominum, nec cœleſtium cogitando fuiſſet aliquādo conſequutus. Quātus in rebus, quæ tractantur, ſit ſplendor, vidiſſe vos opinor, patres ampliſſimi, finis verò quantò eſt omnium humanarum ſcientiarum atque artium fine potior? quantò diuinior? quantò optabilior? philoſophiam vniuerſam, quæ eſt laudandarum artium omnium procreatrix & quaſi parens, ad nonnulam ſimilitudinem

dinem Dei conſequendam Plato voluit referri,vt, quemadmodum Deus res omnes & cognoſcendo intuetur, & prouidendo gubernat? ſic qui philoſophiam perdidicerit,cuius vna pars cognitionis eſt, actionis altera,tum rerum omnium naturas,quoad eius fieri poſſit,animo contempletur, tum animi concitationes,& cetera,quæ ſita ſunt in nobis conſilio moderetur & regat. Ariſtotelici autem philoſophiam ad vitã beatam pertinere tradiderunt, quam cùm illi in præſtantiſſima naturæ noſtræ functione, id eſt,contemplatione Dei ponant, efficit hoc illa pars philoſophiæ,quæ ſcientiâ ſolâ cernitur,vt & res diuinas,& naturam quaſi quandam artem Dei,mẽtis oculis inſpiciamus? ex quo θεωρητικὴ nominatur à Græcis: quæ verò continetur actione, ſedatis motibus turbulentis,ad ea intuenda præparat animi tanquam cœli quandam ſerenitatem.Honeſti ſanè & præclari fines, verùm aut proximi & intimi philoſophiæ non ſũt cũ veritatis cognitio, & honeſtæ actionis propiùs vim eius attingant,aut naturæ ſunt humanæ terminis & regionibus circũcluſi, quiuis enim noſtrûm poteſt & ad illã Dei ſimilitudinẽ philoſophicam, ſuis ipſe pręſidiis,&ad hanc naturæ noſtræ conueniẽtem diuinarum rerum cognitionem vitamque

quę

que beatam, ſtudio & induſtria peruenire. At Theologiæ noſtræ ſumma eſt fides, ſpes, caritas. fide, ad quæ propter infirmitatem noſtram non poſſumus aciem mentis intendere, ea tanquam in quodam ſpeculo intelligentiá videmus: ſpe, ad ea quæ non cernimus ipſi, ſed eſſe credimus, expectanda, generoſa quædam virtus animi confirmatur: caritate ad ea diligendá, quæ & eſſe credimus, & conſecuturos nos eſſe ſperamus, voluntas accenditur. fide ad Deum accedimus; ſpe iam ante adeptionem quodámodo tenemus: caritate cum eo copulamur. fides tandem aliquãdo cedet, ſpes euaneſcet, caritas vna permanabit. fidem cedentem illuſtris adſpectus excipiet, fugientem ſpem poſſeſſio ſtabilis conſequetur caritatem corroboratam, & præſentia & poſſeſſio tanti boni vehementiùs inflammabit. Ad has res planè cœleſtes animi virtutes, quæ non hominum induſtriâ pariuntur, ſed ab illo perenni fonte diuinitatis ortæ mirabiliter in noſtrum pectus influunt, alendas, confirmandas, augendas, omnia præcepta, omnes rerum geſtarũ expoſitiones omnes prædictiones diuinorum vatum, omnes admonitiones & ſententiæ dirigendæ ſũt. eòdem ſpectant inſtituta, diuina ſine ſcripto ab Apoſtolis tanquam per manus tradita

1 cor. 13

poſt

poſteris, eôdem Eccleſiæ, maximorumque Pontificum decreta: eôdem ſapientium explanationes, & ſubtiliores eorum, qui in ſchola verſantur, diſputationes. Itaque S. Auguſtinus, quicumque, neque fidem ex literis ſacris inſtruat, neque ſpem erigat, neq; caritatem incēdat, eum nōdum intellexiſſe, conſtanter aſſeuerat: magiſque putat illum interpretem eſſe laudandum, qui hæc tria perficiat explicando; licet ab eius, qui ſcripſit, ſententia longiùs aberret: qui verò tribus hiſce virtutibus nixus, ita cōtento curſu feratur in cælum, vt nulla res eum nō dicam reuocare, ſed retardare poſſit, eum affirmat diuinorum librorum nō niſi ad alios erudiendos indigere. Paulus autem in epiſtola priore, quam ad Timotheum dedit, grauiter eos reprehendens, qui ad inutiles de fabulis neſcio quibus, & genealogiis cōcertationes diuinis libris abuterentur, exclamat finem eſſe præcepti caritatem de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. De corde puro, quia niſi animo libero ab omnibus affectionibus humanis, & perpurgato, vt quod oporteat ſolum, & quēadmodū oporteat, ametur, caritas nō poteſt eſſe perfecta, de coſcientia bona, quoniam debilitatur & frāgitur ſpes adipiſcēdi quod amas, ſi cuius te peccati coſcientia perturbat

1. de doctr. Chriſ. ca. 36. & 37.

cap. 1.

Aug. 1. de doct. Chr. c. 40.

bat: de fide nõ ficta, propterea quòd quorũ fides eſt ſimulata & falſa, hoc eſt, qui vel quod credere prohibẽtur, credunt, vel non credunt quod credere iubẽtur, vel quod nõ credunt, cùm debeant, ſe credere ſimulant & fingunt, hi neque Deum verè & ex animo diligunt, & illius conſpectu ſe temerè fruituros eſſe confidunt. Ac rurſus ad inſtitutam reprehenſionem ſubitò reuertens, quibus in ſacrorum librorum explanatione hæc tria propoſita non fuiſſent, eos affirmat ad inanem & ſtultam loquacitatem eſſe conuerſos, cùm, & quid loquerentur, ipſi ne ſcirent, & quæ neſcirent, tamen aſſeueranter loquerentur: ita prorſus erat neceſſe, vt amentes gubernatores qui neque clauum rectum tenere poſſent, neque ſcirent quam in partẽ vela dari opporteret, in ſcopulos & vada impetu cæco raperentur, vnde niſi fracta naui nunquam emergerent. Verùm quantum hęc ſcientia cœleſtis omnibus & ſcientiis & artibus humanis antepoenda eſt cùm fines illarum tantò ſint huius fine inferiores? Tertia ſequitur auctorum contentio, in qua quę tandem poteſt eſſe controuerſia? Non laudabo ſummos illos homines, à quibus libros diuinos accepimus fuiſſe conſcriptos. Non dicam Moſem in clariſſimam familiam adoptatũ

rum Aegyptiorum regum, non modò libe- *Exod.2.* raliter, ſed etiam regio more educatū, omni- *Actor.7.* buſque diſciplinis & literis, quas ab ea gēte *Baſi.hom.* Græci tot poſt ſeculis acceperūt, ſūmâ curâ *1.in Exã.* per ſapientiſſimos viros eruditum ad eam magnitudinem perueniſſe, vt & verbis & rebus omnium opinione longè plurimùm valeret. non commemorabo Salamonem regem, cuius nonnulla ſcripta in diuinis libris habemus, cùm tantum ei diuinitùs datum eſſet ſapientiæ lumen, quantum neq; habuiſſet antè quiſquam, neque habiturus eſſet omnium rerum naturas, cauſſas, vires animo perueſtigaſſe: nihil magnificentiùs de Daniele prædicabo, qui regis Babylonij iuſſu Chaldeorum doctrinis imbutus, omnium eſt maximarum rerum ſcientiam cõſequutus. tacebo illud etiam, Paulum Apoſtolū & à prima pueritia literis Hebreorum fuiſſe diligenter inſtitutū in vrbe clariſſima, doctiſſimo præceptore, optima diſciplinâ, & de Grecorū rebus didiciſſe tantū vt ne poëtas quidem eorum ignoraret, Aratum, Epimenidem, Menandrum non abutar illâ Porcij Feſti voce. *Inſanis Paule, multa te litera ad inſaniã conuertũt*, quæ facilè teſtatur & Apoſtoli qui pro ſe dicebat doctrinam, & eius, qui in media oratione ſic exclamauit admirationem. Harum tot tantarũque rerũ

iacturam non moleſtè feram, quia nō eadē aliis de omnibus verè dici poſſunt: video enim opiliones, & bubulcos, & piſcatores extitiſſe quoſdam, quorū monumēta ſacra diuinaque habentur. video Petrum & Ioānē admiratione fuiſſe Iudæis eò magis, quod idiotæ eſſēt, & omnis doctrinæ liberalis expertes. nihil igitur eorum exaggerabo verbis, quæ vt in quibuſdā etiā mirabilia fuiſſe fateamur, in pleriſq; nulla exſtitiſſe negare nequeamus: ne dū alios laudibus efferrimus in cælum, alios ad terram, aut etiā, ſi fieri poteſt, infra terram abijcere ac deprimere videamur imprudentes. illud tantùm afferā, quod æquè cōueniat in omnes diuinorū librorum auctores. quæſo diligēter attendite. Excellentes illi homines, qui liberales artes ac diſciplinas vel primi repererunt, vel ab aliis inuentas locupletarunt, vel iam ſatis locupletatas accuratiùs paulò quàm ſuperiores compoſuerunt, etſi non erant auxilio diuino deſtituti, viribus tamē ipſi ſuis nitebantur. quocirca fuerint illi quidem ingenio præſtantes, aſſiduo vſu exercitati, variarum cognitione rerum, propè diuini flagrarint incredibili ſtudio, & cupiditate veri videndi, tantam diligentiam adhibuerint, quantam poſſumus cogitare maximam, fugerint hominum cœtus, cibum

porumque neglexerint,dies noctesque vigilarint omnia ea fecerint,quæ nos vix adduci poſſimus, vt à quoquam facta fuiſſe credamus, certè cogitando & meditando nihilo plus aſſecuti ſunt,quàm quantũ humanæ mentes humi ſtratæ ſuſpicere potuerunt nihil cœleſte illi, nihil diuinũ, nihil penitus à noſtra cogitatione ſeclusũ, ne ſuſpicationibus quidē obſcuris attigerũt. At noſtri ſacrorũ librorum ſcriptores,numine afflatuq; diuino multò altiùs euecti, quàm quò poſſēt humanæ mētes aſcendere, tantũ animo viderunt,non quantum ingeniorum acies tulit,ſed quantũ eos Deus voluit videre,voluit autem tantum, quantum erat non ipſis modò neceſſarium, quos ita mirabiliter ſubleuarat, verùm illis etiam omnibus quos paucorum opera ſtatuerat errore liberare & excitare ad ſpem immortalitatis æternæ p rfruendæ. itaque vt breuiſſimâ ſtaturâ puer impoſitus in turrim editam & excelſam multò longiùs latiúſq; proſpicit in omnes partes quàm quiuis aliꝰ quamuis procero corpore ex humili & depreſſo loco,ſic illi quãuis hebetes & tardi, quamuis agreſtes & impoliti,tamē ex illa altiſſima ſpecula,in qua eos vis numinis diuini collocarat,longè plura proſpexerunt, quàm omnes ſapientes in hac humilitate

& infirmitate naturæ depreſſi. Miſſos facio ceteros quorum partim ante Chriſtum natum, inſtinctu diuino concitati res penitus abditas & latentes poſteris aperuerunt, partim cum ipſo Chriſto, aut cum iis qui Chriſtum viderant, colloquuti, eiuſdem numinis afflatu omnes propè gentes ad nouum quoddam & illis temporibus inuſitatum vitæ genus traduxerunt. Moſes & Paulus duorum populorum à Deo delecti duces, quorum alter Hebræis ex miſera ſeruitute liberatis, præſcripto diuino, leges tulit, alter omnibus ferè nationibus errore & ſuperſtitione cęcis, in illa teterrima nocte facem verbis factisq; prætulit, vt ingenio & doctrinâ fuerint Græcorum ſapientibus inferiores, diuinis muneribus & donis illos omnes longè multúmq; ſuperarunt. Eſto, neuter, vt ſanctiſſimis doctiſſimisque viris placuiſſe intelligo. beatam illam immortalemq; naturã, quoad vixit, oculis mentis adſpexerit: certè quantum hominibus viuentibus hanc vitam mortalem & caducam, & in ergaſtulo corporis incluſis concedi fas erat, tantũ vtriq; fuit à Deo tributũ & conceſſum. nam ceteris vatibus, aut ſecundum
Num. 12. quietem animo ſoluto & libero, & à vinculis corporis relaxato, quę volebat, ſignifica-
Deut. vlt. bat Deus, quod poſtremum eſt vaticinandi
Matth. 12 genus.
[illegible]

genus, aut quod eſt multò ſuperiore nobilius & preclarius genus vaticinationis, vigilantibus & ſentientibus, quamuis impedito animo, & multis rerum imaginibus extrinſecus occurſantibus in diuerſas partes antè diſtracto quibuſdam viſis obiectis, partim cœleſtia myſteria patefaciebat, partim quid futurũ eſſet, declarabat. At vero Moſes mirabilius atq; diuinius res penitus occultas enuntiabat, nullæ rerũ ſpecies, nullæ ſimilitudines extrinſecus iniiciebãtur, quib⁹ demonſtrarentur, quę ab eo cognoſci oporteret. ſed ipſe Deus per Angelũ aliquẽ cum eo colloquens, planiùs & familiariùs quæ vellet, exponebat. Quid? Paulus non repentino ſplendore perculſus, & à ſenſibus corporis abſtractus mente in tertium vſq; cœlum adſcendit? non audiuit ea quæ efferre, & in vulgus indicare propter magnitudinẽ, fas non eſſe arbitratur? non ſtimulis corporis vrgebatur, ne rerum illarum diuinitate, quas ipſa diuina bonitas detexiſſet, immoderatâ lætitia elatus, inſolenter ſeſe intoleranterq; iactaret? Quod ſi vel minima munera cœleſtia, quibuſuis naturæ donis, quãuis maximis, genere ipſo potiora ſunt, & omnes, quos ipſe Deus aliqua mirabili ratione ſine literis, ſine magiſtro, ſine voce docuit, illis longè præſtãt, qui multâ operâ,

Geneſ. 37. 40. 41.

Actor. 7. Hebr. 2. Dionyſ. de Cœl. hier. cap. 4.

Act. ca 9. 2 Cor. 12.

Sti Pauli Conuersio

literis exquiſitis, erudita voce doctoris, magnam opinionem ſapientiæ conſequuntur: quantò iiſdem omnibus anteſtare illi credendi ſunt, qui tantò ceteris hominibus diuinitùs edoctis antecellunt? Ter in Siciliã inſulam Plato venit, ſi fortè reperiret aliquam ciuitatem, in qua nouam illam reipublicæ ſpeciem, quam animo conceptam retinebat, re ipsâ exprimeret inſtituendo. Deus bone! quãtis doctrinæ copiis, quo apparatu & ſpendore verborum? vt & propter magnitudinem rerum, quas doceret, vulgò iam diuinus haberetur, & propter orationis amplitudini iunctã ſuauitatem, omnes exiſtimarent ne Iouem quidẽ, ipſum, ſi Græcè loqui voluiſſet, aliter ac Platonẽ fuiſſe loquuturum. Quid igitur effecit? quem ſui laboris fructum aſſequutus eſt? quod nauigationis tam moleſtæ ſolatium reportauit? ciuitas quidem nulla reipublicæ formam illam, quam afferebat, accepit: ipſe adoleſcentem nactus vnum nobilẽ, ingenioſum, excelſi animi, apud quem clãculùm ſuas illas copias explicaret, vix Archytæ Tarentini deprecatione, Dionyſij tyranni crudelitatem effugit: pari ratione ceteri veteris illius Græciæ ſapientes, à ciuitatum gubernaculis excluſi, in vmbraculis gymnaſiorũ apud adoleſcentulos imperitos rerum ſeſe

Laert. li. 3. Chryſoſt. hom. 2. in epiſt. ad Rom. Tom. 4.

magnificentiùs oſtétabant:ſi qui vero prudenter reſpublicas inſtitutis legibúſque fūdarunt,vt de nonnullis memoriæ proditum eſt, illa inſtituta,illæ leges vnius vrbis mœnibus,aut certè regionis vnius finibus continebantur,à vicinis ciuitatibus repudiabātur. At Paulus noſter, patres ampliſſimi, ſpretâ humanâ ſapientiâ, reiecto inani eloquentiæ ornatu,penè ab Arabia profectus, quò incredibili ardore ad opprimendam naſcentem religionem aduolârat, eôdem repentè,diuinitùs mutato conſilio, Syriam, Palæſtinam, Ciliciam,Aſiam, Græciā, Macedoniam,Illyricum,Siciliam, Italiam, admirabili cœleſtis doctrinæ luce compleuit; hac vna re maximè nobilibus principibuſq; viris commendatus, quòd cùm artem ſordidam factitaret, ne in media quidem inſtituendarum gentium occupatione, opus vnquā intermittebat, & ne grauis eſſet iis, quos ad bene beatéque viuendum ſuis præceptis erudiret, ipſe ſibi victum ſuis manibus & labore quæritabat: eodem modo ceteri diſciplinæ Chriſtianæ doctores cùm ea docerent, quæ prudentioribus delirantium ſomnia eſſe viderentur, diſtributis prouinciis,orbem terrarum non modò peragrarunt,ſed etiam errore ac ſuperſtitione liberarunt, vt homines omnibus ingenuis

artibus expoliti, rudibus earum, & ignaris; diuites egentibus, opulenti inopibus, reges opificibus libenter obtemperarent. Prô Deus immortalis! quæ præſidia diuinitùs oblata iis fuiſſe credimus, qui nullis humanis auxiliis illud perfecerũt, quod cùm aliquãdo philoſophi tentaſſent, tanto rerum omnium inſtructu & apparatu infectum & inchoatum reliquerunt? verùm quid homines cum hominibus illos, à quibus libri diuini ſcripti ſunt, cum omnium bonarum artium auctoribus ineptè contendo? quaſi verò auctores illi ſint huius diuinæ ſapientiæ, qui literis nobis myſteria cœleſtia conſignata reliquerunt. Longiùs progrediar, patres ampliſſimi, non quàm veritas ipſa patitur, ſed fortaſſe quàm iſti humanæ ſtultitiæ (neque enim ſapientiæ) laudatores & admiratores exſpectant: vt illud omnes intelligant, certarum quidem contentione rerum ſcientias humanas à diuina ſuperari, auctorum vero comparatione tãtâ illas offundi luce & obrui, vt nullo ſint in numero locóque reponendæ. vulgares iſtæ artes, ac ſcientiæ ab hominibus inuentæ, amplificatæ, deſcriptæque ſunt. etenim præclara illa & omnibus expleta partibus ſapientia, quæ primo parenti generis humani tributa fuerat, pertenui & perobſcurâ famâ multis

errorum obtenta velis, vt veritas planè diſpici nequiret, ad poſteros permanârat, & illud ipſum reliquum ſcientiæ lumen tam exiguum, & tam obſcurum, ita nocte vitiorum, & impietatis tenebris erat oppreſſum, vt vix eius vlla ſcintilla paucis in caligine ignorationis tam cæca prælucerer. tum homines prudentes tantarum rerum admiratione commoti, quæ in natura inſunt, notare animo docerèque cœperunt, ac ſenſim aliis aliud adiicientibus, quotidianis acceſſionibus ad eam magnitudinem philoſophia peruenit: vt nihil ferè, quod quidem non eſſet penitus ab hominum ingenio ſecluſum, deſiderari videretur. quare in dialecticis, in phyſicis, in mathematicis, in aliiſque ferè præclaris artibus, & quis quãque primus repererit, & quid quiſque ad inuenta ſuperiorum addiderit, demõſtrari ſolet. neque verò crediderim tot res, tam reconditas & abſtruſas ab hominibus quãuis prudentiſſimis, animaduerti ſine ope diuina potuiſſe. verùm cũ eodem modo quidqu d ſit, quidquid agitur à nobis, diuinum auxilium ſine dubio requirat, etſi omnis humanarum origo diſciplinarum ad Deum referenda eſt, hominum tamen inuenta verè & ſunt, & dicuntur. At noſtra Theologia tametſi multos & varios

1. Petr. 2. habuit auctores tanquam Dei Opt. Max. librarios, aut, ſi mauis, interpretes: non ab his tamen, quorũ ille vſus eſt operâ, ſed ab ipſo Deo verè dicitur eſſe profecta. nam, vt qui Italicum aliquid Italici ſermonis ignaris declarare volunt, adhibent interpretem, qui quæ Italicè acceperit, aliis ipſorum linguâ fideliter enũtiet: ſic optimus ille rerum parẽs, & rector cùm multa nos docere vellet, quæ per nos ipſi nunquã animo peruestigare poſſemus; neque diuinas eius patefactiones, cœleſtem quendam videlicet peregrinumq; ſermonem caperemus: paucorum mentes ad illas arcanas ſignificationes accipiendas excitauit, vt per eos nobiſcum, *Chryſoſt.* non aliter atque cum Gallis, vel Germanis *in Geneſ.* Italus colloqueretur. Moſes ille iudex He- *hom. 2. 3.* bræi populi & legiſlator, quidam interpres *4 Auguſ.* erat Dei. Ieſus eiuſdem gentis imperator, *12. cõfeſſ.* interpres erat Dei. Samuel, Dauid, Salomõ, *ca. 30. 31.* Eſdras, ceteríque librorum veteris Teſta- *42.* menti ſcriptores, interpretes erant Dei. denique Apoſtoli & Euangeliſtæ ſiue quid literis mandabant, ſiue præſentes voce conſtituebât, quod à Chriſto accepiſſent, nihil erât aliud, niſi Dei quidã interpretes & adminiſtri, quidquid illi vel voce, vel ſcripto præcipiebât, non ipſi præcipere putabâtur, ſed qui per eos cum hominibus loquebatur

Deus. Perquàm ſcitũ illud eſt, quod in concione quadã ſcriptum reliquit ille Ioannes, qui cognomen ab aureo genere orationis inuenit, ſacros libros veluti epiſtolas eſſe quaſdam ad homines miſſas à Deo: eorum autẽ librorum ſcriptores eſſe, quaſi pueros & tabellarios diuinos, vt non magis eorũ, quæ ſacris literis continentur, auctores putandi ſint, qui ſcripſerunt, quàm epiſtolarũ illi, qui reddunt. Deus, patres ampliſſimi, Deus eſt Theologiæ noſtræ princeps & parens, ille generis humani magiſtrum ſe eſſe profeſſus, quæ vel ad alios informãdos neceſſaria, vel vtilia fore viderentur, paucis, quos tãquam ad manum ſibi habuit, occulto quodã admirabiliq; modo dictauit. horum monumenta qui contemnunt, non hominũ ſcripta cõtemnunt, ſed tacitam Dei, qui fuit ipſis auctor ſcribendi, vocem. quid enim quondam philoſophi non tentarunt, immò quid non fecerunt ad hanc cœleſtẽ philoſophiam extinguendam? quàm multa Celſus ex illo, teterrimo pectore effudit? quàm multa Porphyrius non tam doctrinâ, quàm pecuniis abundãs euomuit? quã multa Iulianus ille transfuga leuiſſimus non modò ſcripſit, vt philoſophus, verùm etiam inſtituit & edixit, vt imperator? quâ calliditate maiores noſtros literis etiam, & do-

Chryſoſt. hom. 2. in Geneſ.

ctrina liberali priuauit; futurum ſperans, vt ſenſim omnis Chriſtiana philoſophia ex hominum mentibus penitus obliuione deleretur? quàm ſæpe alij elati ſapientiæ opinione cum noſtris in contentionem venerunt atque certamen, ſi fortè ſuis diſputationibus hanc diuinitus nobis donatam ſapientiam ex hominum animis exſtirpare poſſent? Hæretici verò, quàm multa moliti ſunt ad eandē euertendā: quæ machinę, quę ſupplicia, qui cruciatus, quod indignæ necis gen⁹, à quo tēpore Nero primus in noſtros impium & nefarium gladiū diſtrinxit vſq; ad Conſtantinum Magnū, & ab illo rurſus vſque ad noſtrā ætatem (modò Arianis, modò Saracenis, modò aliis in miſera innocentium cæde bacchantibus) non in eorum corporibus, qui ſtabant à veritate, conſumptum eſt: omnia conſpirarunt, quæ valerent ad quamuis diſciplinam opprimendam: doctrina, diuitiæ, nobilitas, multitudo, vis: tamen & philoſophos inſolentes & arrogantes, non ſolùm noſtri doctores, ſed etiā homines indocti puellæque ſuperarunt, & diuites ęgētib. nobiles obſcuris, paucis multi ceſſerūt: & imbecillarum mulierū nuda corpora firmiora fuerunt ad ferendū, quàm valentiſſimorum lictorum armatæ manus ad cruciandum, quàm multa genera philo

lo

loſophorum intra paucos annos, aliorum contrà ſentientium diſputationibus ita fracta & extincta ſunt, vt eorum nunc memoriam propè nullam teneamus? quamdiu Ariſtotelis doctrina iacuit in tenebris abdita atque retruſa, cũ Platonis Philoſophia maximè vigeret? contrà nunc Ariſtotele florẽte, vt contemnitur, vt ignoratur, vt reiicitur à philoſophis ipſis & exploditur Ariſtotelis magiſter Plato? vix ille vir tantus in officinis rhetorum locum aliquem tenet. At noſtra Theologia cœleſtis, ex illis anguſtiis Hebrææ gentis, poſt Chriſti mortem ſalutarem educta, quò vehementiùs multorum & vocibus, & literis, & armis oppugnabatur, eò longiùs latiúſque ſpargebatur & diſſeminabatur, in omnes terras atque maria, & ipſa dimicatione corroborata magis, illuſtrior ad nos vſq; permanauit. ex quo profectò perſpicitur, quis diuinæ ſapiẽtiæ fuerit auctor & princeps, cùm eius vim nõ inſolentia philoſophorum, non rerum copiæ, non generis claritas, nõ tot ciuitatum opes, non imperatorum crudelitas potuerit ſuſtinere. Quæ cùm ita ſint, quantum homines ab illa præſtante æternáque natura diſtant; tantum certè eſt, inter hoc verè cœleſte Theologiæ noſtræ donum, & omnia hominum inuenta diſcrimen. De auctore dixi,

patres ampliſſimi: reliqua eſt ratio ipſa formáque doctrinæ, quam ego mihi extremo loco propoſueram, cùm eſſem de eius dignitate dicturus, quâ & ſententiarum varietate, & naturalis habitus integritate, & cum eorum qui inſtituuntur ingeniis conuenientia, omnium diſciplinarum formis antecellit. etenim illæ ſic traduntur, vt iiſdem verbis plus vno ſignificare non poſſint. at hæc diuino munere nobis conceſſa doctrina, vno eodémque genere ſermonis, & rem geſtam exponit, & myſteria cœleſtia ſubtili magis & arcanâ ſignificatione demonſtrat. in illis verba ſola tum propria, tū tranſlata ſignificant: in hac verò diſciplina planè cœleſti non verba modò, verùm etiā res ipſæ, quæ ſignificantur aliquid deſignat. Illud eſt diuinæ ſapientiæ cum omnibus facultatibus, & artibus, & ſcientiis commune: hoc quantumcunque demum eſt, totum eſt propriū ipſius. nihil ſibi ex iſta laude Grāmaticorum exquiſitæ reconditæque literæ, nihil argutiæ dialecticorum, nihil oratorū ille apparatus & quaſi pompa decerpit. quin etiam illa ipſa philoſophia, quæ rerum tum humanarum, tum diuinarum cognitionem, & cauſarum, quibus eæ continentur, traditu ram ſe eſſe profitetur, nomine quidem verecunda & modeſta, re autem arrogans &

Greg. 10. mor. init. S. Thom. 1 p. q. 1. art. 10.

impudens & proterua, nullam ſibi partem iſtius poſſeſſionis, ne defringendo quidem ſurculo, vſurpat, diuinæ ſapientiæ de iure cedit, quidquid dignitatis & ornamenti in hac tam multiplici optimarum artium varietate poſitum eſt, id totum huius vnius doctrinæ proprium eſſe confitetur. Poſſunt quidem homines, qui ſine dubio ceterarum diſciplinarum conditores & amplificatores exſtiterunt, veteres verborum ſignificationes abrogare, inſtituere & promulgare nouas: arbitrióque ſuo verba fabricare, quibus id ſignificetur quod ipſi velint. poſſunt res iam antè factas ad alias declarandas accommodare: licet non ideò factæ fuerint, vt eas ſignificarent, vt, ſi quis ea, quæ in aliquo prælio contigerunt, transferat ad ea demonſtranda, quæ nobis in hoc bello vitiorum atque virtutum efficienda ſunt ad vincendum. poſſunt aliquid facere, quod ipſum, dum fiat, aliud declaret, vt ille fecit, qui filio, ſummis papauerum capitibus baculo decuſſis, Gabinæ ciuitatis principes aliquâ arte opprimendos indicauit. fingere denique multa poſſunt tùm narrando, tum deſcribendo, vt in poëtarum fabulis fieri videmus. omnia verò, quæ geſta ſint aliquando, ad alia declaranda narrare ac docere, vt non ſolùm dum narrantur, myſticas

Tarq. ſuperb. apud Liu. 1. ab vrb. con.

habeant ſignificationes, ſed etiam tum cùm gererentur, aliud aliquid notarent, hoc nullius hominis eſt, hoc ſolius Dei eſt. quo auctore noſtra ſapientia iure gloriatur. quare in ſcriptis hominũ, cuius illa modi ſint, vbi ſententiam eam, quæ vi verborum cõtinetur, cogitatione comprehenderis, nihil habes amplius, quod requiras, niſi ſi quid aliquando fortè ſit factum, aut à poëtis ingenioſè fabricatum alicuius rei indicandæ cauſsâ, vt de papaueribus modò dicebamus, & in poëtarum fabulis explicandis viri grauiſſimi fecerunt. S. Auguſtinus fieri poſſe negauit. quanquam in hiſtoria virtutum exempla proponuntur quæ ſequamur, vitiorum quæ vitemus. & ex rebus in bello geſtis aliqua ſimilitudo peti poteſt, ad hanc vitæ Chriſtianæ militiam ſalutaribus præceptis inſtruendã. atque hæc multò maxima vtilitas hiſtoriæ iure cẽſetur: tamen quæ commemorantur ſic interpretari, vt Pompeio Chriſtum, Cæſare malum dæmonem ſignificari dicas, & huiuſmodi portẽta longã & aſſiduã commemoratione nõ excogitare ſolùm, ſed etiam mandare literis, edere, peruulgare, vt neſcio quis aliquando fecit, hominis eſt, ſi quidem ſentit quantam maculam ſuſcipiat, exiſtimationem ſuà contemnẽtis, ſin autem non intelligit

Mac. ſom. Scip. & in Saturn.

Proculus in remp. Plat.

3. de doct. Chriſt. c. 7.

Geſta Romanorum mortalizata.

ligit quantum flagitium admittat, vel ſtupidi, vel amentis. fabulas autem vel pueriliter & ineptè ſine cauſſa vel ad id tantùm quod accidiſſet, aut in natura poſitum eſſet cum voluptate declarandum fictas ab antiquis ad noſtram religionẽ traducere conari, Ianumque bifrontem, aut tergeminã Hecaten, aut Cerberum tricipitem, aut tres Parcas, aut totidem Gorgonas, aut tridentẽ Neptuni, aut triſulcum Iouis fulmen, aut clauam Herculis trinodem cum Deo, trino & vno comparare, ceteraque inania mõſtra priſcorum, vt nõ modo ex profanis, verùm etiam ex impiis non nemo tentauit: quid quęſo aliud eſt, patres ampliſſimi, niſi gemmas clariſſimas lutulentis conculcare pedibus, & ſplendorem diuinarum rerum impuriſſimorum hominum ſordibus obſcurare? At in literis diuinis cognitâ vi & ſignificatione verborum, ſiue ſuam quodque ſedem obtineat, ſiue non impudenter migrarit in alienam; quæ prò Deum immortalem! ex rerum ſignificatione ſubtilitas, quæ diuinitas ad cogitandum, quanta copia, quàm grata & iucunda varietas ad dicendũ oſtenditur? Illæ veteris legis ceremoniæ vmbram quandam habebant veritatis, & quaſi notæ quædam erant atq; ſigna eorum, quæ expectabantur: quàm multa hinc, quàm

nouæ ſententiæ, quàm admirabiles exiſtūt, quantus vtriuſque Teſtamenti & veteris & noui quaſi concentus reperitur? Res à Chriſto geſtæ, præſertim in ſanandis corporum morbis, quid nobis faciendum ſit in animis curandis oſtendunt: quanta ſentētiarum ex hoc vno fonte vis, quam copioſum orationis flumen erumpit ad conformandos hominum mores, ad vitam inſtituendam, ad monendum, ad cohortandum? Quæ illuſtribus quondam viris vnius Dei cultoribus tum veteri lege, tum ante legem latam naturæ præſcripto bene beatéque viuentibus acciderunt, liberatoris noſtri facta ac diſcipulorum, ſolēnes Eccleſiæ ritus cæremoniæq; ſacræ quandam imaginem illius hierarchiæ cœleſtis habent & diuinæ vitæ quá ſperamus: quàm immenſus campus aperitur? quàm infinita ſylua proponitur & ad commentandum & ad loquendum? quàm abſtruſæ ſententiæ quàm graues ad erigēdā ſpem ſuppeditantur? Teſtes ſunt libri virorum & ſapientiæ & vitę laude præſtantiū; qui profectò neque vbertatem, neque grauitatem, neque varietatem tantam haberent, niſi illi à quibus conſcripti ſunt omnes literas diuinas explanandi vias incredibili ſtudio fuiſſent, curâ, diligentiâ perſecuti. teſtis vna. S. Pauli epiſtola ſcripta ad

He

Hebræos, in qua mirandum in modũ elucet veterum cæremoniarum explicatio,cõueniens Eccleſiæ moribus & inſtitutis. teſtes reliquæ tum eiuſdem, tum aliorum Apoſtolorũ literæ diuinæ,quæ hac tam multiplici veterum Prophetarum ſcripta interpretandi ratione dici non poteſt quantâ ſint & copiâ refertæ, & varietate diſtinctæ, neque verò tam diuerſæ interpretandi rationes quidquam habent ſimile illis ineptiis; Pompeio Chriſtus, Cæſare dæmon improbus deſignatur.quorum nihil,neque qui res geſſerunt, neque qui narrarunt, aliquando cogitarãt: ſed omnia,quæ humana mẽs verè & aptè excogitare poteſt in illis generibus explicandi,& multò etiam plura quàm quiſquã aſſequi cogitando poſſit, declarare nobis ille voluit,à quo omnis noſtra philoſophia manauit Deus.neq; vna ſententia altari ex diſſimili genere aduerſa eſt, vel aliâ quauis ratione obſiſtit: verùm omnes ab vna, quæ vi & genere verborum cõficitur, velut à capite ortæ, mirâ quadam inter ſe conſenſione & ſocietate conſpirãt.Illa ſi S. Gregorio credimus, tãquam facies diuinarum literarum eſt, mens ipſa intus penitus incluſa latet. qui verba ſolummodò vidit quam vim habeant, is diuinam ſapientiam veluti de facie tantum nouit:mẽtem ipſam
4, *Mor. c.* 1.

ocultoſq; ſenſus ille perſpicit, qui aſſiduo vſu poteſt ab aliis, quæ verbis cõcluſa ſunt, ad quæ rerum ſignificatione ducimur. animo peruenire veriſſimè idem ille ſcriptum fecit; quantò quiſq; magis in verbis atq; in literis diuinorum librorum hæreat, tantò eum ab illorum intelligentia longiùs abeſſe: quantò igitur ipſa forma ſermonis hæc præſtat omnibus diſciplinis ac ſcientiis humanis? cùm illę vno ſint interpretãdi genere cõtentæ, hæc quatuor tam inter ſe diſſimiles ac diſpares rationes accipiat explanãdi? non dubito patres ampliſſimi, quin hãc tãtam varietatem cùm ad cogitãdum vbertem, cum ad ornandum amplam atque magnificam eſſe iudicetis. Verùm non ſatis habuit Deus Opt. Max. diuerſis generibus ſignificandi multiplices declarare ſententias, niſi vno illo & eodẽ genere, quod verbis propriis trãſlatiſq; conſiſtit, mirã quãdam oſtẽtaret diſſimilitudinem & copiam, ſoláque verborũ ſignificatione multas nobis & valde diſiunctas ſentẽtias explicaret. nam inuẽtores & principes cõmunium artium (homines nimirum erant) quod ipſis venerat in mentem, id videbant, quid aliis eadem de re cogitantibus, conſequentibus annis occurſurum eſſet, non videbant: cùm tamen alia permulta verè & cogitari & di-

Aug. 12. *confeſ. ca.* 31. 32. & 33. *de do. Chriſt. ca.* 2 & 27.

ci poſſent. itaque dederunt operam, vt quã-cunque complexi eſſent mente ſententiam, eam ſic verbis exprimerent, vt aliò ſcripti ſignificationem trahere non liceret. quod ſi quando parum diligenter aut verbi aut ſermonis ambiguitatem declinarũt, vt duæ pluréſve ſententiæ accipi poſſunt, vna eſt tamen quæ in eorum animis inſidebat, quam nobis oratione aperire voluerunt; ceteræ quamuis veræ, quamuis vtiles, quamuis neceſſariæ ab illorum mentibus & voluntatibus erãt prorſus alienæ. At verò Deus, cui nihil eſt præteritum, nihil inſtans, qui omnia, & quæ fuerunt, & quæ futura ſunt, non aliter ac præſentia contuetur, cùm ſacros libros, quos habemus, ipſe dictaret; quæcunque ſententiæ, legẽtibus & de rebus eiſdem cogitantibus, munere vnquam ipſius atque dono in mentem erant venturæ, eas perinde cernebat, quaſi occurriſſent. Quocirca manus eorum & ſermonem, quos tanquam librarios & interpretes ex tanta hominum multitudine ſibi delegerat, ita mirabiliter temperauit, vt eodẽ genere verborum omnes illæ ſententiæ comprehenderẽtur, ſiue hoc etiam diuino beneficio illi ipſi viderint qui ſcribebant, ſiue vnam tantùm ſententiam illi cognorint, ceteras ignorarint. Ac debet illa quidem potior videri, quam illi

cogitarunt, qui ſcripſerunt? ſed cùm auctor præcipuus hui⁹ philoſophiæ cęleſtis omnes iam antè viderit, & nullam nō intelligi voluerit à nobis; nulla reiicienda eſt, quæ neque cum fide, neq; cum veritate pugnet, & cum antecedentibus, & conſequētibus ſententiis aptè cohæreat, ſiue aliis diuinarū literarum locis, ſiue cōiecturis tantummodò veriſimilibus comprobetur, ſi præſertim ſacrorum interpretum accedat auctoritas. At enim hæc ſententiarum ex eodem genere orta varietas, perturbationem magnam affert, nullam omninò intelligenti. quid ita? quia omnes ab errore, quàm longiſſimè abſunt, cum domina rerum veritate mire conſentiunt; ſi qua verò cum falſitate coniuncta eſt, illa reiicitur, & exſibilatur quo mirabilior ac diuinior nobis doctrinæ cœleſtis forma & ſpecies videri debet, quę ſine confuſione aliqua, vnâ & eâdem quæ facie verborum, tantam ſenſuum varietatem & tam multiplicem tegat.

Aug. 3. de doct. Chr. c. 2. & 27

Aliæ quatuor reliquæ orationes, quas eadem de re Perpinianus pollicetur, deſiderantur.

PETRI

PETRI IOANNIS
PERPINIANI

AD CAROLVM BORROmæum S.R.E. Cardinalem ampliſſimum, & Franciſcum Vargam regis Philippi legatum.

ORATIO VIII.

CN. ille Pompeius, Cardinalis ampliſſime & ſapientiſſime Legate, qui victor de tribus orbis terræ partibus, tres inſignes triumphos reportauit, & ob magnitudinem rerum geſtarum Alexandro Macedoni, cui bellorũ gloria Magni cognomẽ in perpetuũ confirmarat, primùm prærogatiua militari, deinde ſuffragio totius ciuitatis & publicâ omnium gentium confeſſione fuit æquatus, cùm ex Aſia decederet, victis potentiſſimis regibus, domitis quãplurimis & bellicoſiſſimis nationibus, tot vrbium copiis, tot populorũ prædâ, tot regnorum ſpoliis ornatus, veniſſe Rhodũ, & in illa vrbe clariſſima, cùm gloriâ nauali, tum optimarũ artium ſtudiis, & ſummis hominum ingeniis florente, dies aliquot fuiſſe dicitur commoratus. videbitur hoc

Plutarch. in eius vita.

incredibile fortaſſe, quod dicã, ſed ita rem geſtam eſſe antiquiſſima literarum monumenta teſtantur, neque mihi pro cetera pręſtãtis imperatoris facilitate & humanitate, magnoperè videtur eſſe mirandum. adiit omnia gymnaſia, & ſapientium virorum quaſdam velut humanitatis officinas: omnes liberalium artium doctôres, de ſuis quę que rebus differentes, & amicè, & diligenter audiuit: talentum vnicuique dari iuſſit vt quorum diſputationes, præſentiâ ſuâ & nomine iam antè decoraſſet, eorum tenuitatem & inopiam ſuis copiis ſubleuaret, eſſetquè munus illud tanquã pignus quoddam ſuæ perpetuæ erga doctos homines volũtatis. Magna profectò res, magna laus, ſed illa maior, quod cùm Athenas perueniſſet in vrbe principe Græciæ totius, parente humanitatis, vitæque magiſtrâ, eundem aduerſus doctrinam animum & amorẽ ſuum declarauit: illa verò longè maxima, quòd imperij maieſtati, & gloriæ rerũ à ſe geſtarum armis antepoſuit, ſapientię dignitatem. Nam cùm de Africa, & Hiſpania priùs triumphaſſet, quàm per ætatem ei, vel in ſenatum legi, vel magiſtratum vllum capere liceret, ad tertium triumphum de tertia terrarum parte decedens, & Poſidonium philoſophum inuiſens, vetuit ille à licto

lictoribus pulſari Muſarum fores, cuius armis & victoriâ fuerat legionibus Romanis Aſia propè tota patefacta, & vnius hominis priuati ianuæ ſubmitti iuſſit laureatos illos faſces, quorum nudorum vim non Mithridates, non Tigranes, non alij opulenti reges, non tot ignotæ anteà Romanis, barbaræque gentes, non tanta orbis terræ portio, à Mæotico lacu vſque ad Erythræum mare potuerat vel viribus, vel animo ſuſtinere. Pro Deus immortalis! quem ille Poſidonio, quem ipſi ſapientiæ honorem habuiſſet, ſi quam eius formam & ſpeciem videre potuiſſet, qui foribus ipſis, & limini tam inornato, tantum iudicarit eſſe tribuendum? præclara hæc certè, præclara & eximia videri neceſſe eſt. Sed ego tum humilitatem noſtram, tum magnitudinem veſtram intuens, neſcio quid maius & incredibilius de hoc aduentu tam inopinato, mente concepi. Nam Pompeius etſi tantum doctrinæ tribuit, quantum nemo vnquam fuiſſet auſus optare: tamen non tam forte ductus amore ſapientiæ, quàm gratiam popularem aucupans, illa fecit, vt tantò maiori in pretio ipſe haberetur, quantò pluris facere putaretur omnem humanitatem atque doctrinam; aut ſi bonarum diſciplinarum ſtudio fecit, erat in illis tamen, quos inuiſe-

habeant ſignificationes, ſed etiam tum cùm gererentur, aliud aliquid notarent, hoc nullius hominis eſt, hoc ſolius Dei eſt quo auctore noſtra ſapientia iure gloriatur. quare in ſcriptis hominũ, cuius illa modi ſint, vbi ſententiam eam, quæ vi verborum cõtinetur, cogitatione comprehenderis, nihil habes amplius, quod requiras, niſi ſi quid aliquando fortè ſit factum, aut à poëtis ingenioſè fabricatum alicuius rei indicandæ cauſsâ, vt de papaueribus modò dicebamus, & in poëtarum fabulis explicandis viri grauiſſimi fecerunt. S. Auguſtinus fieri poſſe negauit. quanquam in hiſtoria virtutum exempla proponuntur quæ ſequamur, vitiorum quæ vitemus. & ex rebus in bello geſtis aliqua ſimilitudo peti poteſt, ad hanc vitæ Chriſtianæ militiam ſalutaribus præceptis inſtruendã. atque hæc multò maxima vtilitas hiſtoriæ iure cẽſetur: tamen quæ commemorantur ſic interpretari, vt Pompeio Chriſtum, Cæſare malum dæmonem ſignificari dicas, & huiuſmodi portẽta longã & aſſiduã commemoratione nõ excogitare ſolùm, ſed etiam mandare literis, edere, peruulgare, vt neſcio quis aliquando fecit, hominis eſt, ſi quidem ſentit quantam maculam ſuſcipiat, exiſtimationem ſuã contemnẽtis, ſin autem non intelligit:

Mac. ſom. Scip. & in Saturn.

Proculus in remp. Plat.

3. de doct. Chriſt. c. 7.

Geſta Romanorum moraliZata.

ligit quantum flagitium admittat, vel ſtupidi, vel amentis. fabulas autem vel pueriliter & ineptè ſine cauſſa vel ad id tantùm quod accidiſſet, aut in natura poſitum eſſet cum voluptate declarandum fictas ab antiquis ad noſtram religionē traducere conari, Ianumque bifrontem, aut tergeminā Hecaten, aut Cerberum tricipitem, aut tres Parcas, aut totidem Gorgonas, aut tridentē Neptuni, aut triſulcum Iouis fulmen, aut clauam Herculis trinodem cum Deo, trino & vno comparare, ceteraque inania mōſtra priſcorum, vt nō modo ex profanis, verùm etiam ex impiis non nemo tentauit: quid quęſo aliud eſt, patres ampliſſimi, niſi gemmas clariſſimas lutulentis conculcare pedibus, & ſplendorem diuinarum rerum impuriſſimorum hominum ſordibus obſcurare? At in literis diuinis cognitâ vi & ſignificatione verborum, ſiue ſuam quodque ſedem obtineat, ſiue non impudenter migrarit in alienam; quæ prò Deum immortalem! ex rerum ſignificatione ſubtilitas, quæ diuinitas ad cogitandum, quanta copia, quàm grata & iucunda varietas ad dicendū oſtenditur? Illæ veteris legis ceremoniæ vmbram quandam habebant veritatis, & quaſi notæ quædam erant atq; ſigna eorum, quæ expectabantur: quàm multa hinc, quam

nouæ ſententiæ, quàm admirabiles exiſtũt, quantus vtriuſque Teſtamenti & veteris & noui quaſi concentus reperitur? Res à Chriſto geſtæ, præſertim in ſanandis corporum morbis, quid nobis faciendum ſit in animis curandis oſtendunt: quanta ſentẽtiarum ex hoc vno fonte vis, quam copioſum orationis flumen erumpit ad conformandos hominum mores, ad vitam inſtituendam, ad monendum, ad cohortandum? Quæ illuſtribus quondam viris vnius Dei cultoribus tum veteri lege, tum ante legem latam naturæ præſcripto bene beatéque viuentibus acciderunt, liberatoris noſtri facta ac diſcipulorum, ſolẽnes Eccleſiæ ritus cæremoniæq́; ſacræ quandam imaginem illius hierarchiæ cœleſtis habent & diuinæ vitæ quã ſperamus: quàm immenſus campus aperitur? quàm infinita ſylua proponitur & ad commentandum & ad loquendum? quàm abſtruſæ ſententiæ quàm graues ad erigẽdã ſpem ſuppeditantur? Teſtes ſunt libri virorum & ſapientiæ & vitę laude præſtantiũ; qui profectò neque vbertatem, neque grauitatem, neque varietatem tantam haberent, niſi illi à quibus conſcripti ſunt omnes literas diuinas explanandi vias incredibili ſtudio fuiſſent, curâ, diligentiâ perſecuti. teſtis vna. S. Pauli epiſtola ſcripta ad

He

Hebræos, in qua mirandum in modũ elucet veterum cæremoniarum explicatio, cõueniens Eccleſiæ moribus & inſtitutis. teſtes reliquæ tum eiuſdem, tum aliorum Apoſtolorũ literæ diuinæ, quæ hac tam multiplici veterum Prophetarum ſcripta interpretandi ratione dici non poteſt quantâ ſint & copiâ refertæ, & varietate diſtinctæ, neque verò tam diuerſæ interpretandi rationes quidquam habent ſimile illis ineptiis; Pompeio Chriſtus, Cæſare dæmon improbus deſignatur. quorum nihil, neque qui res geſſerunt, neque qui narrarunt, aliquando cogitarãt: ſed omnia, quæ humana mẽs verè & aptè excogitare poteſt in illis generibus explicandi, & multò etiam plura quàm quiſquã aſſequi cogitando poſſit, declarare nobis ille voluit, à quo omnis noſtra philoſophia manauit Deus. neq; vna ſententia altari ex diſſimili genere aduerſa eſt, vel aliâ quauis ratione obſiſtit: verùm omnes ab vna, quæ vi & genere verborum cõficitur, velut à capite ortæ, mirâ quadam inter ſe conſenſione & ſocietate conſpirãt. Illa ſi S. Gregorio credimus, tãquam facies diuinarum literarum eſt, mens ipſa intus penitus incluſa latet. qui verba ſolummodò vidit quam vim habeant, is diuinam ſapientiam veluti de facie tantum nouit: mẽtem ipſam 4, Mor. c. 1.

occultoſq; ſenſus ille perſpicit, qui aſſiduo vſu poteſt ab aliis, quæ verbis cóclusa ſunt, ad quæ rerum ſignificatione ducimur. animo peruenire veriſſimè idem ille ſcriptum fecit; quantò quiſq; magis in verbis atq; in literis diuinorum librorum hæreat, tantò eum ab illorum intelligentia longiùs abeſſe: quantò igitur ipſa forma ſermonis hæc præſtat omnibus diſciplinis ac ſcientiis humanis? cùm illę vno ſint interpretãdi genere cõtentæ, hæc quatuor tam inter ſe diſſimiles ac diſpares rationes accipiat explanãdi? non dubito patres ampliſſimi, quin hãc tãtam varietatem cùm ad cogitãdum vbertem, cum ad ornandum amplam atque magnificam eſſe iudicetis. Verùm non ſatis habuit Deus Opt. Max. diuerſis generibus ſignificandi multiplices declarare ſententias, niſi vno illo & eodẽ genere, quod verbis propriis trãſlatiſq; conſiſtit, mirã quãdam oſtẽtaret diſſimilitudinem & copiam, ſolaque verborũ ſignificatione multas nobis & valde diſiunctas ſentẽtias explicaret. nam inuẽtores & principes cõmunium artium (homines nimirum erant) quod ipſis venerat in mentem, id videbant, quid aliis eadem de re cogitantibus, conſequentibus annis occurſurum eſſet, non videbant: cùm tamen alia permulta verè & cogitari & di-

Aug. 12. confeſ. ca. 31 32. & 33. de do. Chriſt. ca. 2 & 27.

ci poſſent. itaque dederunt operam, vt quãcunque complexi eſſent mente ſententiam, eam ſic verbis exprimerent, vt aliò ſcripti ſignificationem trahere non liceret. quod ſi quando parum diligenter aut verbi aut ſermonis ambiguitatem declinarũt, vt duæ pluréſve ſententiæ accipi poſſunt, vna eſt tamen quæ in eorum animis inſidebat, quam nobis oratione aperire voluerunt; ceteræ quamuis veræ, quamuis vtiles, quamuis neceſſariæ ab illorum mentibus & voluntatibus erãt prorſus alienæ. At verò Deus, cui nihil eſt præteritum, nihil inſtans, qui omnia, & quæ fuerunt, & quæ futura ſunt, non aliter ac præſentia contuetur, cùm ſacros libros, quos habemus, ipſe dictaret; quæcunque ſententiæ legẽtibus & de rebus eiſdem cogitantibus, munere vnquam ipſius atque dono in mentem erant venturæ, eas perinde cernebat, quaſi occurriſſent. Quocirca manus eorum & ſermonem, quos tanquam librarios & interpretes ex tanta hominum multitudine ſibi delegerat, ita mirabiliter temperauit, vt eodẽ genere verborum omnes illæ ſententiæ comprehenderẽtur, ſiue hoc etiam diuino beneficio illi ipſi viderint qui ſcribebant, ſiue vnam tantùm ſententiam illi cognorint, ceteras ignorarint. Ac debet illa, quidem potior videri, quam illi

cogitarunt, qui ſcripſerunt? ſed cùm auctor præcipuus hui⁹ philoſophiæ cęleſtis omnes iam antè viderit, & nullam nō intelligi voluerit à nobis; nulla reiicienda eſt, quæ neque cum fide, neq; cum veritate pugnet, & cum antecedentibus, & conſequētibus ſententiis aptè cohæreat, ſiue aliis diuinarū literarum locis, ſiue cōiecturis tantummodò veriſimilibus comprobetur, ſi præſertim ſacrorum interpretum accedat auctoritas. At enim hæc ſententiarum ex eodem genere orta varietas, perturbationem magnam affert, nullam omninò intelligenti. quid ita? quia omnes ab errore, quàm longiſſimè abſunt, cum domina rerum veritate mire conſentiunt; ſi qua verò cum falſitate coniuncta eſt, illa reiicitur, & exſibilatur quo mirabilior ac diuinior nobis doctrinæ cœleſtis forma & ſpecies videri debet, quę ſine confuſione aliqua, vnâ & eâdem quæ facie verborum, tantam ſenſuum varietatem & tam multiplicem tegat.

Aug. 3. de doct. Chr. c. 2. & 27

Alia quatuor reliqua orationes, quas eadem de re Perpinianus pollicetur, deſiderantur.

PETRI

PETRI IOANNIS PERPINIANI

AD CAROLVM BORROmaum S.R.E.Cardinalem ampliſſimum, & Franciſcum Vargam regis Philippi legatum.

ORATIO VIII.

CN. ille Pompeius, Cardinalis ampliſſime & ſapientiſſime Legate, qui victor de tribus orbis terræ partibus, tres inſignes triumphos reportauit, & ob magnitudinem rerum geſtarum Alexandro Macedoni,cui bellorũ gloria Magni cognomẽ in perpetuũ confirmarat, primùm prærogatiua militari, deinde ſuffragio totius ciuitatis & publicâ omnium gentium confeſſione fuit æquatus, cùm ex Aſia decederet, victis potentiſſimis regibus, domitis quãplurimis & bellicoſiſſimis nationibus, tot vrbium copiis,tot populorũ prædâ, tot regnorum ſpoliis ornatus, veniſſe Rhodũ, & in illa vrbe clariſſima, cùm gloriâ naua-li,tum optimarũ artium ſtudiis, & ſummis hominum ingeniis florente, dies aliquot fuiſſe dicitur commoratus. videbitur hoc *Plutarch. in eius vita.*

lictoribus pulſari Muſarum fores, cuius armis & victoriâ fuerat legionibus Romanis Aſia propè tota patefacta, & vnius hominis priuati ianuæ ſubmitti iuſſit laureatos illos faſces, quorum nudorum vim non Mithridates, non Tigranes, non alij opulenti reges, non tot ignotæ anteà Romanis, barbaræque gentes, non tanta orbis terræ portio à Mæotico lacu vſque ad Erythræum mare potuerat vel viribus, vel animo ſuſtinere. Pro Deus immortalis! quem ille Poſidonio, quem ipſi ſapientiæ honorem habuiſſet, ſi quam eius formam & ſpeciem videre potuiſſet, qui foribus ipſis, & limini tam inornato, tantum iudicarit eſſe tribuendum? præclara hæc certè, præclara & eximia videri neceſſe eſt. Sed ego tum humilitatem noſtram, tum magnitudinem veſtram intuens, neſcio quid maius & incredibilius de hoc aduentu tam inopinato, mente concepi. Nam Pompeius etſi tantum doctrinæ tribuit, quantum nemo vnquam fuiſſet auſus optare: tamen non tam forte ductus amore ſapientiæ, quàm gratiam popularem aucupans, illà fecit, vt tantò maiori in pretio ipſe haberetur, quantò pluris facere putaretur omnem humanitatem atque doctrinam; aut ſi bonarum diſciplinarum ſtudio fecit, erat in illis tamen, quos inuiſe-

bat, quod meritò poſſet amare: erat multiplex & varia cognitio rerum ac ſciētia: erat verborum & ſententiarum flumen, & melle ipſo dulcior oratio: erat denique philoſophica greuitas, nomen, auctoritas; vt non tam mirandum ſit, ad illos adiiſſe ſummum imperatorem, quam non aut cum illis poſteà perpetuò vixiſſe, aut ſecum illos abduxiſſe Romam. talenta verò & ſubmiſſi faſces quid habent admirationis, cùm tantò plus ille vno impetu cepiſſet, quàm quantum diſtribui potuit in omnes philoſophiæ magiſtros? & ſæpe accidat, vt qui facilè aliis de honore cōcedunt, in eo ipſo vel maximè gloriolam popularem quærant. At verò hic veſter aduentus mihi iure videtur eſſe mirandus. non enim popularem auram captātes, non aliquod fragile falſæ gloriæ choragium comparare ſtudentes, hoc tam anguſtum, tamque humile tectum ſubiiſtis: non doctrinæ varietas ad cognitionem, nō eloquentiæ iucūditas ad delectationem inuitauit, quæ in nobis equidem ſentio quàm ſint exigua: non denique noſtra promerita, nō dignitas, quæ nulla eſt, impulit, vt ſcholam noſtrā præſentiæ veſtræ luce decoraretis) ſed vnus religionis amor atque doctrinæ, & illa beneuolentia ſingularis, quā pro veſtra bonitate habetis aduerſus om-

nes

nes publicę ſalutis amatores, fecit, vt veſtræ dignitatis pauliſper obliti, ad eos cohoneſtādos veniretis, quos exiſtimaretis, & religioni pro ſua virili parte dare operam, & ad publicum bonum conſeruandum & augendum, nonuullam curam induſtriamque cōferre; neque verò talenta, neque argenti; & auri pondera viritim diuiſiſtis; ſed veſtros animos, veſtras volūtates. vos denique ipſos nobis totos tradidiſtis; quo munere nullum fuit à vobis neq; maius, neque gratius, neque mirabilius expectandum. neque fores pulſare vetuiſtis; aut imperaſtis iannæ noſtræ ſubmitti faſces: ſed cùm ſplēdor veſter ex multis variiſque bonis effulgens, non ſecus atque lumen Solis, omnium oculos mētesque perſtringeret, obtexiſtis vos eū humanitatis veſtræ quaſi nube, vt acies noſtra ferre poſſet: & cùm amplitudinem veſtræ dignitatis vix Roma ipſa capiat, cōtraxiſtis vos beneuolentiæ cauſſâ vim illā ornamētorum, iure vobis conceſſam & traditam, vt his parietum & tectorum anguſtiis cōcluderetur. O commemorabilem humanitatē! ô facilitatem morum memoriæ ſuperiori nouam, nobis omnibus iucundam, poſteritati prædicandam! Te videmus, Cardinalis ampliſſime, antiquâ & generoſâ ſtirpe ortū lectū in ampliſſimū ordinē purpuratorū,

patrum,& in hac arce omnium gentiũ collocatũ, Pontifici Maximo cognatione proximum, poteſtate ſecundũ, tam multis virtutibus, vel comitatis in hominibus admittendis; vel prudentiæ in cognoſcendis & conſtituendis eorum rebus; vel clementiæ in tuenda ſexus & ætatis imbecillitate; vel manſuetudinis & patientiæ, in multorum importunitate perferenda, vel in victu continentiæ, vel integritatis in omni vita, vel pietatis in colendo Deo, vel ſtudij in defendendis & amplificandis ſapientibus, vel ardoris in diſputationibus de rebus maximis audiendis, vel aliis omnium generum infinitis ſic adornatum, vt ætas iſta nondum ſuâ maturitate perfecta, magnum lumen attulerit maiorum tuorum ſingularibus ornamentis: in his verò tantis naturæ bonis, in tanta abundantia fortunæ, in tanta induſtriæ gloria non deſpexiſſe tenuitatem Societatis noſtræ: non horruiſſe liminis ipſius humilitatem: non reformidaſſe cùm gymnaſij totius, tum ſingularum exedrarum anguſtias, nõ hunc puluerem & autumnalem Solem, præter conſuetudinem ardentem refugiſſe, & hanc tam breuem & tam exiguam palæſtram, iuuentutis non corporibus, ſed ingeniis exercẽdis dedicatam: hanc egeſtatis & inopiæ nudam, & ab omnibus

propè

propè derelictam ſedem, ſatis amplum eſſe putauiſſe domicilium dignitatis tuæ. Perſpeximus anteà multis in rebus animum erga nos,& voluntatem tuam,nunc te præſentem intuemur: os,oculos, mentem denique totam; ac ſenſus ipſos cernimus, vt hos noſtros ſanè reipubl.nō inutiles conatus, cùm plurimum poſſis, quantum poſſis tamen, iuuare velis. Tu verò ſapientiſſime Legate, cuius cùm in ceteris vitæ partibus, tum in hac legatione fungendâ, plurimarū virtutum inſignia,iam inde vſque à Carolo Cæſare cognita, verbis aſſequi me poſſe diffido, cùm primùm hoc limen attigiſti, omnē potentiſſimi regis,cuius tu perſonam in hac vrbe geris,vim,poteſtatem,maieſtatem, in vnam paruam domum conieciſti: quod cùm vel ſemel, vel nunquam etiam feciſſe meritis noſtris ſatis eſſet, amori tamen erga nos tuo ne bis quidē, vt arbitror, erit ſatis. Pro hoc tam ſingulari beneficio parē vobis gratiā negarem à nobis referri poſſe,niſi princeps Romanæ copiæ ſapienter dixiſſet,hanc eſſe gratiæ naturā,vt eam, & qui habeat retuliſſe,& qui retulerit,habere videatur. Ergo certè nomine omniū qui & hic viuunt, & qui hanc non magnam illam quidē, ſed veſtri tamē amantiſſimā bonarum artium domum frequentare ſolent,

tantas

ocultoſq; ſenſus ille perſpicit, qui aſſiduo vſu poteſt ab aliis, quæ verbis cōcluſa ſunt, ad quæ rerum ſignificatione ducimur. animo peruenire veriſſimè idem ille ſcriptum fecit; quantò quiſq; magis in verbis atq; in literis diuinorum librorum hæreat, tantò eum ab illorum intelligentia longiùs abeſſe: quantò igitur ipſa forma ſermonis hæc præſtat omnibus diſciplinis ac ſcientiis humanis? cùm illę vno ſint interpretādi genere cōtentæ, hæc quatuor tam inter ſe diſſimiles ac diſpares rationes accipiat explanādi? non dubito patres ampliſſimi, quin hāc tātam varietatem cùm ad cogitādum vberem, cum ad ornandum amplam atque magnificam eſſe iudicetis. Verùm non ſatis habuit Deus Opt. Max. diuerſis generibus ſignificandi multiplices declarare ſententias, niſi vno illo & eodē genere, quod verbis propriis trāſlatiſq; conſiſtit, mirā quādam oſtētaret diſſimilitudinem & copiam, ſoláque verborū ſignificatione multas nobis & valde diſiunctas ſentētias explicaret.
Aug. 12. *confeſ. ca.* 31. 32. & 33. *de do. Chriſt. ca.* 2 & 27. nam inuētores & principes cōmunium artium (homines nimirum erant) quod ipſis venerat in mentem, id videbant, quid aliis eadem de re cogitantibus, conſequentibus annis occurſurum eſſet, non videbant: cùm tamen alia permulta verè & cogitari & di-

ci poſſent. itaque dederunt operam, vt quãcunque complexi eſſent mente ſententiam, eam ſic verbis exprimerent, vt aliò ſcripti ſignificationem trahere non liceret. quod ſi quando parum diligenter aut verbi aut ſermonis ambiguitatem declinarũt, vt duæ pluréſve ſententiæ accipi poſſunt, vna eſt tamen quæ in eorum animis inſidebat, quam nobis oratione aperire voluerunt; ceteræ quamuis veræ, quamuis vtiles, quamuis neceſſariæ ab illorum mentibus & voluntatibus erãt prorſus alienæ. At verò Deus, cui nihil eſt præteritum, nihil inſtans, qui omnia, & quæ fuerunt, & quæ futura ſunt, non aliter ac præſentia contuetur, cùm ſacros libros, quos habemus, ipſe dictaret; quæcunque ſententiæ legẽtibus & de rebus eiſdem cogitantibus, munere vnquam ipſius atque dono in mentem erant venturæ, eas perinde cernebat, quaſi occurriſſent. Quocirca manus eorum & ſermonem, quos tanquam librarios & interpretes ex tanta hominum multitudine ſibi delegerat, ita mirabiliter temperauit, vt eodẽ genere verborum omnes illæ ſententiæ comprehenderẽtur, ſiue hoc etiam diuino beneficio illi ipſi viderint qui ſcribebant, ſiue vnam tantùm ſententiam illi cognorint, ceteras ignorarint. Ac debet illa, quidem potior videri, quam illi

cogitarunt, qui ſcripſerunt? ſed cùm auctor præcipuus hui⁹ philoſophiæ cęleſtis omnes iam antè viderit, & nullam nō intelligi voluerit à nobis; nulla reiicienda eſt, quæ neque cum fide, neq; cum veritate pugnet, & cum antecedentibus, & conſequētibus ſententiis aptè cohæreat, ſiue aliis diuinarū literarum locis, ſiue cōiecturis tantummodò veriſimilibus comprobetur, ſi præſertim ſacrorum interpretum accedat auctoritas. At enim hæc ſententiarum ex eodem genere orta varietas, perturbationem magnam affert, nullam omninò intelligenti. quid ita? quia omnes ab errore, quàm longiſſimè abſunt, cum domina rerum veritate mire conſentiunt; ſi qua verò cum falſitate coniuncta eſt, illa reiicitur, & exſibilatur quo mirabilior ac diuinior nobis doctrinæ cœleſtis forma & ſpecies videri debet, quę ſine confuſione aliqua, vnâ & eâdem quæ facie verborum, tantam ſenſuum varietatem & tam multiplicem tegat.

Aug. 3. de doct. Chr. c. 2. & 27

Aliæ quatuor reliquæ orationes, quas eadem de re Perpinianus pollicetur, deſiderantur.

PETRI

PETRI IOANNIS PERPINIANI

AD CAROLVM BORROmaeum S.R.E.Cardinalem ampliſſimum, & Franciſcum Vargam regis Philippi legatum.

ORATIO VIII.

CN. ille Pompeius, Cardinalis ampliſſime & ſapientiſſime Legate, qui victor de tribus orbis terræ partibus, tres inſignes triumphos reportauit, & ob magnitudinem rerum geſtarum Alexandro Macedoni,cui bellorũ gloria Magni cognomẽ in perpetuũ confirmarat, primùm prærogatiua militari, deinde ſuffragio totius ciuitatis & publicâ omnium gentium confeſſione fuit æquatus, cùm ex Aſia decederet, victis potentiſſimis regibus, domitis quãplurimis & bellicoſiſſimis nationibus, tot vrbium copiis,tot populorũ prædâ, tot regnorum ſpoliis ornatus, veniſſe Rhodũ, & in illa vrbe clariſſima, cùm gloriâ nauali,tum optimarũ artium ſtudiis, & ſummis hominum ingeniis florente, dies aliquot fuiſſe dicitur commoratus. videbitur hoc *Plutarch. in eius vita.*

lictoribus pulſari Muſarum fores, cuius armis & victoriâ fuerat legionibus Romanis Aſia propè tota patefacta, & vnius hominis priuati ianuæ ſubmitti iuſſit laureatos illos faſces, quorum nudorum vim non Mithridates, non Tigranes, non alij opulenti reges, non tot ignotæ anteà Romanis, barbaræque gentes, non tanta orbis terræ portio à Mæotico lacu vſque ad Erythræum mare potuerat vel viribus, vel animo ſuſtinere. Pro Deus immortalis! quem ille Poſidonio, quem ipſi ſapientiæ honorem habuiſſet, ſi quam eius formam & ſpeciem videre potuiſſet, qui foribus ipſis, & limini tam inornato, tantum indicarit eſſe tribuendum? præclara hæc certè, præclara & eximia videri neceſſe eſt. Sed ego tum humilitatem noſtram, tum magnitudinem veſtram intuens, neſcio quid maius & incredibilius de hoc aduentu tam inopinato, mente concepi. Nam Pompeius etſi tantum doctrinæ tribuit, quantum nemo vnquam fuiſſet auſus optare: tamen non tam forte ductus amore ſapientiæ, quàm gratiam popularem aucupans, illà fecit, vt tantò maiori in pretio ipſe haberetur, quantò pluris facere putaretur omnem humanitatem atque doctrinam; aut ſi bonarum diſciplinarum ſtudio fecit, erat in illis tamen, quos inuiſe-

bat, quod meritò poſſet amare: erat multiplex & varia cognitio rerum ac ſciẽtia: erat verborum & ſententiarum flumen, & melle ipſo dulcior oratio: erat denique philoſophica greuitas, nomen, auctoritas; vt non tam mirandum ſit, ad illos adiiſſe ſummum imperatorem, quam non aut cum illis poſteà perpetuò vixiſſe, aut ſecum illos abduxiſſe Romam. talenta verò & ſubmiſſi faſces quid habent admirationis, cùm tantò plus ille vno impetu cepiſſet, quàm quantum diſtribui potuit in omnes philoſophiæ magiſtros? & ſæpe accidat, vt qui facilè aliis de honore cõcedunt, in eo ipſo vel maximè gloriolam popularem quærant. At verò hic veſter aduentus mihi iure videtur eſſe mirandus. non enim popularem auram captãtes, non aliquod fragile falſæ gloriæ choragium comparare ſtudentes, hoc tam anguſtum, tamque humile tectum ſubiiſtis: non doctrinæ varietas ad cognitionem, nõ eloquentiæ iucũditas ad delectationem inuitauit, quæ in nobis equidem ſentio quàm ſint exigua: non denique noſtra promerita, nõ dignitas, quæ nulla eſt, impulit, vt ſcholam noſtrã præſentiæ veſtræ luce decoraretis) ſed vnus religionis amor atque doctrinæ, & illa beneuolentia ſingularis, quã pro veſtra bonitate habetis aduerſus om-

nes

nes publicę ſalutis amatores,fecit,vt veſtræ dignitatis paulíſper obliti , ad eos cohoneſtãdos veniretis,quos exiſtimaretis,& religioni pro ſua virili parte dare operam,& ad publicum bonum conſeruandum & augendum,nonuullam curam induſtriamque cõferre;neque verò talenta , neque argenti,& auri pondera viritim diuiſiſtis ; ſed veſtros animos,veſtras volũtates vos denique ipſos nobis totos tradidiſtis; quo munere nullum fuit à vobis neq; maius , neque gratius, neque mirabilius expectandum. neque fores pulſare vetuiſtis; aut imperaſtis ianuæ noſtræ ſubmitti faſces:ſed cùm ſplẽdor veſter ex multis variiſque bonis effulgens,non ſecus atque lumen Solis,omnium oculos mẽteſque perſtringeret,obtexiſtis vos eũ humanitatis veſtræ quaſi nube,vt acies noſtra ferre poſſet : & cùm amplitudinem veſtræ dignitatis vix Roma ipſa capiat,cõtraxiſtis vos beneuolentiæ cauſſâ vim illã ornamẽtorum,iure vobis conceſſam & traditam,vt his parietum & tectorum anguſtiis cõcluderetur.O commemorabilem humanitatẽ! ô facilitatem morum memoriæ ſuperiori nouam,nobis omnibus iucundam , poſteritati prædicandam!Te videmus, Cardinalis ampliſſime,antiquâ & generoſâ ſtirpe ortũ lectũ in ampliſſimũ ordinẽ purpuratorũ,

le

propè derelictam ſedem, ſatis amplum eſſe putauiſſe domicilium dignitatis tuæ. Perſpeximus anteà multis in rebus animum erga nos,& voluntatem tuam,nunc te præſentem intuemur: os,oculos, mentem denique totam; ac ſenſus ipſos cernimus, vt hos noſtros ſanè reipubl.nō inutiles conatus, cùm plurimum poſſis, quantum poſſis tamen, iuuare velis. Tu verò ſapientiſſime Legate, cuius cùm in ceteris vitæ partibus, tum in hac legatione fungendâ, plurimarū virtutum inſignia,iam inde vſque à Carolo Cæſare cognita, verbis aſſequi me poſſe diffido, cùm primùm hoc limen attigiſti, omnē potentiſſimi regis,cuius tu perſonam in hac vrbe geris,vim,poteſtatem,maieſtatem, in vnam paruam domum conieciſti: quod cùm vel ſemel, vel nunquam etiam feciſſe meritis noſtris ſatis eſſet, amori tamen erga nos tuo ne bis quidē, vt arbitror, erit ſatis. Pro hoc tam ſingulari beneficio parē vobis gratiā negarem à nobis referri poſſe,niſi princeps Romanæ copiæ ſapienter dixiſſet,hanc eſſe gratiæ naturā,vt eam, & qui habeat retuliſſe,& qui retulerit,habere videatur. Ergo certè nomine omniū qui & hic viuunt, & qui hanc non magnam illam quidē, ſed veſtri tamē amantiſſimā bonarum artium domum frequentare ſolent,

tantas vobis ago gratias, quantas maximas agere poſſum: præcórque à Deo Opt. Max. cuius nutu ſola terrarum gubernantur, vt vos omnibus diuinis muneribus & donis cumulatos & ornatos, nobis diu ſaluos & incolumes conſeruet. Idē facerent hæc ipſa tecta, ſi loqui poſſent, quæ nunc tacita, quodummodo lætare mihi exultaréque vidētur tum inſolito & nouo aduentus veſtri illuſtrata ſplendore, orareque ſuppliciter & obſecrare, vt vos patronos ac defēſores, vt ſēper feciſtis, literis & religioni præbeatis. Te præcipuè, Cardinalis ampliſſime, cuius & poteſtas eſt maxima, & arctiſſima vincula coniūctionis cū pietate atq; doctrina. Etenim ſi Pompeius imperator belli gerendi, cuius omne ſtudiū à prima pueritia fuerat in contentionibus præliorum occupatū: cuius amplitudo non tam ſapientium voce & præceptis, quàm armorum vi & terrore nitebatur, optimarum artiū doctores nō ſalutatos præterire nefas eſſe duxit; tu certè, Cardinalis ampliſſime, quem artes pacis à prima ætate ſuſceptum in gremio ſuo educauerunt: quem Pontifex maximus alterum ſecum eſſe voluit reipub. Chriſtianæ ducem: cuius omnis dignitas ſanctiſſimis religionis & ſapientiæ decretis continetur, exiſtimare debes, hanc pietatis officinam, hunc

hunc bonarum diſciplinarum cœtum, has doctrinæ ſedes, nos denique omnes ad aliquã curæ & ſollicitudinis tuæ partem pertinere.

PETRI IOANNIS PERPINIANI

De Deo trino & vno Opt. Max. deque totius Eccleſiæ conſenſione.

AD PIVM IV PONT. MAX.

ORATIO IX.

NOn equidem miror P. B. hodiernum diem Dei Opt. Max. qui naturâ vnus eſt, triplex hypoſtaſi, feſtum atq; ſolennem, iucundiſſima præſentiæ tuę luce, frequẽtiſſimo conuentu purpuratorum patrũ, publicâ Chriſtiani populi lętitiâ gratâ oratoris quamuis non boni voce, maxima cęremonia religionis antiquę celebrari: miror potius tacere quenquam, & ſe continere & in tanto gaudio populi Chriſtiani vniuerſi, orationem vnius hominis expectari. debetur enim hoc illi rerum effectori & molitori Deo, quem venerantes, animo quaſi prę-

præſentem intuemur, vel propter naturæ præſtantiam & dignitatis, vel propter magnitudinem beneficiorum erga vniuerſum hominum genus, vel propter immortalium bonorum quæ ſperamus ab ipſo, iucũditatem, vt omnes ordines, omnes ætates, omnes nationes geſtiant, exultent, exclament & eius magnitudinem, quoad poſſint voce cantúque declarare conētur. Sed me, quem aliis tacentibus, vnum loqui neceſſe eſt, illæ res ipſæ vehementer conturbant, quæ maxima cæteris incitamenta dicendi ſolent eſſe: auctoritas loci, temporis breuitas, rerum difficultas. Locus hic ad agendum ampliſſimus, ad dicendum ornatiſſimus timorem mihi magnum affert, vt hominum expectationi par eſſe poſſim: anguſtiis temporis ita coarctor, vt nec in re quidem perfacili me ſatis vnquam expedirem: res autē eſt euiuſmodi, vt nec in omni quidem æternitate pro dignitate poſſit explicari. Quis enim in hāc mortalitate noſtra infirmitateque naturæ, & in his ſe tam cæcis humanæ vitæ nubibus & procellis illam ſupremam diuinámque naturam: quis hypoſtaſis cuiusque proprietatem, & omnium inter ſe coniunctionem tantam & ſocietatem, quis illius vel hypoſtaſi triplicis vnitatis vel naturâ ſimplicis trinitatis imaginem

gĩnem in populo Chriſtiano diuinâ vi mirabiliter expreſſam vel oratione conſequatur, vel cogitatione cõprehendat? Eſt Deus clariſſima & immenſa a lux, eſt veluti ſol quidã παμφαὴς hoc eſt vt Græci loquebãtur vndique collucens, & omnia illuſtrãs. eſt illi pro domicilio c ſplendor inacceſſus, pro b d amictu circumfuſum lumen. ſi longè adſpicias, aut in rebus ab ipſo perfectis tamquam in aqua intuearis, perobſcurè cernas; ſin propiùs, vt oculorum, ſic mentis aciem intẽdas, quò magis accedas, eò minùs ferre poſſis. Quod ſi hæc ideò minùs placent, quia lucem qui contueri nequeunt, tamẽ eius vim fulgoremque ſentiũt, eſt Deus f quaſi tenebræ quædam cæcæ e, abditus ille atque retruſus, & ex omni parte denſâ g caligine circumſeptus, in obſcuro deliteſcit: vt etiã ſi eius h beneficio ſingulari prænotionem ipſius quandam, & inſitam atq; innatã cognitionem habeamus, nihil tamen de Deo aſſequi cogitando valeamus, i niſi quantum aut hic cœli terræque pulcherrimus ornatus ab ipſo deſcriptus oſtenderit, aut ipſe nobis pro naturæ ſuæ bonitate, & in omnes homines beneficentia voluerit indicare. Non immeritò profectò Ammon, vt

a 1. *Ioan.* 1 *Diõ. lib. de diu. no. c.* 5 *Dam. l.* 1. *de ort. fid. c.* 4.

b *Plat.* 6. *de rep. Cyril. lib.* 1. *in Iul. propè finẽ Naz. orat. in Athan. init.*

c 1. *Tim.* 6.

d *Pſ.* 103.

e *Damaſ. lib.* 1. *ca.* 4. *in fin.*

f *Damaſ. lib.* 1. *c.* 4.

g *Cic. l.* 1. *de na. deo. Pſ.* 36.

h *Cic. l.* 1. *de na. deo. Plat.* 10. *de leg. Damaſ.* 1. *ca.* 1. *Nyſſ. conc.* 6. *de vita beata.*

i *Damaſ. lib.* 1. *c.* 1. *Nyſſ. conc.* 1. *&* 6. *ibid.*

præſentem intuemur, vel propter naturæ præſtantiam & dignitatis, vel propter magnitudinem beneficiorum erga vniuerſum hominum genus, vel propter immortalium bonorum quæ ſperamus ab ipſo, iucũditatem, vt omnes ordines, omnes ætates, omnes nationes geſtiant, exultent, exclament: & eius magnitudinem, quoad poſſint voce cantúque declarare conẽtur. Sed me, quem aliis tacentibus, vnum loqui neceſſe eſt, illæ res ipſæ vehementer conturbant, quæ maxima cæteris incitamenta dicendi ſolent eſſe: auctoritas loci, temporis breuitas, rerum difficultas. Locus hic ad agendum ampliſſimus, ad dicendum ornatiſſimus timorem mihi magnum affert, vt hominum expectationi par eſſe poſſim: anguſtiis temporis ita coarctor, vt nec in re quidem perfacili me ſatis vnquam expedirem: res autẽ eſt cuiuſmodi, vt nec in omni quidem æternitate pro dignitate poſſit explicari. Quis enim in hac mortalitate noſtra infirmitateque naturæ, & in his ſe tam cæcis humanæ vitæ nubibus & procellis illam ſupremam diuinámque naturam: quis hypoſtaſis cuiusque proprietatem, & omnium inter ſe coniunctionem tantam & ſocietatem, quis illius vel hypoſtaſi triplicis vnitatis vel naturâ ſimplicis trinitatis imaginem

ginem in populo Chriſtiano diuinâ vi mirabiliter expreſſam vel oratione conſequatur, vel cogitatione cōprehendat? Eſt Deus clariſſima & immenſa *a* lux, eſt veluti ſol quidā ὑπερφαής hoc eſt vt Græci loquebātur vndique collucens, & omnia illuſtrās. eſt illi pro domicilio *c* ſplendor inacceſſus, pro *d* amictu circumfuſum lumen. eſi longè adſpicias, aut in rebus ab ipſo perfectis tamquam in aqua intuearis, perobſcurè cernas; ſin propiùs vt oculorum, ſic mentis aciem intēdas, quò magis accedas, eò minùs ferre poſſis. Quod ſi hæc ideò minùs placent, quia lucem qui contueri nequeunt, tamē eius vim fulgoremque ſentiūt, eſt Deus *f* quaſi tenebræ quædam cæcæ, abditus ille atque retruſus, & ex omni parte densâ *g* caligine circumſeptus, in obſcuro delitеſcit: vt etiā ſi eius *h* beneficio ſingulari prænotionem ipſius quandam, & inſitam atq; innatā cognitionem habeamus, nihil tamen de Deo aſſequi cogitando valeamus, *i* niſi quantum aut hic cœli terræque pulcherrimus ornatus ab ipſo deſcriptus oſtenderit, aut ipſe nobis prò naturæ ſuæ bonitate, & in omnes homines beneficentia voluerit indicare. Non immeritò profectò Aemon, vt

a 1. *Ioan.* 1 *Diō. lib. de diu. no. c.* 5 *Dam. l.* 1. *de ort. fid. c.* 4.

b *Plat.* 6. *de rep. Cyril. lib.* 1. *in Iul. propè finē Naz. orat. in Athan. init.*

c 1. *Tim.* 6.

d. *Pſ.* 103.

e *Damaſ. lib.* 1. *ca.* 4. *in fin.*

f *Damaſ. lib.* 1. *c.* 4.

g *Cic. l.* 1. *de na. deo. Pſ.* 36.

h *Cic. l.* 1. *de na. deo. Plat.* 10. *de leg. Damaſ.* 1. *ca.* 1. *Nyſſ. conc.* 6. *de vita beata.*

i *Damaſ. lib.* 1. *c.* 3. *Nyſſ. conc.* 1. *&* 6. *ibid.*

eſt apud Iuſtinum, non tã philoſophi, quàm matyris nomine clarum & inſignem, Deum πάγκρυφον eſſe dicebat, hoc eſt, penitus occultum & abſtruſum. Rectè Mercurius Triſmegiſtus, & Platonicus Timęus perdifficile eſſe ſtatuerunt: mundi opificem & parẽtem inueſtigare animo & complecti cogitatione, vbi verò fuerit perueſtigatus, enunciare, & in vulgus indicare neminem poſſe. *a* Prudenter Simonides, non modò poëta ſuauis, verùm etiam doctus. tyranno percontanti, quid eſſet Deus, obſcuriorem ſibi rem in dies videri reſpondit. *b* Quare quem nemo hominum hac vitâ fruens vnquam vidit: quem *c* nemo poteſt humanis oculis intueri: quem, vt *d* plurimi, & antiquiſſimi rerum diuinarũ ſcriptores tradiderunt, neq; Moſes *e*, qui cum illo amiciſſimè & familiariſſimè colloquebatur: neq; Paulus *f* à ſenſu corporis abſtractus, & ſpiritu diuino ad tertiũ vſq; cœlũ excitatus humo, cũ illo triduo multa recondita & arcana didiciſſet, qui, & qualis eſſet adſpexit, de eo ex hoc loco verba facere, & æternitatẽ ipſam in has anguſtias, vnius horæ tãtas includere, non eſt ingenij noſtri nõ humanæ imbecillitatis, non mentiũ deniq; ſingulariũ atq; cœleſtiũ, quarũ vis & natura proximè ad diuinã accedit Deo plane, Deo, inquam, ipſo eſt opus ad il-

lam

a *Cic. l. 1. de na. deo. circa medium.*
b *Ioan. 1. 1. Tim. 6. Exod. 33.*
c *1. Tim. 6*
d *Chryſ. ho. 14. in Ioan. Nazian. orat. 2. Theol. Cyril. l. 1. ſup. Ioan. c. 12. Gre. 18. Moral. 27. Euag. Papa ep. 1. Dion. de cæl. hier. c. 4. Nyſſen. con. c. 6. de vita beata.*
e *Exo. 33 Num. 12*
f *2. Cor. 12.*

beatam immortalemq; naturã prædicãdam. Verum de multis tamẽ, quæ Deus ipſe de ſe hominũ generi patefecit, dicã ego quæ potero,& dicã ſimpliciter, ac ſine vlla ſerie diſputationũ. Tu P.B.ſi videris meã orationẽ fluctuare nonnunquã,& de ſuo curſu depulſã temerè iactari,feres æquo animo pro tua ſingulari humanitate,& veniam infirmitati dabis , idq; totũ partim magnitudini & obſcuritati rerũ adſcribes, partim ipſi tibi,cuius iſta maieſtas tanta & poteſtas diuinitùs permiſſa & tradita facit,vt etiãſi tuo humaniſſimo conſpectu mirandũ in modũ recreemur, tamẽ ne gaudere quidẽ ſine aliquo timore poſſimus. Mihi in hac vrbe,quã Deus voluit eſſe principẽ orbis terræ:apud te,P.B. qui ſecundũ Chriſtũ Opt.Max.es reip.Chriſtianę caput:in ampliſſimo cœtu purpuratorũ patrũ,quorũ arbitrio vera religio vbicunque terrarũ gubernatur : hac luce triũ vnius naturæ diuinæ perſonarum feriis cõſecratâ, quarum incredibilis eſt omnium rerum admirabiliſque communio, & de myſterij diuinitate, & de totius Eccleſiæ conſenſione, quæ velut effigies quædã eſt illius inexplicabilis coniunctionis, videtur eſſe dicendũ. Precor ab illo parente vniuerſitatis, cuius feſtum hunc diem anno vertente, læ:è agitamus : cuius cauſsâ & hæc multitudo tanta

conuenit ad audiendum & ego ſum ad hūc dicendi laborem ſuſcipiendum incitatus: *a* qui & ſurdorum aures antè clauſas ad vocem, aperit, & linguas infantium facit *b* loquentés & diſertas, ne me tanquam *c* Ozā, res tantas oratione non ſecus ac manibus tractare inſtituentem, euertat & percellat ſed tanquam Obededonem potiùs cœleſtibus donis cumulatum, ea dicere patiatur, quæ præſtantia ipſius non aliena, tibi probata, P.B. vobis patres ampliſſimi, iucunda omnibus qui audiunt, vtilia ſunt & ſalubria futura. Duas de diuinitate ſententias multùm inter ſe diſſidentes ac repugnantes, magno in errore video fuiſſe: Iudæorum vnam, alteram earum Gentium, quæ omnium ſuperſtitionum laqueis miſerabiter conſtrictæ tenebantur. Nam Iudæi, dum ea quæ de vno Deo ſacris literis apertè ſunt tradita, imprudenter defenderent, neque cæci viderent, quæ de trina hypoſtaſi propter ipſorum tarditatem occultè ſignificarentur, in illum errorem miſeri inciderunt, quem nunc maiorem ſuorum falſis opinionibus adſtricti, valdè pertinaciter tuentur, vt non modò naturam diuinā, verùm etiam hypoſtaſim vnam eſſe crederēt. Contrà illę nationes, quæ imbutæ priuatis erroribus, vel monſtris quibuſdam atque prodigiis,

a *Eſai.* 35
b *Sap.* 10.
c 1. *Reg.* 6. & 1. *Paral.* 13.

vel

vel certè rebus nihilò ſe melioribus, diuinum principatum tribuerunt, dum partim multitudinem deorum à ſuperioribus acceptam obſtinatis animis retinere conarētur, partim populi metu vnum verum Deum, ratione perueſtigatum & inuentum, profiteri palàm & colere non auderent, vt hypoſtaſes, ſic etiam naturas diuinas permultas, vecordes, atque amentes induxerunt. Inter vtrumque errorem media veritas, quam ſola præ ſe fert, & in medium profert Eccleſia Chriſtiana, diuino conceſſu ac munere ſingulari vtriuſque caliginem cæcamque noctem, admirabili ſplendore diſcuſſit, diluxit; illuſtrantur & patent omnia, quæ Iudæis obſcurè ſignificata, cùm ea nulla vis ingenij, nulla mentis acies, nulla hominum ſolertia conſequi poſſet, tot antè ſæculis craſſis occultata tenebris & circumfuſa latuerunt. vnam enim eſſe naturam diuinam prædicamus, ſed eā in triplici hypoſtaſi perfecta, Parte, Filio, & Spiritu ſancto, ſine vlla diuiſione conſiſtere confitemur, vt quia non vna eſt hypoſtaſis, non ſit ſolitarius; quia verò eadē eſt trinæ hypoſtaſis natura, vnus tantùm verè ſit & nominetur Deus; quòd neque diuinis in literis Iudæi, præter admodum paucos agnouerūt, neque in Syria, Chaldæi aſtrorum cogni-

tione præſtantes,neque Perſarum magi ingeniorum celeritate nobiles, neque ſacerdotes Ægyptiorum tot antiquiſſimis literarum monumentis abundantes, neque Bactrianorum Semanæi, aut gymnoſophiſtæ Indorum tam incredibili diſcendi ſtudio flagrantes,neque Druides Gallorũ inſignes tot annorum diſciplinâ,neque Græcorum ſapientes,omnium artiũ inſtructi præſidiis,neque Latinorum doctores, omnium propè gentium literis & præceptis perpoliti, aut animo comprehendere, aut attingere ſuſpicione potuiſſent, niſi Deus ipſe mortalibus vltrò nec opinâtibus pateſeciſſet *a* Etenim humanæ mentes, quia Deum ipſum intueri nequeunt,ex hac tanta molitione rerum & gubernatione, ſibi nonnullam opificis & rectoris notitiam ſtudiosè quærunt,eáq; ſolùm aſſiduâ curâ & diuturnâ commentatione aſſequuntur, quæ procreatorem,& quaſi fontem omnium rerum, illum eſſe declarant. Quæ ſi pertinent ad naturam diuinam omnia, & cõmunia ſunt omnibus perſonis inter ipſas, quãuis multi Deum vnum eſſe cognouerunt, quod non negamus, quis tamen vnquam hac vſitatâ & tritâ via, potuit ad vnamquamq; hypoſtaſim, ſuâ proprietate diſtinguendam, & omnes inter ſe naturæ ceterarumq; rerum, ſine

a S. Thom. 1. par q. 32. art 1.

ſine vlla exceptione communitate iungendas peruenire? *a* Scio fuiſſe crebram in Sybillarum carminibus patris, filijque mentionem, & Sybillam Sambethen oriundam, vt aiunt, à Noë xxiiij. libros de Chriſto, de ſuæ gentis origine, de mundi ortu conſcripſiſſe. Video ſermones Mercurij Ægyptij, quem Triſmegiſtum appellatum fuiſſe ferunt, *b* quòd diuinitatem vnam in triplici hypoſtaſi eſſe tradiderit, eiuſmodi ſententiis refertos, quæ cum vera religione mirè conſentiant, non ignoro, Zoroaſtrem, & Chaldæos de patre, & filio aliquid aliquando tradidiſſe, vt Pſellus philoſophus, & Chriſtianus eſt auctor. Illud etiam accepi, cùm *c* Dum Ægyptij tenebras ignotas nominarent, ter hoc eos acclamare ſolitos, ad trinã hypoſtaſim deſignandam. legi Orpheum poëtam, quem Iuſtinus martyr cognouiſſe teſtatur, Dei filium effectorẽ fuiſſe mundi, in ſuis hymnis non pauca de patre, & filio ſapienter ceciniſſe. Multa apud *d* Platonem reperiri conſtat, à Platonicis autem philoſophis bonã partem diuinitùs nobis traditæ doctrinæ mirabiliter expreſſam fuiſſe, ſanctus *e* Auguſtinus affirmat, non inficior multis antiquis non penitus ignotas tres naturæ diuinæ hypoſtaſes fuiſſe: verùm neque hos, neque alium quenquã

a S. *Aug. in orat. de quinque hæreſ. c.* 3

b *Suidas in verb. Mercurius.*

c *Damaſcius Platonicus.*

d *Plat. ep.* 2 *ad Dionyſ & ep.* 3. *ad Hermiã, &c. In Phil. in Crat. in Epinomide. de bono. de rep.*

e *Lib. cõf. cap.* 9.

ingenij præſidiis, rei tam reconditæ cognitionem aſſequi potuiſſe contendo. Primos equidem illos homines, & parentes generis humani, hanc à Deo noſtri amantiſſimo, magni muneris & beneficij loco accepiſſe arbitror: multos itē poſteà viros excellentes atque diuinos: hos tradidiſſe poſteris, & quaſi per manus ad Chaldæos & Ægyptios, per Hebræos perueniſſe: ab his tandē didiciſſe Græcos. Itaque Orpheum, Thaletem, Solonem, Democritum, Eudoxum, Pythagoram, & Platonem *a* Clemens Alexandrinus, vt alios omittam, in Ægypto, & Syria memorat cum ſapiētiſſimis quibuſque fuiſſe verſatos: & quidem *b* Orpheus ipſe de ſe confitetur, de Solone locupletiſſimus teſtis eſt *c* Plato, Quid? quod Iuſtinus philoſophus, & noſtræ religionis ornatiſſimus defenſor, *d* Orpheum vidiſſe perhibet in Ægypto ſcripta diuinorum vatum: quod Orpheus ipſe de filio Dei, maiorum & famæ veteris teſtimonium profert: quod *e* Platonici, qui in Chriſtianorum tempora inciderunt, à nobis mutuantes, & Apoſtolorum, licet eos contemnerent, auctoritatibus abutentes, diligentiùs & apertiùs quàm ſuperiores, de trina hypoſtaſi diſſeruerunt: non ſatis declarat, non hæc ab hominibus inueſtigata primùm & prodita, ſed à Deo priſcis

a *lib.* 1. *Strom.*
b *In Argonautis.*
c *In Timæo.*
d *In Hymnis apud Iuſtinum in orat. prædictâ.*
e *Plotinus Amelius apud Cyril. lib.* 8. *contra Iul. Porph.*

cis illis,& præſtãtiſſimis viris tradita fuiſſe, per eos ad poſteros diſciplinâ patriâ,& cõmuni famâ permanaſſe?quid cenſemus eſſe cauſſæ,cur in Ariſtotelis, & Peripateticorum libris, qui omnia ad acerrimam normam rationis dirigebant,ne litera quidem vna de trina diuinitatis hypoſtaſi reperiatur;apud Platonem autem, qui plurimum antiquitati tribuebat, & priſcos *a* illos mortales præſtantiores nobis, & Deo propinquiores opinabatur exſtitiſſe, & apud eos,qui coluerunt Platonis diſciplinã,multa ſimilia noſtris inueniantur? videlicet in hiſce rebus indagandis, eruẽdis,demõſtrãdis non acies ingenij,ſed fama valebat:quæ quo longius ætate procedebat, eò erat obſcurior, eò magis falſa veris affingens,vt ſolet, ab illa prima integritate diſcedebat. Quare cùm antiquiſſimi illi ſapientes & Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum Deum eſſe dixiſſent; neque ſit ne vnus, an tres, apertè ſatis oſtendiſſent, *b* nonnulli de Platonicis Chriſtianæ religionis odio tres deos eſſe commenti, tantò maiorem hominibus peſtem attulerũt,quãtò plus tũ apud multitudinẽ, tũ apud principes ob illuſtre ſapientiæ nomẽ,auctoritate & gratiâ valebãt.Gratias tibi agimus ingẽtes & immortales,mundi creator,conſeruator,& re-

Theod. Proclus, Philon.

a Plato in Phil. & M. Tul. in 1. Tuſc. ſub initio.

b *Amelius Porph. Procl. Theod.*

ctor Deus, qui naturę noſtrę & imbecillitati, & peruerſitati, & tarditati ſubueniſti: imbecillitati, cũ ea docuiſti principes humani generis, quę nũquã homines ipſi odorari potuiſſét: peruerſitati, cũ cœleſté doctrinã, tũ vetuſtate corruptã, tũ deprauatã à poſteris, & ignorationis malitiæq; tenebris offuſam, per Moſem, & alios præſtantes viros in priſtinã dignitatẽ vindicaſti: tarditati, cùm nõ ſatis à nobis percipi cernens, quæ per illos obſcuriùs rectiuſq; tradidiſſes, *a* vnigenam filiũ tuũ è ſinu tuo, tanquã internũcium, & interpretẽ ad nos miſiſti, qui rẽ totã, quoad humana mẽs capere poſſet, abſque vlla circuitione verborũ & anfractu, dilucidè, & apertè nobis enarraret. tuã nos tam gratâ & iucũdâ recreati luce, in tãta inſcitiæ caligine, tuam non ſolùm omni oratione, verùm etiam cogitatione ſuperiorem liberalitatẽ & beneficẽtiã, te adiuuãte prædicabimus, exornabimus, efferemus in omni vita, ſi minùs vt eſt merita de nobis, certè quantũ imbecillitas noſtra patietur. eſt igitur vnus & trinus Deus, cùm illa præſtans ſupremáque natura, vna & eadem in tribus perſonis, Patre, Filio, & Spiritu ſancto conſiſtat. Pater aliunde non eſt, non factus, non creatus, non genitus; non ab alio exſiſtit & manat; principium principio carens, ex omni æter

a *Ioan.* 1.

æternitate, non alterius beneficio, ſed ſuâ vi cohærens; fons non ſolùm omnium rerum, quæ factæ ſunt, ſed etiam Filij, & Spiritus ſancti. Filius eſt principium ex principio, non ab vllo certo tempore factus, nō creatus, ſed ex æternitate, ratione quadam hominibus incognitâ genitus à ſolo Patre, eiuſque naturali dono ac munere per ſe cohærens, cum generatore ſuo ſine vlla perturbatione, cōfuſione, permiſtione, vnâ penitus naturâ coniunctus, & ab eodem ſine vllâ diſtractione, alienatione, auulſione, hypoſtaſi diſtinctus. *a* Spiritus ſanctus ex Patre, & Filio, vno ipſius principio, æternus ex æternis, non creatus non generatus, mirabiliter procedit, & ita procedit, vt cum vtroque eiuſdem prorſus naturæ communione copulatus alius ſit ab vtroque. *b* Itaque in literis diuinis & Patris, & Filij ſine diſcrimine Spiritus eſſe dicitur, & quò magis eorum qui cōtrà ſenſerūt, ſtultitiā miremur, priſca illa theologia omnium nationum, quamuis erroris & ſuperſtitionis plena, tamen eum & à Patre, & à Filio procedere confitebatur. Atque ortus quidē Filij, & Spiritus ſancti proceſſus, tam admirabilis eſt, tam ſecluſus à mentibus humanis, vt cum neque vllius hominis oratio declarare, neque cogitatio capere poſſit. *c* Vt enim non

a S. Tho. 1. par. qu. 39. art. 2, 3. & 4. Mag. 1. ſēt. diſt. 2.

b Magiſt. 1 ſent. diſt.

c Damaſ, lib. 1. c. 8

non eodem modo Deus efficit, atque homi-nes, ſic diſſimillima eſt Dei, & hominum ratio generandi & ſpirandi, iuréque optimo vates ille ſanctiſſimus admirans exclamauit, filij Dei generationem enarrari nō poſſe. Viderunt hoc etiam antiqui illi Theologi exterarum nationum, & vt potuerūt homines nondum ab ipſa veritate docti, declararunt. Quid enim aliud Mercurius Triſmegiſtus in illo ſuo ſermone perfecto ſignificauit, cùm *a* filium dixit eſſe filiū bonæ voluntatis, niſi patri ſolam vim, & naturæ ſuæ fœcunditatem eſſe ſatis ad gignendum, *b* qui perpetua, conſtans, immutabilis volūtas, & gaudium immortale comitetur? quid aliud idem oſtendit, cùm Deum ἀῤῥενόθηλον, nominauit, niſi ab illa ſempiterna generatione cōiunctionem omnem, qualis alicui ſtulto fortè venire poſſet in mētem, excludendam eſſe? quid aliud Plato tantò pòſt deſignauit, cùm teſte Porphyrio tradidit, *c* à ſummo bono, quod apud illum nomen eſt patris, mentem, quod ille nomē filio attribuit, ortam eſſe ratione quadā hominibus ignotâ, niſi velut infinito quodam ſpatio diſſimilitudinis diuinum illū ortum à noſtro diſtare? Nihil igitur hîc humile, P. B. nihil abiectum, nihil ſordidum cogitandum eſt: nihil à nobis transferendū ad Deū, ſed

a *Auguſt. in ora. cōt. hæreſ. c. 3.*
b *Magiſt. 1. ſent. diſt. 3.*
c ἐν τοῦ ἀγαθοῦ.

ſed excitandi & erigendi animi, vt de Deo, magnificentiùs, quemadmodum illam amplitudinem & maieſtatem decet, & ſentiamus, & loquamur; & quidquid à nobis aut dici verbis, aut animo comprehendi poſſit, id infinitis partibus infra diuinam dignitatem eſſe fateamur. Pater in illa immutabili æternitate ſeipſum perfectè intelligens, *a* perfectam quandam concipit ſimilitudinem ſui: quæ cùm ſit ipſa natura diuina, nō eſt alius Deus ac Pater, ſed vnus & idem cū Patre Deus: quem ideò Filiū vocamus, quia oritur à principio viuēte, immò à fonte vitæ cōiuncto, & ex ipſa naſcendi ratione & modo, vnam & eandem habet naturam, atque Pater, *b* Ambo verò iam inde vſque ab æternitate ſe mutuò infinitè diligentes, amorem ſpirant æternum & infinitum: qui non affectio aliqua eſt, non habitus, vt noſter amor, ſed verus Deus, & eiuſdē, ac Pater, & Filius naturæ. Hunc nos diuinitùs inſtituti non Filium appellamus, ſed Spiritum ſanctum, quoniam non, vt intelligēdo mens, ſic etiam voluntas amando ſimilitudinem aliquam informat eius, quod amatur, ſed abrepta velut Spiritu quodam vehementi, impellitur ad potiundum & fruēdum: Filius tametſi eſt alius, ac *c* Pater, vt ipſe demonſtrauit, cùm ſuum patriſque teſtimo-

a Thom. 1. p. q. 7. art. 2. Idē li. 4. cōtra Gent. c. 1.

b Thom. 1. p. q. 27. art. 3. & 4. & contra Gētes, li. 4. c. 19. Mag. 1. ſentent. diſt. 10. 11. & 13.

c Ioan. 8.

ſtimonium, duorum teſtimonium eſſe dixit, *a* tamẽ ex omni parte, ſimilis & æqualis eſt Patri. Quid enim abſurdius fingi poteſt, vt ſanctus *b* Auguſtinus perquàm prudenter & acutè colligit, quàm Patrem ſibi Filium generare aut non potuiſſe, quod infirmitatis eſt, aut noluiſſe, quod eſt inuidæ voluntatis? ſanè ſapienter in ſymbolo fidei, Deus de Deo, lumen de lumine à ſanctiſſimis Patribus afflatu diuino appellatus eſt, quia cùm de lumine lumen accenditur; nihil vel de altero diminuitur, vel in altero deſideratur. *c* diuinitùs à Paulo dictus eſt figura ſubſtantiæ Patris, *d* propterea quòd vt impreſſa figura, neque maior eſt archetypo, ne qua ex parte ſit rudis & informis; neque minor, ne qua ex parte ſimilitudinẽ archetypi non habeat expreſſam: ſic Dei Filius totus referens totum Patrem, omninò par & æqualis eſt Patri, neque minorem ſe ipſe aliquãdo dixit, niſi quia noſtram naturam induit, vt nos ereptos ex miſera ſeruitute in libertatem filiorum Dei vindicaret. Pari ratione Spiritus ſanctus à Patre, & Filio hypoſtaſi diſtinctus, *e* vt ille ſuauiſſimus Chriſti ſermo, quem appropinquante iam morte, cum diſcipulis habuit, multis locis oſtendit, *f* nullâ re tamen inferior eſt Patre, vel Filio, cùm & à beato *g* Paulo in epi

a *Mag. ſent. l. 1. d. 19. & 20. S. Thom. 1. p. qu. 42. ar. 1. & 2.*

b *Lib. 3. cõt. Max. c. 7. & 16. Idẽ lib. q. 83. q. 50. Mag. ſẽt. 1. diſt. 20.*

c *Ad Hebraos 1.*

d *Theoph. in 1. c. ad Hebr.*

e *Ioan. 14. 15. 16. & 17.*

f *Magiſt 1. ſent. diſt. 19. S. Thom. 1. p. q. 42. art. 3. Gr. Nyſ. homi. 3. de ora Dom.*

g *1. Co. 6.*

epiſtolis, & à S. Petro in hiſtoria *a* Lucæ, Deus apertè nominetur. *b* Eſt quidem aliquis perſonarum inter ipſas ordo, non naturæ gradibus, non temporum conſequentiâ, non diſſimilitudine dignitatis, ſed originis tantùm ſerie conſtitutus. Primus eſt Pater, Filius ſecundus, tertius Spiritus ſāctus nam à Patre naſcitur Filius, & Spiritus ſanctus procedit ab vtroque. verùm in hoc ordine nihil diſpar, nihil prius tempore, nihil maius, nihil minus, nihil ſuperius, nihil inferius intelligendum eſt. *c* Non enim ſi Pater Filio dat hoc ipſum, quod eſt, & vterque Spiritu ſancto, continuò minores exiſtimandi ſunt, qui eandem diuinitatem acceperunt. neque verò, vt hic apud nos accipi ſolet, ſic æqualitas accipienda eſt in natura diuina. etenim nos æqualia vocamus, quæ ſunt illa quidem diuerſa, verũtamen ſic inter ſe paria, vt neutrum ab altero ſuperetur. *d* At hypoſtaſes diuinæ ita ſunt æquales, vt ſint prorſus vnum atque idem. Non alia eſt natura Patris, alia Filij, aliâ Spiritus ſancti, nobilitate pari & præſtantiâ; ſed trium perſonarum vna & eadem eſt penitus natura. *e* ideóque in Patre Filius; in Filio Pater eſſe dicitur. tolle ortum, & proceſſum, & alia quæ comparationem ſignificant perſonarum inter ipſas, cetera omnia, *f* licet

a Magiſt. 1. ſēt. diſt. 10. S. Thom. 1 p. q. 42. art. 3.

b *Hil. li. 9. de Trinit. Cyr. li. 2. in Io. c. 1. Thom. 1. p. q. 42. ar. 4. ad 1*

d *Magiſt. 1. ſent. diſt. 19. Athanaſ. in ſymb.*

c *Mag. li. 1. ſent. diſt. 19. Tho. 1. p. q. 42. art. 5.*

d *Thom. 1. p. q. 39. art. 7. & 8.*

cet aliud aliј certis de cauſſis tribuatur, penitus eadem reperientur. vna mens, vna voluntas, vna ſapiētia, vna bonitas, vna æternitas, vna immenſitas, vna vis & poteſtas, denique vnus & idem Deus, cuius & imperio, cùm anteà nihil eſſet, omnia exſtiterunt, & numine ac ditione continentur, & voluntate nutúque gubernantur. O reconditam, & admirabilē diſtinctionem! ô mirabiliorem in tāta diſtinctione cōmunionem rerum omnium, & ſocietatem! *a* Sic ſunt tres hypoſtaſes, vt non ſint diuerſæ: ſic vnum & idem ſunt omnes, vt non ſint perturbatæ, neque confuſæ. Cui vnquam homini hoc in mentem venire potuiſſet, niſi nobis aperuiſſet ille ipſe, qui ſolus perfectè ſe ipſe cognoſcit? aut ſi cui acuto homini atque diuino aliquando veniſſet in mētem, (quod fieri non potuiſſe intelligo, ſed ſi veniſſet, quis noſtrûm ei hęc docēti fidem vllam habuiſſet, niſi diuina auctoritate niteretur?) quo maior & amabilior tua erga nos liberalitas debet videri, ô mundi opifex, & ædificator Deus, qui ea nobis per ſūmos viros declarare voluiſti, quæ aliunde quàm à te, nemo ne infinito quidē tempore cognouiſſet. Hæc omnes qui rectè de religione ſenſerunt, iam inde ab initio profeſſi ſunt: hæc afflata ſpiritu diuino docet Catholica

a Thom. 1. p. q. 38. art. 2. ad 1.

Eccleſia Romana; hæc nobis vel cum extremo vitæ periculo tuenda ſunt, quæ naturæ rerum ſub obſcuris adumbrata veſtigiis, tum in literis diuinis. tũ in publicis Eccleſiæ moribus & inſtitutis, rebus permultis apertè ſignificantur. *a* A Sole coæuum ipſi lumẽ exiſtit, & calor vtriq; coæuus ab vtroque. *b* noſter animus vnus eſt, qui memoriã tamen habet, & intelligentiam & voluntatem. In eodẽ vna mẽs eſt, ſed ea gignit notitiam ſui: à mẽte verò, ſuique notitia proficiſcitur ſui amor. quæ tametſi quàm longiſſimè à veritate abſint. tamen vt vmbra corpus indicat, ſic illa veritatem *c* Moſes Deũ, & omnibus mũdi partibus deſcriptis, de homine faciũdo, & hominibus Babyloniam turrim ædificantibus, de opere impediundo cum Filio, & Spiritu ſancto quaſi deliberantem induxit. *d*. Abrahamus tres vidit, & vnum adorauit. Eſaias *e* Deo in ſolio ſedenti ſeraphinos acclamantes audiuit: Sanctus, Sanctus, Sanctus. *f* Ioannes quatuor animalia, circundata oculis ex omni parte, vidit ſimili Deum acclamatione ſine intermiſſione venerantia. Idem illud τρισάγιον in ſacrificiis maximâ ceremoniâ, publico ritu decantatur. *g* In ſacris carminibus Dauidis ter interdum appellatur Deus. *h* Tres ſunt qui teſtimonium dant in

a *Damaſ. lib.* 1. *c.* 8.
b *Magiſt.* 1. *ſin diſt. & Aug. li.* 8 *de ciuit. Dei. c.* 6.
c *Geneſ.* 1. *&* 2.
d *Gen. c.* 8.
e *Cap.* 6.
f *Apoc.* 4.
g *Pſal.* 66.
h 1. *Ioã.* 5.

cœlo, Pater; Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt. *a* Chriſto ad Iordanem
a *Mtath.* 5 abluto, Spiritus ſanctus, columbæ ſpecie;
b *Mat.* 18 ſeſe oſtendit, Pater autem vocem amoris plenam fudit è cœlo *b* nos omnes ex Chriſti præcepto in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti aquâ ſalutari tincti ſumus, in omnibus actionibus ſuſcipiendis patriâ, & antiquâ diſciplinâ crucem à fronte ad pectus & humeros, tribus digitis deſignãtes, tres hypoſtaſes diuinas, & ſecundæ à prima ortum, tertię ab vtraque proceſſum indicamus in ſacris exorciſmis, in myſteriis diuinis & tres perſonæ nominatim apellantur, & ſacerdos interuallis quibuſdam ter crucem manu deſcribit. Chriſti feriis à mortuis exiſtẽtis cereus vnus in tres partes diuiſus, eiuſdem ceræ pabulo tria lumina æquabiliter nutrit. In publicis ſupplicationibus ac priuatis iiſdem verbis Patris, & Filij, & Spiritus ſancti miſericordia imploratur. Pſal. denique omnes in templis, & omnes ſolennes precationes vnius & trini Dei commemoratione terminantur. Quid? quod de ſapientibus Indorum narrant, qui viderunt, mediocre ne argumentum eſt, hanc ſentẽtiã omnibus ætatibus diuino munere apud ſapientiſſimos quoſque valuiſſe? vetus eſt quod dicam, P. B. ſed nemini eorũ, qui adſunt

ſunt, vt arbitror, ante hanc diem vmquã auditum; quod à noſtræ Societatis hominibus ab vltimis vſque partibus oriẽtis Solis, proximis annis ad nos præſcriptum, non tantã mihi tum admirationem attulit, quantam nunc, rem totam diligentiùs conſideranti ſolet afferre, Brachmanes apud Indos reliqui ex illa veteri gymnoſophiſtarum diſciplina tres diuinitatis perſonas, vnum tamẽ Deum eſſe credunt, & quod humana mens capere ſine fide nõ poteſt, id ipſi ſantali arboris in illis terris bene notæ, ſimilitudine non ſatis exquiſitâ, ſed in hominibus tam alienis à veritate neutiquam cõtemnendâ, perſuadere ceteris conantur; quo in ligno vno, & eodem hæc tria, frigus, color, & odor, inter ſe diuerſa reperiẽtur. Itaque funiculum geſtant ex tribus aliis funiculis intortum, quorum ſinguli rurſus conſtant è tribus linis ad perſonarum munerum deſignandum: quas vnum & idem eſſe declarantes, extrema funiculi inter ſe nodo connectunt. is pueris iniicitur à parentibus ſe primo ætatis anno, inſigne pietatis & religionis, quo Brachmanes à ceteris diſcernuntur. eum rumpere ne fas eſſe dicunt, & tamen rumpunt, vbi repudiatâ veteri ſuperſtitione Chriſtianorũ ſacris initiari decreuerunt. Hæc illis à maioribus tradita fuiſſe

credo multis obſeruata commentis, & erroribus inuoluta, ſed conſuetudine Luſitanorum, qui in illas terras nauigauerunt, meliùs aliquantò, quàm antea, eos loqui, atque adeò ſentire cœpiſſe. Mira profectò vis eſt veritatis, mira prorſus & incredibilis, cuius lumen cinctum tenebris tam denſis ab omni parte tamen emicat interdũ & ſplendidiſſimo cãdore, quaſi fulgur ex mediis nubibus elucet. Quanquam non eſt argumentis opus in iis, quæ non idcirco credenda ſunt, quia probantur, ſed quia nobis diuinitùs traduntur. Verùm vt omnes intelligant, quanta ſit vis cœleſtis diuinæque doctrinæ: quæ res vnquam ab impiis eſt oppugnata vehementius? quid maiorem apud omnes gentes contentionem & certamen atrocius excitauit? armis, armis atque caſtris tentata eſt, & Cæſareis edictis, ne tres hypoſtoſes vnius naturæ crederentur. Ab Aegypto illa peſtis orta, cùm Syriam, Aſiam, Thraciam, Græciam, Macedoniam, Italiam, Galliam peruaſiſſet, ſic adoleuit, vt Gothorum armis in extremam Hiſpaniam vſque penetrans, occupatis orientis obeuntiſque ſolis, Aquilonis Auſtrique partibus, prope trecentos annos rempublicam Christianam miſerandum in modum afflixerit, ſed aliquando diuinâ ope, & bonorum diligen

gen

gentiâ, ita compreſſa & extincta eſt, vt ne minima quidem contagio ad poſteros permanarit. Nimirum ab Eccleſia fides & veritas, ab illis, qui diſſentiebant, fraus & mendacium ſtabat: pro falſitate malus dæmon, pro veritate Deus ipſe pugnabat, & ad nihilum recidere neceſſe eſt omnes illorum conatus, qui veræ religioni cœleſtique doctrinæ bellum habent impium, atque nefarium indictum. Dixi, P.B. quę de re tam obſcura, & ab omni cogitatione lōgè remota, hac imbecillitate noſtrâ, his temporis anguſtiis, hac ſummorum hominum frequentia, quibus ne ſim moleſtus, diligenter prouidendū eſt, dici vel potuerunt vel debuerunt. Sequitur illa pars ampla atque magnifica, quæ non tam ſcientiæ lumen deſiderat, quàm dolorem actionis: neque tantum habet obſcuritatis ad intelligendum, quantum, niſi Deus præſens nobis auxilium ſuum atque numen oſtendat, difficultatis ad efficiēdum. Aperienda enim nobis eſt admirabilis Eccleſiæ Chriſtianæ, ex illa trium diuinarum hypoſtaſeon communione expreſſa cōiunctio, quam improborum audacia magna ex parte diuulſam atque diſtractam, ſine gemitu & luctu intueri non poſſumus; tua verò, P.B. qui illi præes, cura, labore, vigilantia, ad eam cō-

cordiã, quâ ipſam eſſe par eſt, reuocari vehemẽter omnes optamus. Et enim optimus ille & leniſſimus parẽs generis humani, per Filium ſuum Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, ex multis variiſque gentibus nos pro ſua clementia delectos conuocauit, vt trinum & vnum Deum non ſolùm verbo confiteamur, ſed etiam ipſo vitæ genere diligẽter imitemur. Vereor vt ea, quę dicam, perinde intelligĩ auditu poſſint, atque ego ipſe cogitans ſentio. Voluit Chriſtus liberator noſter non modò, vt ſe hominem homines ſequamur; verùm etiam vt mentes humi ſtratas & abiectas erigamus, & excitemus altiùs ad illam magnitudinem diuinam, & in noſtris animis imaginem quandam tam occulti myſterij, moribus, non ſecus atque coloribus, exprimamus vt quemadmodum hypoſtaſes diuinæ ſunt idem, ſic nos etiam quodãmodo vnũ, & idem ſimus. *Pater ſancte*, inquit, *ſerua eos in nomine tuo quos dediſti mihi, vt ſint vnum ſicut & nos* àt id poſtulabat diſcipulis ſuis, quos vnos ex omni hominum numero magiſtros omnium Gentium, rerum abſtruſarum, & à communi hominum ſenſu abhorrentium doctores, principes Eccleſiæ, duces veritatis, diuinarum legum interpretes humanæ vitæ moderatores, lumina orbis

Ioan. 17.

bis terræ delegerat. Illi qui Dei Filium humanâ ſpecie, & figurâ inter homines verſantem, multâſque res nouas & mirabiles patrantem, adſpexerunt, verba facientem audierunt, totam Palæſtinam pedibus peragrantem ſequuti ſunt, cum eo vixerunt, vnà cibum ceperunt, vnâ fuerunt, ſæpe colloquuti ſunt, illi profectò tales, quales tu depingis, eſſe debuerunt. nos verò tantò poſt cenſeneſcente iam mundo natos, ad quos diuinâ quidem prouidentiâ & benignitate, vix tamen rerum tantarum fama peruenit, neque poſſumus ita viuere, ſi maximè velimus, neque ſi poſſimus, eſt neceſſe. Audi quicunque vel tacitùs hæc tecum ipſe cogitas, vel in circulis & congreſſionibus familiarum temerè & inconſideratè iactas, audi, non à me callidè compoſitam, ſed ab ipſo Chriſto ſapienter pronunciatum, & relictã ſuperiorum verborum explicationem: *Non pro eis autem*, inquit *rogo tantùm, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbũ eorum in me.* Ioan. 17.
Habes pro quibus patrem deprecetur: non pro diſcipulis præſentibus modò, ſed etiam pro omnibus, qui doctrinam eorum erant aliquando vel literis, vel per manus traditam accepturi. tenes ab Apoſtolis vſque derinatam fidei, morúmque diſciplinam? credis verbis diuinis? ſperas illud immortale

bonum & infinitum? pro te Chriſtus Patri ſupplicauit, ſi nihil ad te preces illę pertinebant, proſus es alienus à Chriſto nam cùm dixit, *ſed & pro eis, qui credituri ſunt*, neminé ipſe à ſua deprecatione voluit excludi, niſi qui ſe ipſe, non acceptis cœleſtibus donis excluſiſſet. Quid autem agebant illæ tàm ſupplices & demiſſæ preces? quid petebant? quid orabãt? aliudne aliquid, quàm quod anteà diſcipulis præſentibus poſtularant? *vt omnes*, inquit, *vnum ſint, ſicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint.* Magna certè res, ad cogitandum non omninò facilis, difficilior ad dicendum, ad vitam beatam neceſſaria, ignorata paucis, propè omnibus neglecta, quæ quantò maiorem cœleſtium bonorum copiam retenta & culta pepeiiſſet, tantò ſpreta ac repudiata grauiores in hominum vitam, & atrociores calamitates effudit. Magnum & arduum munus, quòd nulla vis non humana modò, verùm ne cœleſtis quidẽ niſi diuina, præſtare poſſit. Singularis enim illa, & omni cùm oratione, tum etiam cogitatione ſuperior trium perſonarum naturalis coniunctio tribus potiſſimùm rebus mihi videtur contineri, mente, voluntate, efficientia. non enim alia mens eſt Patris, alia Filij, alia Spiritus ſancti, pari & ad res videndas

acumi

acumine,& ad comprehendendas celeritáte; ſed vna eſt omnium intelligentia, qua pariter, ſine vlla diſtractione, præterita, inſtātia, futura vno quaſi adſpectu intuentur. non ſunt tres voluntates, item vt tres hypoſtaſes inter ſe conſentientes & conſpirantes, ad idem ſtatuendum. ſed eadem eſt trium perſonarum voluntas, qua res omnes abſque vlla diuiſione, ex æternitate decreuerunt non quot perſonæ, totidem ſunt poteſtates inter æquales ad efficiendū, totidē item pares in rebus & gignendis, & conſeruandis, & gubernandis, functiónes, ſed Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, non alius ab alio ſeparatim, verùm omnes coniunctim, vnâ vi, vnâ cōmunis efficientiæ functione, mundum procrearunt, conſeruant, regunt: & omnia quæque ſupra quæque infra lunā ſunt, ſine ſollicitudine, ſine defatigatione, ſine labore procurant. Hanc tam incredibilem, & tam admirabilēm triplicis hypoſtaſis rerum omnium ſocietatem, & naturæ communionem, qui ſe penitus aſſequi poſſe confidat, amens ſit. Longiſſime abeſt ab illa diuinitate natura noſtra: infinito quodā interuallo à Deo diſiungimur. fieri nullo pacto poteſt, vt aut in tā multis corporibus, & tam diuerſis inſit prorſus vnus animus naturâ: aut in animis tam diſ-

iunctis & diſtantibus, eadem omninò ſit mens, eadem voluntas, eadẽ vis efficiendi. Quonam igitur modo tantum munus ſuſtinemus, vt arbitremur nos aliquam ſimilitudinem illius æternę Trinitatis conſequi poſſe imitando? Via mihi quædam oſtenditur antè clauſſa viribus humanis, nunc aperta cœleſtibus atque diuinis, & patens, quam breuiſſimè, quoad eius fieri poterit, oratione demonſtrabo. Sunt in nobis, vt multi ac diuerſi animi, ſic etiam multæ ac diſtinctæ, ſingulæ videlicet in ſingulis, mẽtes atque voluntates; quæ tum à ſe inuicem diſtrahi ac diuelli? tũ inter ſe cõiũgi & copulari poſſunt, & quodam quaſi communi vinculo adſtringi. ac noſtræ quidẽ mentes opinionum & ſentẽtiarum diſcrepãtiâ diſſociantur & diſiunguntur: earundem ſimilitudine & conſenſione in vnum coaleſcũt. Nam cùm omniũm rerum, quas comprehendunt, ſpecies quaſdam; & velut imagines in ſe inſidẽtes habeant, cum illis ita copulentur, vt ipſarũ prorſus naturam induiſſe videantur, animique noſtri ſapienter à philoſohis omnia dicantur eſſe, quod omnia quæ ſubter, & quæ ſupra, cogitatione queamus & mente complecti. vbi verò notitiam alicuius rei conceptam pepererunt, eam non aliter, ac matres partus fœtuſque

Ariſt. lib. de anim. c. 8.

ſuos,eximio quodam amore naturæ amplectuntur,ita fit vt & quando variè ſentiunt de rebus,diſtrahantur,ac velut in contrarias partes rapiantur,& quando ſententiarum cöiunctione inter ſe coëunt,vnum & idem fiat è multis,ſi minus naturâ, certè conſpiratione atque conſenſu. Taceo in præſentia de duabus illis philoſophis *a* antiquiſſimis, quarũ vna à Thalete Mileſio vſque ad Socratem alter à Pherecyde Pythagoræ magiſtro,vſque ad Democritum & Leucippũ in obſcuritate naturæ potiſſimum fuit, & in cognitione diuinarum rerum occupata. quantæ fuerint in eis diſſimilitudines, prætermitto. *b* Ab vno Socrate,qui primus dicitur de cœlo deduxiſſe philoſophiam, & in mediis hominum cœtibus collocaſſe tãquam ab vno ſapientiæ iugo, quæ diſciplinarum ſunt facta diuortia? tempus me citiùs deficiat,quàm Socraticorum omnes multùm inter ſe diſtantes vias & rationes enumerem. Cynici,Stoici,Cyrenaici, Epicurei, Peripatetici, Academici,hique duplices, veteres& recentes? Herilij,Eretrici,Megarici, Pyrrhonei, aliæ multæ familiæ proſeminatæ ſunt tam inter ſe diſpares,tam diſiunctæ, vt nihil magis diſſimile fingi poſſit. atqui omnes ab iiſdem Socratis fontibus manatant.Sed dum aliud in Socraticis,diſpu

a *Diogen. Laer. lib. 1 cap. 1.*

b *Cic. li. 3. de Ora. Dio. Lae. in vita Soc.*

diſputationibus patientiã,& duritiem præcipuè miratur; alius maxime capitur voluptate alius cognitionem & ſcientiam præ ceteris rebus amplexatur? alius mediam quandam inter duritiem & diſſolutionem, ſententiam tuetur diſſentione ipſa diſcerpta,& quaſi diſciſſa Socraticorum doctrina vna cùm eſſet, multiplex & varia, ſuique diſſimilis effecta eſt:neque iam vlla ratione poſſumus eorũ vnam dicere fuiſſe mentem,cùm ſententiæ fuerint tam inter ſe diſſidentes ac diſcrepantes,& alius aliã viam, aliam ſectam, alia inſtituta perſequeretur. At eos omnes,quibus idem probabatur, vſque eò non ſegregamus, vt vulgò pro vno numeremus voluntates autem vt abalienantur odio,ſic amoris mutui vinculis arctiſſimè cõſtringuntur *a* habitat enim penitus,qui amat ,in eo quẽ diligit,vel quia omnia eius concilia quamuis abdita, & inuoluta cogitationeſque tacitas animo inueſtigat & euoluit:vel quia ſuſcipit perſonam ipſius eiuſque tum bona,tum mala, ducit ſua,atque eò ſenſim progreditur amando, vt à ſe ipſo alienus& abſtractus *b*,apud eùm magis quem amore proſequitur,quã apud ſe eſſe videatur, quod ſi is , qui diligitur, mutuũ facit, & ei qui ſe amat,parem atque accipit voluntatem reddit,tùm, illud profe-

a S. *Tho.* 1.2.*q*.27. *ad*3.*& q*. 28.*art*.1. *&* 2.

b *Auguſt.*

ctò euenit, quod eſt in amore ſummũ, vt alter in alterius pectore quodam modo viuat,& vnus è duobus animis mirâ quadam & inexplicabili ratione conflectur. Veriſſimè nobilis ille Pauli diſcipulus *a* Dionyſius Areopagita dixit amorem habere vim faciendi vnum & colligandi, præſtantique modo res inter ſe miſcendi. prudenter Hierotheus & nomine,& vitâ Deo ſacer, vt *b* idem commemorat, ſcriptum fecit, amorum eſſe vim cõiungentem ac miſcentem, rectè maiores noſtri conſuetudinem eam, quæ ab amore proficiſcitur, coniunctionem nominauerunt: ſi quidem deuinciuntur, & copulantur, & conglutinantur amantiũ, & eorum qui ſunt in amore, quamuis diuerſæ voluntates, vt non iam multæ; ſed vna putetur neque aliud quidquam eſt amori propoſitum, vt copioſè diſſerit *c* Ariſtophanes apud Platonem, niſi vt efficiat è duobus vnum. Itaque ſi Deus ab eis, qui amore iuncti mutuo, nunquam à ſe diſcedunt ſciſcitaretur, quid ſibi velint, quid optent, vnum ne fieri & tanquam vnus eſſet, ita & viuere, & mori, & poſt mortem etiam permanere, non dubitat auctor grauiſſimus, quin id vnum cupere ſe, id in optatis habere reſpõderent? quòd ſi quando a lipiſcerentur, tum demum nihil prætereà deſideraturos. Quid mul

a *Dion de diuinis nomin. c. 4.*

Hierotheus apud Dioniſiũ ibid.

c *Plato in conuiuio.*

multis opus eſt? literæ diuinæ quibus aliis verbis amoris vim amplificare ſolent, niſi ijs quæ adhæſionem ſignificant & copulationem? non *a* animum Sichemi cum Dina conglutinatum fuiſſe teſtantur? *b* non animos Ionathæ & Dauidis tradunt fuiſſe conglutinatos? qui verò vtitur hoc verbo in amore declarando, is oſtendit, tantam in eo vim eſſe, vt vnum animum efficiat è multis. Hoc igitur duplex eſt vinculum voluntatis & intelligentiæ, quo homines cum hominibus nectuntur: hæc gemina conglutinatio animorum in vnum coëuntium, quarum & vna ex altera ſæpe naſcitur & neutra per ſe ſine altera poteſt eſſe aut perfecta, aut diuturna. nam quo voluntas quadam inclinatione propendet eòdem vergit interdum etiam intelligentia: difficilliméque fit vt diſſentias ab eo, quem amas: & quorum opiniones ac ſententiæ inter ſe mirificè conſentiunt, eorum volũtates diſcrepare, & in contrarias partes impelli ferè non ſolent: & ſiue diſſentiant, ac inter ſe pugnent opiniones, coniunctio voluntatum nequit vel vnum planè animum efficere, vel retinere diutiùs, & conſeruare vim ſuam: ſiue diſſideant inter ſe voluntates atque diſcordent, neque ſola intelligentiæ conſenſio, & opinionum ſimilitudo per

a Gen. 34
b 1. Reg. 18

perfectè colligat, & conglutinat animos humanos? neque diu poſſunt, qui ſic affecti ſunt in eadem manere ſententia. At qui vbi ſumma eſt & mentium & voluntatum concordia, vt neque ſententiæ ſententiis, neque appetitiones appetitionibus repugnent & officiant, tum illud vnum oritur, quod quærimus, abſolutū ex omni parte, atque perfectum, cuius nuſquam in rebus humanis, præterquam in amicitia vera, ſimilitudo vlla reperitur a hinc à veteribus Latinis vnanimes & concordes appellati. hinc Ariſtotelis illud non minus in vulgus notum, quàm acutum & graue reſponſum, amicum animum eſſe vnum in corporibus duobus habitantem. hinc eiuſdem illa memorabilis, & vera ſententia? qui eadē velit alteri, quæ ſibi & in eum ſit non ſecus animatus, ac in ſe ipſum, qui pari dolore parique lætitiâ afficiatur, atque amicus: qui cū altero ſentiat, eademque non vnâ aliquâ animi parte, ſed toto animo expetat, hunc eſſe verum amicum atque germanum. hinc illa priſcorum ſapientium ab ipſa natura profecta & a pleriſque ſcriptoribus crebrò vſurpata vox, amicum eſſe alterum eundem. Quoties vidimus, P. B. quoties vidimus præſentes amicos, in adſpectu & ſermone mutuo acquieſcentes, incredibili cu-

a Laert. b Ariſt. vita Aug lib. 4. cō-feſ. c. 6. Ariſt. l. 9. Eth. ca. 4. & 2. Ret. cap. 4.

c Ariſt. l. 9. Ethic. c 4. Aug. li. 4. confeſ. c. 6.

mulari gaudio, & quadam voluptate ſine ſatietate paſci?abſentes autem & locorum interuallo diſiunctos, licet abundent aliis omnibus animi corporiſque bonis & externis in media tamen copia neſcio quid requirere, & angi animo, & tacito quodã deſiderio contabeſcere?Huius autẽ deſiderij, & doloris quam abitramur eſſe cauſſam? Nimirum cùm ſit vnus animus conflatus è duobus, alterum alterius dimidium eſſe neceſſe eſt, vt pereleganter prudens *a* poëta dixit, & cùm diuiduntur locis, vterque ſibi aliquid deeſſe ſentit, & eam, quæ abeſt, deſiderat partem ſui: vel potiùs cùm in amicitia perfecta vnus alteri fit alter ipſe, cùm longè abſunt, vterque ſe ipſum à ſe abeſſe dolet, & ſe ipſe præſens, requirit abſentem. Ab hôc tanto mentium voluntatumque cõſenſu ſimiles inter ſe prorſus functiones, actiones, officia, ſicut ab vno fonte manant. etenim ſi omnis hominũ vita intelligẽtiâ, & volũtate gubernatur, atque hæc ſunt nobis duo præcipua & faciendi, & agẽdi principia qui poteſt eorũ vitæ genus eſſe diſſimile, quorum ſenſus omnibus in rebus mirè congruant, cernimus eos quorum eſt inſignis inter ipſos animorum coniunctio, nõ ſolùm iiſdem ſtudiis teneri, iiſdẽ rebus delectari & dolere, ſed etiam vti ſimilia mictu, &

a *Hor. ode 3. lib. car.* *Auguſt. l. 4. Confeſſ cap. 6.*

& inceſſu, tanta eſt vis illius cōcordiæ, quæ mentes eorum voluntatesque cōſtrinxit, vt ne minimis quidem in rebus eos à ſe inuicem diſiungi ac diuelli patiatur. Verùm hanc tantam & animorum, & factorum cōſentionem, quantam vix in duobus, tribuſve paribus amicorum aliquando vidimus, vel audiuimus, vel legimus fuiſſe, in omnibus hominibus, tantâ varietate nationum, ciuitatum diſſimilitudine, diſcrepantiâ ſermonis atq; linguæ, ſine aliquo diuino munere & dono exiſtere poſſe credere, ſtultum eſt? cùm præſertim ne ciues quidem eiuſdem ciuitatis vt idem omninò ſentiant, idē velint? humanâ vi, & induſtriâ perfici poſſit. Magna eſt in rebus ipſis obſcuritas: magnæ in hominū ingeniis diſſimilitudines: celeriora, tardiora, acutiora, hebetiora: crebras, & graues oriri de rebus diſſentiones, neceſſe eſt. Legimus priſcorū philoſophorum libros diligenter & accuratè conſcriptos quàm multa non diuerſa modò, verùm etiam inter ſe pugnantia reperimus? mitto de natura? nam id magis fortaſſe ferendum videretur, de vita beata; de ſummo bono, de forma ciuitatis, de publicis priuatiſque moribus de virtutibus & vitiis: de rebus appetendis & fugiendis, & quod ad vitā bene ſanctéque inſtituēdam caput eſt, de natura

& immortalitate animorum ,quàm vehementer inter ſe,& quantâ contentione decertant? neque verò facilius eſt coniungere voluntates,& ad concordiam omnes omniũ appetitiones adducere. ſunt variæ corporum conſtitutiones,diſſimiles naturæ diuerſi mores: accedit educatio inſtitutioque puerilis; & diſciplina partim publica cuiuſque gẽtis atq; ciuitatis , partim priuata atq; domeſtica,quibus in rebus cùm tãta ſit differentia,quantam nemo verbis explicare queat,ſperandum non eſt amoris humani viribus effici poſſe,vt ſit omnium hominũ vna & eadem voluntas: at certè in rebus ad ſalutem æternam neceſſariis idem ſentire, idẽ velle ac nolle oportet eos qui ſalui eſſe velint. Quid hîc excogitauit. Deus optimus & maximus ille Deus qui nos ad hanc ſententiarum & voluntatum coniunctionẽ delegit, cõuocauit,aggregauit? quid excogitauit?quid fecit? Vide, P. B. quantum principi & parenti ſalutis noſtræ debeamus nullis noſtris promeritis, naturæ ſuæ ſingulari benignitate, duas nobis virtutes, fidem & caritatem dedit, vt quod aſſequi per nos ipſi non poſſemus, id diuino munere atque beneficio nõ magno negotio conſequeremur. fides cõtrarias de rebus neceſſariis opiniones ex animis euellit; caritas

 tollit

tollit omnia diſſidia voluntatum: fides quid omnes conueniat ſentire, demonſtrat; caritas ad ea eligenda, quæ amanda ſunt, animos accendit. fides conſpiratione ſententiarum, mentes coniungit; caritas amoris diuini vinculis, colligat voluntates. Contendebant antea multis de rebus diſſidentes inter ſe familiæ philoſophorũ, & cùm ſæpenumero contraria docerent, ſua quæque decreta confirmans, aliis etiam perſuadere nitebatur. Fides magna ex parte tollit è medio moleſtum illud perniciosumque certamen: vt etiam ſi nonnullis de rebus cõtraria exiſtimare non ſit nefas, de iis tamen, quæ ſunt prorſus ad beatam immortalitatem aſſequendam neceſſaria, idem omnes & ſẽtiamus, & loquamur. Quid enim ais philoſophe? quid in illis gymnaſiorum exedris otioſè reſidens, tumultuoſè vociferaris? an nullum eſſe Deum? at eſſe, fide pro explorato nos habemus. an humanam eum habere ſpeciem & figuram? at Deum corpore carere & ab omni concretione ſegregatum eſſe docet fides. an non regi res humanas prouidentia? at ne folium quidem vnũ ex arbore vel capillum ex hominũ capite defluere ſine diuina voluntate, fides tradit? nũ æternum eſſe mundum? at nouam rerum molitionem, & initium huius vniuerſitatis

fides nobis exponit. nihil ne omninò manere? nullum ſenſum reſidere poſt mortem? at noſtros animos immortales eſſe; & ad corpora ſua redituros aliquādo, fides oſtendit. aniles ne eſſe fabulas, improborum ſupplicia poſt obitū, præmia bonorum? at reddituros omnes Deo totius vitæ rationem, & digna quęque ſuis dictis atque factis vel præmia vel ſupplicia reportaturum, declarat fides. nullus error eſt, ab illa beata & immortali vita nos excludens, quem non radicitùs extrahat & exſtirpet fides. Multa conturbare ſolent hominum vitam, & alienant aliorum ab aliis voluntates, tantúmque vel odij, vel inuidiæ incendium excitant, vt nullâ queat hominum prudentiâ reſtingui. ea omnia caritas cùm omnino è medio tolli nequeant, ita debilitat & frangit, vt nulla iam pernicies ab illis impendeat iis, qui cæ-

a 1.cor.15. leſti amore ardēt. a eſt namque caritas magnanima in perferendo, benigna & lenis in condonando, in rebus aliorum ſecundis non inuida, non inhumana neque crudelis in aduerſis, incōſtanti leuitate nō fluctuat, contumaci ſuperbiâ non intumeſcit. honos vel ignominia proponitur, non ambitione incenditur, non iniuſtæ ignominiæ metu commouetur. ſpes quæſtus inuitat? nō ſuis magis commodis, quàm aliorum vel neceſ-

ſitati

ſitati, vel vtilitati ſeruit. offenditur? non excandeſcit iracundiâ. læditur? nemini vlciſcendi ſe cauſsâ machinatur aliquid. malis verbis improborum excitatur ad nocendum? nullius iniuriâ, vel incommodo delectatur. ad fallendum, ad fraudandum impellitur? veritate mirabiliter gaudet. quid eſt tam durum, tam aſperum, tam acerbum, quod non illa ferens æquo animo. libenter ſileri patiatur? quid is qui diligitur loqui poteſt, quod illa non credat? quid tā difficile, quid tam arduum videri, quod illa perficere ſe poſſe non ſperet? quid tam formidoloſum atque terribile, quod non illa vel ſuſtineat præſens, vel aduenieus excipiat animo erecto, parato, & inuicto? denique quidquid eſt, vnde diſcordiæ atque diſſidia naſci poſſint, id in eius animo nihil habet loci, quem diuinæ caritatis ardor inflammat. Quid ergo eſt? quoniam qui idem credunt, idem amāt idem ſperāt, eorum nec oratio verbis, nec moribus vita diſcrepare poteſt, fit vt omnes eiuſdem fidei, & diuini amoris vinculis deuincti, tum cùm ſermonis, tum vitæ genere mirificè concordent. Itaque S. Paulus omnia ſemina diſcordiarum è Chriſtianorum animis eruere contēdens, a Hebræos hortabatur, ne ſe variis doctrinis, & nouis, atque peregrinis à veri-

a *Ad Hebr.* 13.

a *Ad Cor. cap.* 1. tare, abduci ſinerent, & leuiter huc illuc cir-cumferri: *a* Corinthios obſecrabat, vt idem loquerentur, omnes, & ſine concertatione, ſine diſſidio, perfectè in omnibus rebus eſſent vnâ mente ſententiáque copulati: pro b *Ad Rom.* 9. *b* Romanis Deum verbis ſupplicibus orabat, vt quod quiſque de ſe, idem de aliis quoque ſentiret, quod eſt caritatis: rurſus c *Ad Cor.* 2. *c.* 13. *c* Corinthios admonebat, vt idē cogitarent & ſentirēt, quod efficit fides, & pacem cum omnibus haberent, quod præſtat caritas di- d *Ad Phi lip.* 2. uina: poſtremò *d* Philippenſes, vt idem ſentirent, eandem erga ſe mutuò caritatem & beneuolentiam haberent, grauiſſimis verbis obteſtabatur videlicet intelligebat, ad concordiam & animorum coniunctionem e *Ad Rom.* 15. *ad Phil.* 2. nos fuiſſe conuocatos, *e* vt vno animo, vno ore debitam Deo laudem, honorem, cultúmque tribuamus; & nos officio munerique noſtro non deeſſe cupiebat, quando Deus non defuiſſet ſuo: & rem tantam ſine fidei, caritatisque præſidiis non poſſe perfici ſentiebat. Et certè vnde inter hæreticos tum antiquos illos, tum hos nouos ac recētes tam multæ de rebus maximis contentiones ortæ, vt in eos vetus illud egregiè conueniat, *Quot capita, tot ſententiæ*; multóque vehementiùs ipſi inter ſe & pugnarint, & pugnent, quàm nobiſcum? nónne quòd

fidem

fidem communem mentium & ſententiarū nexum reiecerūt? vnde inter eos etiam, qui de rebus diuinis non aliter, quàm oportet, opinantur, & loquuntur, tum publicè, tum priuatim, tam diſſimiles vitæ rationes, tam diuerſi mores, tam inter ſe contraria ſtudia, & actiones? vnde tot ſimultates, tam graues inimicitiæ, tam acerba odia, tot bella, pugnæ, cædes? an non quia ſanctiſſimum caritatis & beneuolentiæ mutuæ nodum impiè ruperunt, vt etiamſi ſententiis congruant, appetitionibus tamen in diuerſas partes rapiantur? at verò qui fidem & caritatem integram retinuerunt, eorum tam firma & conſtans eſt, & ſemper fuit, opinionum voluntatúmque ſocietas: tanta dictorum factorúmque conſenſio, vt cùm vndique turbulentiſſimis diſcrepantium errorum fluctibus, & procellis exagitata fuerit, & etiam nunc exagitetur, nullâ vi tamen queat, nullo improbitatis turbine diſſolui. *a* vt quondam fuit totius multitudinis credentium cor vnum, & anima vna, ſic modò quicunque ſunt tales, quales homines Chriſtianos eſſe conuenit, vno animo vnâ ſententiâ, vnâ voluntate conſpirant. *b* Nullum eſt gentium, nullum ciuitatum diſcrimen: nihil intereſt vbi quiſque ſit natus: non refert quam ſecutus fuerit antè

a *Actor.* 4

Ad Romanos 10.

diſciplinam, modò ſe contulerit ad Chri-
ſtum, non eſt Iudæus, neque Græcus, nō eſt
ſeruus, neque liber, non eſt maſculus, neque
a Coloſ 3. femina, *a* ſed omnes gentes, conditione,
ſexu, ætate differentes, vnū ſumus in Chri-
b Cyril. ſto; quoniam omnia, & in omnibus Chri-
li. 11. *in* ſtus, *b* corpore, inquam, & ſpiritu vnum ſu-
Ioan.c. mus. diſiungimur quidem hoc naturali cor-
20. *&* pore hebeti & tardo: ſed cùm omnes ſan-
26. ctiſſimo Chriſti corpore ſanguinéque paſ-
c Ad Eph. camur, *c* cibi cœleſtis & potus communi-
3. *ad* Col. tate, vnum cum eo corpus efficimur, & eiuſ
3. *ad* dē myſtici corporis diuerſa quidem, ſed nō
Rom. 12. auulſa, neque ſeparata mēbra. ſumus animis
diuiſi, cùm animū quiſq; ſuū habeat ab al-
terius animo diuerſum: verùm in mentibus
d 1. *Cor.* omnium licèt diuiſis atq; ſeparatis, *d* vnus
12. & idem habitat Spiritus ſanctus. qui totum
e 1. *Cor.* 6 corpus Eccleſiæ velut animus format, fin-
git, quò vult, impellit, & regit. *e* is nos vnum
ſecum Spiritum reddit, quoniam qui adhæ-
ret Domino, vnus cum eo Spiritus eſt, con-
temnimus enim vitam hāc nobis cū beſtiis
communem, & ſancti Spiritus legibus om-
f 2. *Pet.* ninò paremus. *f* factique diuinæ naturę cō-
c. 1. ſortes, *g* filij Dei nominamur, & ſumus. e-
g *Ad Ro-* iuſdem Spiritus ſancti beneficio habitat in
man. 8. nobis Pater habitat Filius, habitat Spiritus
ſanctus, habitant omnes tres hypoſtaſes, v-

nus

nus Deus, qui nos inter nos admirabili quodãmodo, ſecúmque coniungit. *a ſi quis*, inquit, *diligit me ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* in quibus igitur habita idem Pater, idem Filius, idem Spiritus ſanctus, vnus & idem Deus: qui cum eo vnum & idem efficiuntur, hi non vnum, & idem inter ſe eſſe qui poſſunt? Nõ ſine cauſſa generis humani liberator illud poſuit in precatione ſua: *Sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint*; ſed illa diuina, quâ cuncta dixit & fecit ſapientia, tacitè ſignificare voluit, vt ipſe cum Patre eſt vnum, quod eiuſdem naturæ communione, penitus inſit alter in altero: ſic nos ad aliquam ſocietatẽ diuinitatis adſpirantes, quod idem ſit in omnibus Deus, & cum eo fide, & caritate copulati hæreamus, alios in aliis eſſe quodam modo, & omnes inter nos indiſſolubili nodo conſtrictos, in vnum quaſi corpus coïre debere. Hæc eſt Eccleſiæ Chriſtianæ diuinis virtutibus nixa conſenſio: hæc ſempiternæ Trinitatis imitatio: hæc tam abſtruſi myſterij ſimilitudo, quam Chriſtus in populo ſuo requirit. hæc eorum regio atque via, qui ad hunc tam altum dignitatis gradum adſcendere conantur. Vult ſeruitutis noſtræ

a Ioan.

Ioan. 17.

depulſor, dux, & parens libertatis, nos omnes in fide, in beneuolentia, & caritate mutua permanere, firmiſſimo pacis vinculo ſic inter nos coniugatos & connexos, vt hæc animorum coniunctio voluntaria, vnitatis naturalis trium perſonarum imago quædã videatur eſſe, nullóque modo neque iucundarum rerum illecebris diſſolui, neque triſtium exſpectatione & metu diſrumpi; aut diſcindi poſſit; ſed pietatis & ſanctitatis communione, integra ex omni parte inuiolatáque ſeruetur. Hîc nobis laborandum & ſudandum eſt: hîc ſtudium, hîc cogitatio, hîc cura defigenda, in hoc omnes corporis animíque nerui contendendi, ſi digni hoc nomine videri, quo iure optimo gaudemus, ſi vitâ beatâ & æternâ frui volumus, vt ad illam omnes mentes creatas ſuperantem diuinam hypoſtaſeon coniunctionem proximè, quoad noſtra feret mortalitas, accedamus. Illarum penitus eadem eſt intelligentia: noſtræ mentes, quamuis diuerſæ, tamen eiuſdem fidei decretis ſine vlla diſſenſione conſpirent. illarum vna prorſus eſt voluntas; noſtræ diſſimiles voluntates, ita mutuæ beneuolentiæ, & caritatis vinculis alligentur, vt nullâ vi queant, nullo periculo diuelli. illarum eadem eſt vis ac poteſtas, qua res omnes pariter, &

procreant, & tuentur, & regunt: ſic in nobis vnum, & idem vitæ genus, omnibus virtutibus inſignitum, ab eadem fide, & caritate proficiſcatur. Quid plura? non poſſumus omninò idem eſſe natura, ſi tanta fidei, & ſtudiorum, & voluntatum, & rectè factorum ſocietas atque conſenſus, vt tollatur omnium nationum delectus atque diſcrimen. a Si membra corporis inter ſe pugnare pernicioſum eſt, nõne omnes eiuſdem corporis partes ſumus? ſi quæ anima vna, & ſpiritu aluntur & reguntur, diſcrepare fœdum eſt, nónne totum corpus Eccleſiæ, cuius nos membra ſumus, eiuſdem ſancti Spiritus vi & numine continetur: ſi, qui pariter idem præmium exſpectant, ſperati boni ſocietate deuinciuntur, ánnon omnes ad eandem ſpem vitæ beatæ, & immortalis vocati ſumus? ſi qui numerantur in eiuſdem familia, concordes eſſe par eſt, num nos omnes communem dominum habemus Deum? ſi religio, & opinionum ſimilitudo coniungit animos, nónne omnes eandem diuinitùs hauſimus fidem? ſi ſacra, ſi cæremoniæ, ſi myſteria conglutinant voluntates, ánnon omnes eiuſdem baptiſmatis particeps ſumus, eadem ſacra colimus? eandem cæremoniam & cultum, aduerſus illam ſupremam beatámque naturam adhibe

a Ad E. p. 4.

hibemus? denique ſi fratrum diſſidia meritò reprehunduntur, nónne omnes filij Dei ſumus,& *a* occultâ ſancti Spiritus adoptione,quem anteà,etiam viri boni, vt ſeueriſſimum iudicem exhorreſcebant, eundem nos vno ore cum tacita quadam animi voluptate nominamus patrem? Liceat mihi, P.B. in hoc grauiſſimo concilio orbis terræ, ſimpliciter & ſine fuco aperire quid ſentiam;vos,patres ampliſſimi, bonam in partem,obſecro, accipite quæ dicam.Et ſi populus Chriſtianus vniuerſus hanc tantam cõcordiam amplecti,& colere ſtudioſè debet,nuſquam tamen tam incenſum eius cõſeruandæ ſtudium,quàm in hoc grauiſſimo ſanctiſſimóque cœtu, cenſi arbitror oportere.tu,P.B.quem iure iſtâ auctoritate tantâ,& maieſtate præditum videmus, Chriſti Opt. Max. locum obtines. vos, patres ampliſſimi, Apoſtolorum, qui cum illo erant, perſonam ſuſtinetis. vt Apoſtolis & inter ipſos,& cum magiſtro ſemper egregiè conuenit,ſic vos inter vos iunctos animis&cũcordes eſſe decet. qui excelſo in loco ætatem agunt,eorum vitam,ſingula dicta, atq; facta oculi multorum obſeruant. Si, quod Deus auertat, collegium hoc auguſtiſſimũ aliquâ diſcordiâ inteſtinâ laborabit, & aut ipſum à ſe,aut à ſuo principe & capite Chriſti

a Ad Rõ. 8. ad Gal. 4. ad Epheſ. 1.

ſti

ſti vicario diſſidebit, quid tandem mali non erit ſubeundum populo Chriſtiano? aut quę ſpes reſidebit, poſſe alios inter ſe iungi hac concordiâ cœleſti? ſin autem, quod ita ſemper futurum ſperamus, hoc concilium idem cum ſuo duce & ſentiet, & volet; ſi tu, P. B. nihil omnium gentium ſalute duces antiquius, ſi vos, patres ampliſſimi; ſemper memineritis, vos ob curæ ſimilitudinem quã omnibus gentibus æquabiliter à vobis pręſtari conſentaneum eſt, patres appellatos, & omnes homines in liberûm loco ducetis, quo ſtudio ceteri tum publicè, tum priuatim ad pacem incumbent? quàm facilè principum inimicitiæ, ſi quæ fuerint exortæ, delebuntur? quâ vitæ tranquillitate perfruemur? huc igitur, huc operam induſtriãque noſtram conferamus, & quoniam ad mirificam omnium rerum conſenſionem conuocati ſumus, demus operam, vt vitam, quemadmodum hoc tam præclaro fine dignum eſt, inſtituamus: humiliter ac demiſsè de nobis & ſentiamus, & loquamur: mites nos erga ceteros, leuéſque præbeamus; alij aliorum vel ineptias, vel iniurias æquo animo feramus: ſollicitudinem conſeruandi mutuâ concordiâ ſancti Spiritus communionem, nullo tempoie aut loco deponamus. Hoc Filius Dei quærens,

humanam induit naturam, cùm ſe ipſe ad homines pacificandos veniſſe profiteretur, hoc verbis, hoc factis docuit, hoc egit, dum inter homines fuit, hoc denique ſupremo vitæ tempore à Patre precatus eſt, vt ex omnibus gentibus vnum quaſi corpus Eccleſiæ conflaretur. hoc Petrus, hoc Paulus, hoc ceteri Apoſtoli à Chriſto docti, quantum ex ipſorũ ſcriptis intelligi poteſt, maximè contenderunt, vt in Eccleſia nulla eſſet de religione diſſenſio, nulla diſcrepantia voluntatũ, nullũ diſſidiũ morũ atque vitæ, quo maiore odio digni illi videri debẽt, qui amentia quadam & furore inſtincti, turbulentis ac ſeditioſis clamoribus Reipublicæ Chriſtianæ partes, tanquam eiuſdem corporis membra, diſtrahere ac diſcerpere conantur. Fuit conſuetudo ſemper hæreticorum, conſuetudini bonorum, & rectè de religione ſentientium cõtraria penitus & aduerſa. illi idem omnes loquebantur, hæretici nõ ſolùm alij ab aliis, verùm etiam ipſi à ſe nonnunquam vehementer diſſentiebant: illis erat Eccleſiæ concordia propoſita, hæreticis nihil niſi diſſidia, & ſeditiones: illi colligere diſperſos, & diſcrepãtes ad vnam reuocare ſententiam, componere res perturbatas, hæretici congregatos diſſipare, concordantes in multas diſſimiles ac in-

ter ſe pugnantes opiniones diſtrahere ſacra profana miſcere & conturbare nitebantur. Nihil de Nicolaitis dicam, nihil de Ebionitis, nihil de aliis impuriſſimis gregibus trāſfugarum, qui iam tum Apoſtolorum temporibus, magnos in Eccleſia tumult' & diſcordias perniciosas concitarunt. non colligam Arianos, Sabellianos, Eunomianos, Macedonianos, aliáſq; veteres Reipublicæ Chriſtianæ peſtes, quæ diuiſæ contrariis erroribus, magnas nobiléſque partes à toto corpore abſciſſas, ad perniciem & interitum abſtraxerunt. hos modò turbines, has Eccleſiæ procellas intuere animo, quæ noſtra patrúmque memoria, bonis parum vigilantibus, exſtiterunt. Nondum quinquageſimus annus eſt à Lutheri nefaria religionis oppugnatione. Audiuimus domeſtica, crudelia, & exitioſa bella Germaniæ, qualia nulla vnquam Barbaria cum ſua gente geſſit, quæ miſera nunc & perdita, non ſolùm ab Eccleſiæ communitate ſegregata, ſed etiam in hereticorū factione ampliùs octoginta diſtracta quotidie veteres opiniones contemnens, amplexans nouas, calamitatibus ipſa ſuis paſcitur & delectatur. Paucis abhinc annis Caluinus neſcio quis illuſtre ſuū nomē Eccleſiæ calamitate reddere velle cœpit. Vidimus propè oculis per hoſce duos

annos, & videmus totam Galliam in armis, non vſitato, non humano more tumultuantem, quàm multa oppida obſeſſa ſunt? quā multa vi capta & direpta? quot viri præſtantes, ereptis bonis, è ciuitatibus quique ſuis præcipites eiecti? quàm indignæ ſacerdotum, & monachorum factæ cædes? quæ ſtrages editæ? à quibus templis antiquis, religioſis, ornatis, & refertis impias & inceſtas manus illæ beſtiæ continuerunt? modò læti nuntij, modò triſtes afferuntur. recreamur, angimur, ſperamus, timemus: quæ ſi tam variè noſtrûm abſentium animos afficiunt, quid illis accidere putamus, qui ſingula mala præſentes, & acerbiſſima patriæ funera intuemur? vtinam dubiæ ac formidoloſæ res vetuſtiſſimi Chriſtianiſſimique regni meliores exitus habeant, quàm veremur: & illa pax ob indignam clariſſimi ducis necem facta cum obſeſſis, ad ſalutem potius illius gentis, quàm ad perniciem fuerit conſtituta: illi certè magno apud omnes odio eſſe debent, qui tam breui tot bella tam atrocia, tam calamitoſa conflare potuerunt. Vos ne generis humani peſtes, Eccleſiæ furiæ, faces patriæ, religionis hoſtes, ſacrorum prædones, labes ac ruina orbis terræ, vos, inquam, qui è ſtabulariis & cerdonibus, facti eſtis re-

peu:

pentè populi magiſtri & doctores, tãta critis confidentiâ & audaciâ, vt ſpretâ antiquâ diſciplinâ, ſanctiſſimis templis incenſis, effractis atque proſtratis pietatis maiorum monumentis, pollutis religionibus, cùm omnia iura diuina & humana, incredibili ſcelere violaueritis, in illis ganearum tenebris cibo vinoq; confecti, eructetis ſermonibus veſtris cædem piorũ, direptiones vrbium regnorũ vaſtationes & incẽdia? Magna immortali Deo, quẽ Reip. Chriſtianæ principem & cuſtodem verè nominamus habenda eſt gratia, P. B. quòd animum tuum magnum & excelſum qui ſecundum Chriſtum Opt. Max. dux & caput es Eccleſiæ, ad opem nobis in tantis calamitatibus ferendam excitauit, tu ad diſcutiendas errorum nubes &, corrigendã morum diſciplinam, Conciliũ œcumenicũ Tridẽtinum indixiſti: tu per legatos omnes Germaniæ principes, & liberas ciuitates ad remedium malorum accipiendum inuitaſti: tu viros eximiâ doctrinâ tum pontificiâ, tum diuini iuris, & ſacrarum literarum ſcientiâ præſtantes, ad vnamquamque rem examinandam tuâ liberalitate ſuſtentas: cùm eis apertè præcipias, vt nihil aliud dicant, niſi quod cum vero viderint conuenire: tu pœnarum metu recuſantes, & tergiuerſantes

ſingularum Eccleſiarum rectores, ad ſuum munus obeundū impellis; & ceteras Reip. Chriſtianæ partes afflictas propéque deſperatas, inſtitutis & decretis ſalutaribus; recreas & confirmas. Omitto cetera, quæ de te, P. B. dici poſſunt profectò aut nulla iam ſpes reliqua eſt retinendę pacis & concordiæ, aut ſi qua reliqua eſt, tota poſita eſt in tua vigilātia, labore, diligentia tua Perge igitur, bone paſtor, perge alere, tueri, ſanare gregem tuum, & cuius cauſſâ Ieſus Chriſtus princeps paſtorum omnium ſanguinem & vitam ſuā ſpōte profudit, in eius ſalute conſeruanda noli defatigari. Vos verò, patres ampliſſimi, quorum conſiliis Pius IV. Pontifex Max. regit & moderatur orbem terræ, incumbite, obſecro, incūbite in eam curam, quæ eſt maximè propria cùm muneris & officij, tum ſapientiæ veſtræ, & in omnes homines beneficētiæ. Tendunt ad vos ſupplices manus Pannonia, & Germania, quæ magna ex parte ſic impiorum impetu ſunt deformatę, vt veſtigia priſtinæ, ac veræ religionis vix vlla compareant: tendit Gallia, quæ amiſſo propè cognomēto maiorum pietate parto, regem ſuum à ſuis pacis cōditiones accipiētem adſpexit. Omnes quæ vbique ſunt nationes, veſtram opem exſpectant, veſtrum

auxi

auxilium ac miſericordiam implorant, vt reconciliatis tot ciuitatibus, & ſuo corpori reſtitutis conſenſione doctrinæ, cōiunctione voluntatum, honeſtate vitæ, illam diuinarum perſonarum naturæ vnitatem imitantes. quę modò credunt, videre poſt obitum poſſint, & ſempiternâ ac beatâ vitâ cum patre, & Filio, & Spiritu ſancto vno Deo perfruantur, cui in omnem æternitatem gloria, & imperium debetur.

PETRI IOANNIS PERPINIANI AD PIVM IV. PONT. MAX.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ORATIO X.

CLarior præſentiâ tuâ quàm Solis luce dies, & inopinato aduētu ad æternam poſteritatis memoriā cōſecratus, tātā nobis omnib' lętitię voluptate affert, P.B. quātā hęc tā illuſtris volūtatis erga nos ſignificatio, tuūq; ſummū orbis terræ de noſtra Societate iudiciū, debet afferre, ſed obſtat lętitię propè geſtiēti à tātā maieſtate profectus metus, & quantū illa remittit ac dilatat animos tātū hic contrahit, in anguſtūque deducit. Cuius enim quamuis paratam

& promptam audaciam nō impediat illius adſpectus, quem principis Apoſtolorum ſucceſſorem; Eccleſiæ vniuerſæ caput & Epiſcopum; ſummum Chriſtianæ religionis interpretem; omnium gentium parentem; alterum, quaſi Chriſtū inter homines eſſe confitemur? Quod ſi tantę nobis adeſſent vel rerum, vel orationis copiæ, quātas iſta maieſtas diuinæ proxima poſtulabat, eſſemus meliore animo, P. B. & aliquam officij tantæ beneuolentiæ debiti partē perſoluere certè conaremur. verùm & omnem domus exornandæ facultatem inopia præcidit; & laudum tuarum magnitudinem oratio noſtra reformidat; quæ magnoperè veretur, ne ſi tot res, tam inſignes, tam longè latéq; patentes coarctare; immenſumq; dicendi campum, modicis huiuſce dictionis perāguſtæ regionibus definire voluerit ab iis, qui te circunſtant, prudentiſſimis viris iure rideatur. Dicēt alij, quibus vberius flumen ingenij tributum eſt, ædificia, portas, vias, reſtituta templa, nouas munitiones vrbis, pulcherrimam & copioſiſſimā ſacrorum librorū officinā cōmemorabunt publicam reipublicæ Chriſtianæ pacem, quæ te Pontifice maximo ſic omnium principū animos mutuā caritate sēper tenuit deuinctos, vt vnus omnibus terris imperare videa

deatur celebrabuntur literis multorum, atque linguis diurni nocturníque labores tui, & illæ tam aſſiduæ vigiliæ atque curæ, quæ ad exſtirpandas falſas de rebus diuinis opiniones & errantes in viam reducendos penitus incubuerunt. conuentus illi Tridenni, tantáque ſummorũ hominum frequentia, & ſplendor ac decreta ſalutaria, te duce & auctore facta prædicabuntur, quę cùm omnia & auctoritate tuâ, quæ proximè ad diuiná accedit, comprobaris, & tam ſedulò ad exitum adducenda cures, nulla vnquam ætas de tuis laudibus cõticeſcet. Bella vero Galliæ pro veritate, pro bonis moribus, pro Reip. Chriſtianæ dignitate, contra perditorum hominum fraudem, corruptelas, conſiliáque nefaria ſuſcepta; & ſub ſidia fideliſſimę atq; antiquiſſimę prouinciæ propemodum oppreſſæ, regi optimo, & ſingulari pietate, à ſuis ferè circumuento; bonis deniq; omnibus in illa tanta perturbatione ac deſperatione rerum à te miſſa, quantam ad dicendum materiam, quantam ad ornandum copiam, quantam facultatem ad augendum illis præbebunt, quos Italia, ingenuarum artium ſecundum Gręciam parens, alit veteris eloquentiæ hæredes, quam quondam accepimus in hac vrbe fuiſſe verſatam? Ego verò te, P. S. cum vir

tutibus tuorum, tum actionum tuarũ ſplendore beatũ eſſe arbitror. nam cùm eos circum te habeas propinquitate coniunctiſſimos, de quibus nihil vnquã audiuimus alienum vel ab humanitate, vel à maieſtate tua? multa vero digna tuo nomine, digna genere, digna pietate; tu ipſe numquam ea meditari, dicere, agere deſiſtis, quæ iucũdam ad poſteros reddant tui Pontificatus memoriam ſempiternam. Mitto quibus, P.B. beneficiis publicè, priuatímque cumularis, non dicam quàm multa contuleris in alias familias ordinum religioſorum, noſtram hanc Societatem, vt tempore ſic etiã dignitate poſtremam, quanto fueris amore complexus, vt alia plurima & certiſſima argumenta prætercam, illa tua quotidiana liberalitas declarat, quæ cùm pecuniam non exiguam in ſingulos annos ad hanc tantam multitudinem alendã vltrò ſuppeditet, omnia à te ſumma nos expectare iubet. Conuerte, P.B. quoquo verſus iſtos oculos, indices lenitatis & beneficentiæ. hæc atria hos parietes, illum hortum, hæc tecta circumſpice quidquid intuebere, totũ id monumentum eſt humanitatis & liberalitatis tuæ tantò nobilius, quàm quæ in ornamẽtis & munitionibus vrbis conſtituta ſunt, quantò corporibus tardis & abiectis celeres

tes ac diuinæ mentes anteceſſunt. Et enim cùm anteà inquilini in hac vrbe erraremus, tu ſtatim vt Pontifex maximus creatus es, nos in hoc tam amplo & illuſtri domicilio collocaſti: quod cum omnia noſtra merita per ſe vincat, à tua tamen incredibili benignitate ſuperatur, quæ ſtudens vetera beneficia nouis augere, neque humilitatem noſtram, neque parietes inornatos nudóſque contempſit, ſed omnia magna & auguſta effici verè ſentiēs, quæ ipſa ſuâ luce decorarit, maieſtatem illam, cui anguſtus eſt orbis omnium terrarum, in hanc domum, velut in vnum vrbis angulum, totam incluſit, vt illud munus tantum hoc tacito quaſi teſtimonio de nobis multò & gratius, & illuſtrius redderetur. Quæ cùm ita ſint, P. B. quas tibi nos gratias nec agere, nec habere poſſumus, pro tuis beneficiis immortalibus ac diuinis, eas vt tibi reddat, ab illo architecto, & gubernatore mundi Deo perpetuò precabimur: & qui ſuſcepto vitæ inſtituto ſemper fuimus omnino tui, deinceps tum veteribus, tum recentibus meritis tuis, tibi magis obſtricti, pro noſtra virili parte, Deo bene iuuante, dabimus diligēter operam, ne qua pars officij noſtri iure requiratur: atque hoc bonarum artium ſepti comitatu quem cernis, vt adhuc fecimus, & ſe-

dis Apoſtolicæ maieſtati, & Eccleſiæ vniuerſæ tum ſaluti tum dignitati ſeruiemus. Tu, P. B. perge noſtræ Societatis vel potius tuæ, operam, ita vt facis, cùm in aliis rebus omnibus, tum in bene inſtituenda iuuentute verbis, auctoritate, re iuuare, quo maiores tibi fructus ferre poſſit, & illud ſtatue, quod certè exiſtimare debes, hos tam alacres tuæ poteſtatis adminiſtros in tuis maximis occupationibus, tantisq; de omnium gentium ſalute curis, tamen aliquâ tuæ prouidentiæ parte contineri.

PETRI IOANNIS PERPINIANI.

AD ROMANAM IVVENTVtem, de auita dicendi laude recuperanda.

ORATIO. XI.

GAudeo, patres religioſiſſimi, gaudeo, vehementerq; lætor, intermiſſum anno ſuperiore Rhetoricæ docendę munus, mihi rurſus hoc tempore fuiſſe mădatũ, & vt quid ſentio loquar, diuino conſilio factũ eſſe arbitror, vt apud ſapientiſſimos æquiſſimosque viros plus ad hanc prouinciã experto

perto deferendam communis multorũ vtilitas, quã ad laborem tantũ feſſo minuẽdũ, priuata vnius requies valeret. primũ enim, offertur mihi occaſio bene merendi. quod multò eſſe prçclarius, quàm accipere beneficium, cœleſtis hominũ magiſter aliquando cõfirmauit. deinde obſeruãtia erga eos, quibus omnes vitæ meç rationes vltrò cõmiſi, declaratur, quæ ſatis intelligi ac perſpici profectò non poteſt, niſi cum arduæ res ac difficiles imperantur. poſtremò hoc me etiam Romanæ iuuentuti debere intelligo, quæ cùm mirificum ſemper erga me ſtudium alacritate, frequentiâ, vbi opus erat, ſilentio; vbi res poſtulabat, oratione declararit, niſi ei ad ſummam eloquentiæ laudem eſſloreſcenti tantum ipſe prodeſſe coner, quantum poſſim, quod certè perexiguum quiddam eſſe video: ſed niſi omnes ætatis, & induſtriæ meæ neruos in ea adiuuanda cõtendã, iure ſanè optimo exiſtimer & dicar ingratus. Vos Romani iuuenes, pari ratione gaudere lætaríque debetis, nõ meâ minus quàm veſtrâ cauſſâ: veſtrâ, quoniam id nobis non petentibus datur, quod neſcio an vobis veniſſet in mentẽ poſtulare: meâ quoniam hoc officium meum mihi fructuoſum, iucundum vobis, Deo gratum & acceptum fore confido. Neque verô me

vnquam puduit, neque pudebit, quam aſſecutus ſum bene dicendi rationem, ſi tamen ſum aliquam aſſecutus, certè in qua tamdiu elaboraui, eā aliis explicare, in ea præſertim vrbe, quâ & ante, & poſt accepta religionis Chriſtianæ myſteria, ſummos homines artem eloquentiæ palam profitentes adſpexit: neque ſi Cicerones Victorinos, Auguſtinos auctores proferre non poſſem, cauſſæ quidquam eſſet, cur turpe eſſe ducerem eam docere artem, quæ viam ad orationis laudem cōmuniret: nam ſi noſtræ rationis veluti, fœtus quidam eſt oratio, neq; minus hæc hominum propria, quàm illa cenſetur, cur iis, qui logici vocantur, glorioſum ſit, rationē ad omnia ſua munera probè fungenda, monitis quibuſdam adiuuare, rhetoricis autem doctoribus hominum orationem ac multitudinis animos prudēter tractādos, certis præceptis conformare, turpe videatur? diſſidium equidem linguæ atque cordis patres religioſiſſimi, quod eloquentię pater abſurdum & inutile verè nominauit, ſemper improbaui: neque aut eos qui inflati opinione ſapientiæ eloquentiā contemnerent, aut eos, qui inani verborū ſonitu delectati, ſapientiam exagitarent, ſatis putaui eſſe perfectos: & illam ſummi oratoris, nec à philoſophiæ ſtudio abhor-

rentis

rentis vocem diuinam planè iudicaui nõ poſitè & aptè ſine ſententiis dicere inſaniã eſſe :ſententioſè autem ſine verborum & ordine & modo, infantiam; ſed eiuſmodi tamen infantiam,vt eâ qui vtãtur, nõ ſtulti homines haberi poſſint, etiam pleruмque prudentes eloquẽtem verò omnibus oportere ita rebus excellere,vt ei turpe ſit,quidquam aut ſpectari,aut audiri libentiùs.Hãc ego veram & germanã eloquentiam puto, quã idem ille grauiſſimo nomine copioſè loquentem ſapientiam nuncupauit. hæc ex cognitione rerum exiſtit,adiuante naturâ & exercitatione:perficitur autem velut extrema præceptoris manu, vt eam non immeritò quendam quaſi ſapientiæ partum dicere poſſimus. Præclarè illud Horatius, vt alia multa,quod in mentibus omnium qui copioſè & ornatè loqui volunt, perpetuò infixum eſſe debet:

Scribendi rectè ſapere eſt & principiũ & fons. *De arte. poet.*

Multos ille vel poëtas,vel qui poëtæ videri vellent,quotidie ſcriptitare,non ignorabat, magnarum artium & doctrinæ ſubtilioris expertes:plenum tamen & graue carmen, dignum auribus eruditis,niſi ab eo, qui pectus antè compleſſet plurimarũ & maximarum rerum ſcientia cõponi nõ poſſe ſentiebat.Quod ſi poëta, cuius omne

ſingularum Eccleſiarum rectores, ad ſuum munus obeundũ impellis; & ceteras Reip. Chriſtianæ patres afflictas propeque deſperatas, inſtitutis & decretis ſalutaribus; recreas & confirmas. Omitto cetera, quæ de re, P. B. dici poſſunt profectò aut nulla iam ſpes reliqua eſt retinendę pacis & concordiæ, aut ſi qua reliqua eſt, tota poſita eſt in hac vigilãtia, labore, diligentia tua Perge igitur, bone paſtor, perge alere, tueri, ſanare gregem tuum, & cuius cauſſâ Ieſus Chriſtus princeps paſtorum omnium ſanguinem & vitam ſuã ſpõte profudit, in eius ſaluté conſeruanda noli defatigari. Vos verò, patres ampliſſimi, quorum conſiliis Pius IV. Pontifex Max. regit & moderatur orbem terræ, incumbite, obſecro, incũbite in eam curam, quæ eſt maximè propria cùm muneris & officij, tum ſapientiæ veſtræ, & in omnes homines beneficẽtiæ. Tendunt ad vos ſupplices manus Pannonia, & Germania, quæ magna ex parte ſic impiorum impetu ſunt deformatę, vt veſtigia priſtinæ, ac veræ religionis vix vlla compareant: tendit Gallia, quæ amiſſo propè cognomẽto maiorum pietate parto, regem ſuum à ſuis pacis cõditiones accipiẽtem adſpexit. Omnes quæ vbique ſunt nationes, veſtram opem exſpectant, veſtrum auxi

auxilium ac miſericordiam implorant, vt reconciliatis tot ciuitatibus, & ſuo corpori reſtitutis conſenſione doctrinæ, cõiunctione voluntatum, honeſtate vitæ, illam diuinarum perſonarum naturæ vnitatem imitantes. quę modò credunt, videre poſt obitum poſſint, & ſempiternâ ac beatâ vitâ cum patre, & Filio, & Spiritu ſancto vno Deo perfruantur, cui in omnem æternitatem gloria, & imperium debetur.

PETRI IOANNIS PERPINIANI *AD PIVM IV. PONT. MAX.* ORATIO X.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Clarior præſentiâ tuâ quàm Solis luce dies, & inopinato aduẽtu ad æternam poſteritatis memoriã conſecratus, tãtã nobis omnibꝰ lętitię voluptatẽ affert, P.B. quãtã hęc tã illuſtris volũtatis erga nos ſignificatio, tuũq; ſummũ orbis terræ de noſtra Societate iudiciũ, debet afferre, ſed obſtat lętitię propè geſtiẽti à tãtâ maieſtate profectus metus, & quantũ illa remittit ac dilatat animos tãtũ hic contrahit, in anguſtũque deducit. Cuius enim quamuis paratam

& promptam audaciam nō impediat illius adſpectus, quem principis Apoſtolorum ſucceſſorem; Eccleſiæ vniuerſæ caput & Epiſcopum; ſummum Chriſtianæ religionis interpretem; omnium gentium parentem; alterum, quaſi Chriſtū inter homines eſſe confitemur? Quod ſi tantę nobis adeſſent vel rerum, vel orationis copiæ, quātas iſta maieſtas diuinæ proxima poſtulabat, eſſemus meliore animo, P. B. & aliquam officij tantæ beneuolentiæ debiti partē perſoluere certè conaremur. verùm & omnem domus exornandæ facultatem inopia præcidit; & laudum tuarum magnitudinem oratio noſtra reformidat; quæ magnoperè veretur, ne ſi tot res, tam inſignes, tam longè lateq; patentes coarctare; immenſumq; dicendi campum, modicis huiuſce dictionis peráguſtæ regionibus definire voluerit ab iis, qui te circunſtant, prudentiſſimis viris iure rideatur. Dicēt alij, quibus vberius flumen ingenij tributum eſt, ædificia, portas, vias, reſtituta templa, nouas munitiones vrbis, pulcherrimam & copioſiſſimā ſacrorum librorū officinā cōmemorabunt publicam reipublicæ Chriſtianæ pacem, quæ te Pontifice maximo, ſic omnium principū animos mutuâ caritate sēper tenuit deuinctos, vt vnus omnibus terris imperare videa

deatur celebrabuntur literis multorum, atque linguis diurni nocturníque labores tui, & illæ tam aſſiduæ vigiliæ atque curæ, quæ ad exſtirpandas falſas de rebus diuinis opiniones & errantes in viam reducendos penitus incubuerunt. conuentus illi Tridenni, tantáque ſummorũ hominum frequentia, & ſplendor ac decreta ſalutaria, te duce & auctore facta prædicabuntur, quę cùm omnia & auctoritate tuâ, quæ proximè ad diuinã accedit, comprobaris, & tam ſedulò ad exitum adducenda cures, nulla vnquam ætas de tuis laudibus cõticeſcet. Bella vero Galliæ pro veritate, pro bonis moribus, pro Reip. Chriſtianæ dignitate, contra perditorum hominum fraudem, corruptelas, conſiliáque nefaria ſuſcepta; & ſubſidia fideliſſimę atq; antiquiſſimę prouinciæ propemodum oppreſſæ, regi optimo, & ſingulari pietate, à ſuis ferè circumuento; bonis deniq; omnibus in illa tanta perturbatione ac deſperatione rerum à te miſſa, quantam ad dicendum materiam, quantam ad ornandum copiam, quantam facultatem ad augendum illis præbebunt, quos Italia, ingenuarum artium ſecundum Gręciam parens, alit veteris eloquentiæ hæredes, quam quondam accepimus in hac vrbe fuiſſe verſatam? Ego verò te, P. S. cum vir

tutibus tuorum, tum actionum tuarũ ſplendore beatũ eſſe arbitror. nam cùm eos circum te habeas propinquitate coniunctiſſimos, de quibus nihil vnquã audiuimus alienum vel ab humanitate, vel à maieſtate tua? multa vero digna tuo nomine, digna genere, digna pietate; tu ipſe numquam ea meditari; dicere, agere deſiſtis, quæ iucũdam ad poſteros reddant tui Pontificatus memoriam ſempiternam. Mitto quibus, P.B. beneficiis publicè, priuatímque cumularis, non dicam quàm multa contuleris in alias familias ordinum religioſorum, noſtram hanc Societatem, vt tempore ſic etiã dignitate poſtremam, quanto fueris amore complexus, vt alia plurima & certiſſima argumenta prætercam, illa tua quotidiana liberalitas declarat, quæ cùm pecuniam non exiguam in ſingulos annos ad hanc tantam multitudinem alendã vltrò ſuppeditet, omnia à te ſumma nos expectare iubet. Conuerte, P.B. quoquo verſus iſtos oculos, iudices lenitatis & beneficentiæ. hæc atria hos parietes, illum hortum, hæc tecta circumſpice quidquid intuebere, totũ id monumentum eſt humanitatis & liberalitatis tuæ tantò nobilius, quàm quæ in ornamẽtis & munitionibus vrbis conſtituta ſunt, quantò corporibus tardis & abiectis celeres

tes ac diuinæ mentes antecellunt. Et enim cùm anteà inquilini in hac vrbe erraremus, tu ſtatim vt Pontifex maximus creatus es, nos in hoc tam amplo & illuſtri domicilio collocaſti: quod cum omnia noſtra merita per ſe vincat, à tua tamen incredibili benignitate ſuperatur, quæ ſtudens vetera beneficia nouis augere, neque humilitatem noſtram, neque parietes inornatos nudóſque contempſit, ſed omnia magna & auguſta effici verè ſentiẽs, quæ ipſa ſuâ luce decorarit, maieſtatem illam, cui anguſtus eſt orbis omnium terrarum, in hanc domum, velut in vnum vrbis angulum, totam incluſit, vt illud munus tantum hoc tacito quaſi teſtimonio de nobis multò & gratius, & illuſtrius redderetur. Quæ cùm ita ſint, P. B. quas tibi nos gratias nec agere, nec habere poſſumus, pro tuis beneficiis immortalibus ac diuinis, eas vt tibi reddat, ab illo architecto, & gubernatore mundi Deo perpetuò precabimur: & qui ſuſcepto vitæ inſtituto ſemper fuimus omnino tui, deinceps tum veteribus, tum recentibus meritis tuis, tibi magis obſtricti, pro noſtra virili parte, Deo bene iuuante, dabimus diligẽter operam, ne qua pars officij noſtri iure requiratur: atque hoc bonarum artium ſepti comitatu quem cernis, vt adhuc fecimus, & ſe-

dis Apoſtolicæ maieſtati, & Eccleſiæ vniuerſæ tum ſaluti tum dignitati ſeruiemus. Tu, P. B. perge noſtræ Societatis vel potius tuæ, operam, ita vt facis, cùm in aliis rebus omnibus, tum in bene inſtituenda iuuentute verbis, auctoritate, re iuuare, quo maiores tibi fructus ferre poſſit, & illud ſtatue, quod certè exiſtimare debes, hos tam alacres tuæ poteſtatis adminiſtros in tuis maximis occupationibus, tantisq; de omnium gentium ſalute curis, tamen aliquâ tuæ prouidentiæ parte contineri.

PETRI IOANNIS PERPINIANI.

AD ROMANAM IVVENTVtem, de auita dicendi laude recuperanda.

ORATIO. XI.

GAudeo, patres religioſiſſimi, gaudeo, vehementerq; lætor, intermiſſum anno ſuperiore Rhetoricæ docendę munus, mihi rurſus hoc tempore fuiſſe mādatū, & vt quid ſentio loquar, diuino conſilio factū eſſe arbitror, vt apud ſapientiſſimos æquiſſimosque viros plus ad hanc prouinciā experto

perto deferendam communis multorũ vtilitas,quã ad laborem tantũ feſſo minuẽdũ, priuata vnius requies valeret. primũ enim, offertur mihi occaſio bene merendi. quod multò eſſe prçclarius,quàm accipere beneficium,cœleſtis hominũ magiſter aliquando cõfirmauit. deinde obſeruãtia erga eos, quibus omnes vitæ meç rationes vltrò cõmiſi,declaratur, quæ ſatis intelligi ac perſpici profectò non poteſt, niſi cum arduæ res ac difficiles imperantur. poſtremò hoc me etiam Romanæ iuuentuti debere intelligo, quæ cùm mirificum ſemper erga me ſtudium alacritate, frequentiâ, vbi opus erat,ſilentio; vbi res poſtulabat, oratione declararit, niſi ei ad ſummam eloquentiæ laudem efflorefcenti tantum ipſe prodeſſe coner,quantum poſſim,quod certè perexiguum quiddam eſſe video: ſed niſi omnes ætatis,& induſtriæ meæ neruos in ea adiuuanda cõtendã,iure ſanè optimo exiſtimer & dicar ingratus. Vos Romani iuuenes,pari ratione gaudere lætaríque debetis, nõ meâ minus quàm veſtrâ cauſſâ:veſtrâ,quoniam id nobis non petentibus datur, quod neſcio an vobis veniſſet in mentẽ poſtulare: meâ quoniam hoc officium meum mihi fructuoſum,iucundum vobis, Deo gratum & acceptum fore confido. Neque verô me

rentis vocem diuinam planè iudicaui nõ poſitè & aptè ſine ſententiis dicere inſaniã eſſe: ſententioſè autem ſine verborum & ordine & modo, infantiam; ſed eiuſmodi tamen infantiam, vt eâ qui vtãtur, nõ ſtulti homines haberi poſſint, etiam plerumque prudentes eloquẽtem verò omnibus oportere ita rebus excellere, vt ei turpe ſit, quidquam aut ſpectari, aut audiri libentiùs. Hãc ego veram & germanã eloquentiam puto, quã idem ille grauiſſimo nomine copioſè loquentem ſapientiam nuncupauit. hæc ex cognitione rerum exiſtit, adiuuante naturâ & exercitatione: perficitur autem velut extrema præceptoris manu, vt eam non immeritò quendam quaſi ſapientiæ partum dicere poſſimus. Præclarè illud Horatius, vt alia multa, quod in mentibus omnium qui copioſè & ornatè loqui volunt, perpetuò infixum eſſe debet:

Scribendi rectè ſapere eſt & principiũ & fons. *De arte. poet.*

Multos ille vel poëtas, vel qui poëtæ videri vellent, quotidie ſcriptitare, non ignorabat, magnarum artium & doctrinæ ſubtilioris expertes: plenum tamen & graue carmen, dignum auribus eruditis, niſi ab eo, qui pectus antè compleſſet plurimarũ & maximarum rerum ſcientia, cõponi nõ poſſe ſentiebat. Quod ſi poëta, cuius omne ſtu

ſtudium aurium tantùm delectationem aucupatur, ſine reconditis exquiſitiſque diſciplinis non omninò creditur eſſe perfectus; oratorem, qui magis vtilitati ſeruit, quàm voluptati, nec oblectate ſolùm audientium animos, ſed quod vult etiam ab eis obtinere & efficere conatur, quis excellentem eſſe poſſe arbitretur, niſi omnem optimarum artium doctrinam mente fuerit antè complexus? Non hoc arbitrabatur Platonicus Socrates, qui cum Phædro adoleſcente colloquens, ideò Periclem principem Athenienſium affirmat, omnibus aliis dicendi gloriâ pręſtitiſſe, quòd doctorem nactus Anaxagoram, eximium virũ, cùm ab eo diligenter omnem naturæ ſubtilitatem cognouiſſet, tantum inde quantum erat opus, ad hoc bene dicendi ſtudium tranſtuliſſet: non princeps & parens ille Romanæ copiæ, qui ne phyſicorum quidem ignarum eſſe vult oratorem ſuum, vt omnia, cùm ſe à cœleſtibus rebus transferret ad humanas, excelſiùs magnificentiúſque & dicat, & ſentiat. Illa igitur inanis profluentiæ, & ſtultitiæ loquacis fucata ſpecies, multis verborum quaſi medicamentis oblita; rerum ſucco, & ſanguine, & eo qui ſanguine diffunditur, colore carens, quam nunc ferè ſolam imperiti falſò eloquentiam vocant,

In Phædr.

om

omnium eſt irriſione ludenda; hæc, hæc præclara eloquentiæ, forma ſpecioſa verbis, admirabilis rebus, quam vnam veteres tam graui, & honeſto nomine dignã putauerunt, iis, qui plurimùm oratione valerè ſtudent, adamanda eſt: de qua dum ea dico, quæ hoc tempore, his auditoribus dicenda ſunt: & Romanam iuuentutem adhortor ad patriam, auitámque Latinè dicendi gloriã recuperandam, vos, patres religioſiſſimi, oro & obteſtor, vt quâ ſoletis beneuolentiâ, & humanitate, verba mea audiatis. Veſtra enim eſt, ſi verè loqui volumus, veſtra eſt, Romani iuuenes, hæc omnis Latinæ copiæ poſſeſſio: quæ quoniam in eam quaſi caducám, atque vacuam exteræ nationes permultæ vobis aliud agentibus inuolauerunt, hoc maiori ſtudio vobis aſſerenda & vindicanda eſt, quod cùm nulli facultatì neque de dignitate, neque de vtilitate concedat, non difficillimè recuperari & retineri poteſt. Nolim aliter hæc accipi, atq; à me dicuntur. Cogor ita loqui peracerbo quodam animi mei ſenſu & dolore, quem capio, cùm huius ciuitaiś excellentem dignitatem, in aliis rebus magna ex parte cõſeruatam, in hac vna propè ad nihilũ recidiſſe cogito. Græcia quondã & militari virtute, & doctrinæ atque eloquentiæ laude florens

tutibus tuorum, tum actionum tuarũ ſplendore beatũ eſſe arbitror. nam cùm eos circum te habeas propinquitate coniunctiſſimos, de quibus nihil vnquã audiuimus alienum vel ab humanitate, vel à maieſtate tua? multa vero digna tuo nomine, digna genere, digna pietate; tu ipſe numquam ea meditari, dicere, agere deſiſtis, quæ iucũdam ad poſteros reddant tui Pontificatus memoriam ſempiternam. Mitto quibus, P.B. beneficiis publicè, priuatímque cumularis, non dicam quàm multa contuleris in alias familias ordinum religioſorum: noſtram hanc Societatem, vt tempore ſic etiã dignitate poſtremam, quanto fueris amore complexus, vt alia plurima & certiſſima argumenta prætercam, illa tua quotidiana liberalitas declarat, quæ cùm pecuniam non exiguam in ſingulos annos ad hanc tantam multitudinem alendã vltrò ſuppeditet, omnia à te ſumma nos expectare iubet. Conuerte, P.B. quoquo verſus iſtos oculos, indices lenitatis & beneficentiæ: hæc atria hos parietes, illum hortum, hæc tecta circumſpice quidquid intuebere, totũ id monumentum eſt humanitatis & liberalitatis tuæ tantò nobilius, quàm quæ in ornamẽtis & munitionibus vrbis conſtituta ſunt, quantò corporibus tardis & abiectis celeres

res ac diuinæ mentes antecellunt. Et enim cùm anteà inquilini in hac vrbe erraremus, tu ſtatim vt Pontifex maximus creatus es, nos in hoc tam amplo & illuſtri domicilio collocaſti: quod cum omnia noſtra merita per ſe vincat, à tua tamen incredibili benignitate ſuperatur, quæ ſtudens vetera beneficia nouis augere, neque humilitatem noſtram, neque parietes inornatos nudóſque contempſit, ſed omnia magna & auguſta effici verè ſentiēs, quæ ipſa ſuâ luce decorarit, maieſtatem illam, cui anguſtus eſt orbis omnium terrarum, in hanc domum, velut in vnum vrbis angulum, totam incluſit, vt illud munus tantum hoc tacito quaſi teſtimonio de nobis multò & gratius, & illuſtrius redderetur. Quæ cùm ita ſint, P. B. quas tibi nos gratias nec agere, nec habere poſſumus, pro tuis beneficiis immortalibus ac diuinis, eas vt tibi reddat, ab illo architecto, & gubernatore mundi Deo perpetuò precabimur: & qui ſuſcepto vitæ inſtituto ſemper fuimus omnino tui, deinceps tum veteribus, tum recentibus meritis tuis, tibi magis obſtricti, pro noſtra virili parte, Deo bene iuuante, dabimus diligēter operam, ne qua pars officij noſtri iure requiratur: atque hoc bonarum artium ſepti comitatu quem cernis, vt adhuc fecimus, & ſe-

dis Apoſtolicæ maieſtati, & Eccleſiæ vniuerſæ tum ſaluti tum dignitati ſeruiemus. Tu, P. B. perge noſtræ Societatis vel potius tuæ, operam, ita vt facis, cùm in aliis rebus omnibus, tum in bene inſtituenda iuuentute verbis, auctoritate, re iuuare, quo maiores tibi fructus ferre poſſit, & illud ſtatue, quod certè exiſtimare debes, hos tam alacres tuæ poteſtatis adminiſtros in tuis maximis occupationibus, tantisq; de omnium gentium ſalute curis, tamen aliquâ tuæ prouidentiæ parte contineri.

PETRI IOANNIS PERPINIANI.

AD ROMANAM IVVENTVtem, de auita dicendi laude recuperanda.

ORATIO. XI.

GAudeo, patres religioſiſſimi, gaudeo, vehementerq; lætor, intermiſſum anno ſuperiore Rhetoricæ docendę munus, mihi rurſus hoc tempore fuiſſe mãdatũ, & vt quid ſentio loquar, diuino conſilio factũ eſſe arbitror, vt apud ſapientiſſimos æquiſſimosque viros plus ad hanc prouinciã ex-

perto deferendam communis multorũ vtilitas, quã ad laborem tantũ feſſo minuẽdũ, priuata vnius requies valeret. primũ enim, offertur mihi occaſio bene merendi. quod multò eſſe pręclarius, quàm accipere beneficium, cœleſtis hominũ magiſter aliquando cõfirmauit. deinde obſeruãtia erga eos, quibus omnes vitæ meę rationes vltrò cõmiſi, declaratur, quæ ſatis intelligi ac perſpici profectò non poteſt, niſi cum arduæ res ac difficiles imperantur. poſtremò hoc me etiam Romanæ iuuentuti debere intelligo, quæ cùm mirificum ſemper erga me ſtudium alacritate, frequentiâ, vbi opus erat, ſilentio; vbi res poſtulabat, oratione declararit, niſi ei ad ſummam eloquentiæ laudem efflorеſcenti tantum ipſe prodeſſe coner, quantum poſſim, quod certè perexiguum quiddam eſſe video: ſed niſi omnes ætatis, & induſtriæ meæ neruos in ea adiuuanda cõtendã, iure ſanè optimo exiſtimer & dicar ingratus. Vos Romani iuuenes, pari ratione gaudere lætaríque debetis, nõ meâ minus quàm veſtrâ cauſſâ: veſtrâ, quoniam id nobis non petentibus datur, quod neſcio an vobis veniſſet in mentẽ poſtulare: meâ quoniam hoc officium meum mihi fructuoſum, iucundum vobis, Deo gratum & acceptum fore confido. Neque verô me

rentis vocem diuinam planè iudicaui nō poſitè & aptè ſine ſententiis dicere inſaniā eſſe:ſententioſè autem ſine verborum & ordine & modo, infantiam; ſed eiuſmodi tamen infantiam,vt eâ qui vtātur, nō ſtulti homines haberi poſſint, etiam plerumque prudentes eloquētem verò omnibus oportere ita rebus excellere,vt ei turpe ſit,quidquam aut ſpectari,aut audiri libentiùs.Hāc ego veram & germanā eloquentiam puto, quā idem ille grauiſſimo nomine copioſè loquentem ſapientiam nuncupauit. hæc ex cognitione rerum exiſtit,adiuuante naturâ & exercitatione:perficitur autem velut extrema præceptoris manu, vt eam non immeritò quendam quaſi ſapientiæ partum dicere poſſimus. Præclarè illud Horatius, vt alia multa,quod in mentibus omnium qui copioſè & ornatè loqui volunt, perpetuò infixum eſſe debet:

Scribendi rectè ſapere eſt & principiū & fons. *De arte. poet.*

Multos ille vel poëtas,vel qui poëtæ videri vellent,quotidie ſcriptitare,non ignorabat, magnarum artium & doctrinæ ſubtilioris expertes:plenum tamen & graue carmen, dignum auribus eruditis,niſi ab eo, qui pectus antè compleſſet plurimarū & maximarum rerum ſcientia cōponi nō poſſe ſentiebat.Quod ſi poëta, cuius omne

ſtu

ſtudium aurium tantùm delectationem aucupatur, ſine reconditis exquiſitiſque diſciplinis non omninò creditur eſſe perfectus; oratorem, qui magis vtilitati ſeruit, quàm voluptati, nec oblectare ſolùm audientium animos, ſed quod vult etiam ab eis obtinere & efficere conatur, quis excellentem eſſe poſſe arbitretur, niſi omnem optimarum artium doctrinam mente fuerit antè complexus? Non hoc arbitrabatur Platonicus. Socrates, qui cum Phædro adoleſcente colloquens, ideò Periclem principem Athenienſium affirmat, omnibus aliis dicendi gloriâ prçſtitiſſe, quòd doctorem nactus Anaxagoram, eximium virũ, cùm ab eo diligenter omnem naturæ ſubtilitatem cognouiſſet, tantum inde quantum erat opus, ad hoc bene dicendi ſtudium tranſtuliſſet: non princeps & parens ille Romanæ copiæ, qui ne phyſicorum quidem ignarum eſſe vult oratorem ſuum, vt omnia, cùm ſe à cœleſtibus rebus transferret ad humanas, excelſiùs magnificentiúſque & dicat, & ſentiat. Illa igitur inanis profluentiæ, & ſtultitiæ loquacis fucata ſpecies, multis verborum quaſi medicamentis oblita; rerum ſucco, & ſanguine, & eo qui ſanguine diffunditur, colore carens, quam nunc ferè ſolam imperiti falſò eloquentiam vocant,

In Phædr.

om

omnium eſt irriſione ludenda; hæc, hæc præclara eloquentiæ, forma ſpecioſa verbis, admirabilis rebus, quam vnam veteres tam graui, & honeſto nomine dignã putauerunt, iis, qui plurimùm oratione valerè ſtudent, adamanda eſt: de qua dum ea dico, quæ hoc tempore, his auditoribus dicenda ſunt: & Romanam iuuentutem adhortor ad patriam, auitámque Latinè dicendi gloriã recuperandam, vos, patres religioſiſſimi, oro & obteſtor, vt quâ ſoletis beneuolentiâ, & humanitate, verba mea audiatis. Veſtra enim eſt, ſi verè loqui volumus, veſtra eſt, Romani iuuenes, hæc omnis Latinæ copiæ poſſeſſio: quæ quoniam in eam quaſi caducam, atque vacuam exteræ nationes permultæ vobis aliud agentibus inuolauerunt, hoc maiori ſtudio vobis aſſerenda & vindicanda eſt, quod cùm nulli facultati neque de dignitate, neque de vtilitate concedat, non difficillimè recuperari & retineri poteſt. Nolim aliter hæc accipi, atq; à me dicuntur. Cogor ita loqui peracerbo quodam animi mei ſenſu & dolore, quem capio, cùm huius ciuitaiś excellentem dignitatem, in aliis rebus magna ex parte cõſeruatam, in hac vna propè ad nihilũ recidiſſe cogito. Græcia quondã & militari virtute, & doctrinæ atque eloquentiæ laude florens

puli Romani tenebantur, permanauit. Itaq; non è Latio ſolùm, ſed etiã ex vtraq; Gallia, ex vltima Hiſpania oratores non pauci numerabantur. Verùm vt ab Atticis alij Græci oratores, ſic Latini ciſalpini, & tranſalpini omnes à Romanis, etiã ſi cæteris, rebus pares eſſent, tamen certâ quadam voce propriâ Romani generis, & neſcio quo vrbanitatis colore vincebantur. Poſteà multis variiſque caſibus, & luctuoſis oppreſſâ repub. qui dies imperandi potẽtiſſimo populo, idem finem pariter attulit bene dicẽdi: vos verò, quæ vobis à maioribus eloquentiæ veræ iure veniebat hæreditas, eam hæreditatẽ omnem, nullâ veſtrâ culpâ, ſolâ humanarum rerum varietate perdidiſtis. at quam hereditatem pro Deũ immortalem? quâ ſiue copioſè loquendi finem, ſiue vſum ſpectare velimus, neſcio an quidquã in rebus humanis poſſit aut nobilius, aut fructuoſius inueniri. Hoc à me ita dici nemo mirabitur, cuius in animo illa quã initio depinxi verbis, eloquẽtiæ pulcherrima ſpecies inſidebit. Quid enim eſt oratori propoſitum in dicendo? quonam omnes eius conatus referuntur? quò illa ſpectat animi & virium tanta contentio? nimirum eò, vt auditorum animos in quamcumque partem velit, impellat, & efficiat, aque ingeneret

neret in eorum mentibus perſuaſionem, nõ eam, quæ à ſubtili & accurato docendi genere profecta, veram & exquiſitam rei propoſitæ ſcientiã parit, quam rectè ſentiẽdi, & ornatè loquendi princeps Plato διδασκαλικὴν appellat, ſed eam quæ à populari quodã genere dicendi & probandi orta, opinionẽ tantùm & fidem in eorũ, qui audiũt animis gignit, quã ille idem πιστευτικὴν conuenienter ipſius naturæ nominauit. Nam ceteræ ſiue facultates, ſiue artes, ſiue ſcientiæ omnia reſecant ad viuum, & quaſcũque res explicandas ſuſceperunt, eas quàm poſſunt diligentiſſimè, non tam ad multitudinis ingenium, quàm ad ipſarum vim & naturam accommodatè perſequuntur: in quibus illa vel maxima ſæpè laus eſt, à populari ſententia quàm longiſſimè abeſſe. At eloquentia, quamuis omnibus doctrinæ copiis abũdet, ſine quibus inſtrumentum hoc oratorium perexiguum atque mendicum eſt; omnia tamen explanatiùs dicit, & vberiùs; & ad cõmunem hominum ſenſum accommodatiùs: in qua nihil eſt vitioſum magis, quàm à communi iudicio & à vulgari conſuetudine ſermonis abhorrere. quare magnæ illę reconditæque artes ab orationis copia ſeiunctæ, tacitâ cogitationis voluptate frui poſſunt, & ſuauiſſimis cognitionis

In Gorgia

epu

epulis quibus noſter animus maximè paſci-tur, inſaturabiliter expleri, ad rerumpublicarum vſum in circunfuſa multitudinis corona dignum aliquid & magnitudine ſuâ & hominum eruditorũ auribus proferre omninò non poſſunt. Audite, Romani iuuenes, audite, quæſo diligenter, & quæ dicam nunquam è memoria vobis elabantur. Doleo enim interdum & vehementer angor, vbi video pleroſque non deprauatè, & corruptè ſolùm ipſos de hac tota dicendi facultate iudicare, verùm omnes etiam in eo neruos contendere, vt quo in errore ipſi ſunt, in eundem ceteros inducant. Si quando in veterem & locupletem domum ingrederemini, refertam auro, argento, ebore, precioſâ veſte, margaritis, gemmis, tabulis pictis, ſignis, omni denique apparatu ornatuq; viſendo; neque eas res vobis quiſquam patefaceret, proferret, ante oculos proponeret, quem ex illa copia fructũ, quam voluptatẽ caperetis? nihilo maiorem imperita multitudo mihi poſſe percipere videtur ex eorũ doctrina, qui locupletes rebus, verbis inopes præclarum illum apparatum, quẽ inuolutum in pectore tenent, & penitus incluſum nequeunt in adſpectum hominum lucemque proferre. Vidi quendam adoleſcẽtem, quo nomine appellem neſcio, ſed vidi.

quendam tamen, qui in vrbe clariſſima, loco ampliſſimo, frequentiſſimo cõuentu, cùm ex literis diuinis, graui & ardenti oratione populi mentes à vitiis deterreri, ad virtutes inflammari oporteret, nihil ferè egit, aliud, niſi de trib. ratiocinationũ formis ex analyticis Ariſtotelis valde lentè & faſtidioſè diſputauit. De alio mihi bene noto audiui ex iis qui mori quàm mentiri mallent, proceſſiſſe in publicum eum aliquando rogatu multorum: poſuiſſe quæſtionem è media Theologorũ ſchola: de ea in vtrãque partẽ nõ minus exiliter & ieiunè quã in publico gymnaſio ſolebat, diſſeruiſſe, cuius ego vt ſubtiliorẽ in illo genere doctrinam, his temporibus præſertim non vtilem modò verùm etiam neceſſariam, & in docẽdis Theologiæ ſtudioſis acumẽ ſingulare magnoperè admiror; ſic ad multitudinem inſtituendam tenuitatem & exilitatem orationis, non ſatis aptam fuiſſe cõtendo. quid enim illos perfeciſſe, quid aſſecutos eſſe crediris? hoc vnum, opinor, vt amicos puderet, docti riderent, indocti oſcitarentur. At Illi veteres Eccleſiæ principes, quorum ſingularem eloquentiam ex ipſorum ſcriptis agnoſcimus, quàm prudenter hominũ animos regebant? quantum rerum apparatum, quàm inſignem, quàm varium, vbi neceſſe

erat

erat ex illis humanæ & diuinæ ſapientiæ theſauris depromebant? vt explicabant, vt euoluebant omnia. vt conſtituebant in hominum pené oculis & adſpectu? itaq; nihil erat tam difficile, quod non ſuſciperent, nihil ſuſcipiebant, quod non efficerent dicẽdo. Vetus eſt quod dicam, ſed pacis, credo, veſtrum adhuc auditum. nam qui hæc legunt ad alia maiora feſtinantes, quæ ipſis videntur minora, prætereunt. Cæſarea eſt, oppidum in ora Mauritaniæ perantiquũ: quo in oppido fuit mos ille quondã patrius vt certo anni tẽpore promiſcuè ciues omnes ad impiam cædem, tanquã ad ſtatum & ſolemne ſacrificium conuenirent. cateruam illi vocabãt crudelem nefariumque ludum: quo in ludo duæ aduerſæ ciuium acies lapidibus inter ſe tanto furore dimicabant, vt omni delectu ac diſcrimine ſublato propinqui à propinquis, à liberis parentes, à parẽtibus liberi nõ oppugnarẽtur modò, vt iùm etiam opprimerentur. non tulit Auguſtinus barbaram illam & inauditam immanitatem qui vt oratione copioſus atque grauis, concionem aduocauit: inhumanã conſuetudinem accuſauit vehementer: neque priùs fecit dicendi finem, quam ex omniũ gemitu, fletuq; cognouit, feros audientium animos & indomitos ad humanitatẽ & cle-

mentiam fuiſſe reuocatos. quid ergo conſecutũ eſt? ille quidem ſui laboris præmiũ amplißimum tulit, Cæſarienſes autem tam immane certamẽ de ſuæ ciuitatis moribus ſuſtulerunt, ex quo perpicitur quantum eloquentia poſſit, cùm nuda & inermis, impia ciuium arma conpreſſerit, quæ forte magiſtratus omnes firmiſſimis militũ ſepti præſidiis paulisper reprimere nõ potuiſſẽt. Multa generis eiuſdem commemorare poſſem, niſi anguſtiis temporis vrgerer, quæ quoniam mihi neceſſariò prætermittenda ſunt, videte vos, Romani iuuenes quid vobis agendum eſſe exiſtimetis. ſi enim popularis hæc perſuaſio tota eſt oratorum: ſi prudens docti hominis, & eiuſdem ornati, grauisque vox tantam vim habet ad flectẽdas hominum mentes; quo vos tandem animo hoc tam lauto, & tam copioſo patrimonio amiſſo, eſſe debetis? quo ſtudio, quâ contentione animi, ingenij, viriũ, omnes eniti decet, ne fruſtrà maiores veſtri tãtùm in eo conſtituendo & amplificãdo laborarint: præſertim cùm dicendi vſus tam longè lateque pateat, vt nullum ferè ſit ab eo vacuũ publicum munus: in officiis verò priuatis nõ parum dominetur. Etenim prudentia ciuilis, quæ totam continet ciuitatis gubernandæ rationem ex multis magniſq;

facultatibus cõſtat, quarum qui ſunt expertes, ij non ſatis idonei cẽſentur ad rempublicam bene gerendam. earum autem facultatum, quæ ſcientiæ regendarum ciuitatum veluti comites & miniſtræ ſeruiunt, omnes vnam hanc eſſe oratoriam confitentur. Ille quidem hoſpes Eleates apud Platonem, perfectum quendam hominem, & ad reipubl. procuratione aptum inſtituens, bene dicendi vim, item vt artem imperatoriam, & magno in pretio haberi oportere teſtatur, & cum ſcientia ciuili naturæ quadam cognatione eſſe coniunctam: qui illud etiam adiungit, hanc regiæ facultatis quaſi ſociam, id quod ius eſt perſuadentem, communi quodam modo cum ea conſilio quæcunque in ciuitatibus geruntur, gubernare. Neque Ariſtoteles mihi diſcrepare videtur à ſententia magiſtri: qui cùm ſcientias eas quæ ſummo in honore ſunt, prudentię ciuili dixiſſet eſſe ſubiectas, in earum numero repoſuit ornatè loquẽdi facultatem. Quid? quod memoriæ proditum eſt, à Siculis primùm reſpirante libertate ad res per iniuriam ablatas longo interuallo iudiciis repetendas artem eloquentiæ inuentam eſſe, non ſatis declarat, omnem orationis copiã ad officia ciuilia præcipuę pertinere? aſſumpſerunt quidem eam ad ſuas illas eru-

In Dialog. de Regno.

Primo Polit.

ditiſſimas diſputationes nonnulli philoſophi ſuauitatis cauſsâ vt Academici, vt Peripatetici. quorum olim non ſubtilis magis & exquiſita, quàm elegans & polita philoſophandi ratio admirationi fuit:ſed non eſſe propriam ipſorum, ex eo cognoſcimus, quod ſi qui tenuiter iiſdem de rebus,& ieiunè diſſeruerunt, non idcirco minùs eos philoſophiæ ſatis feciſſe credimus, quàm qui ornatiſſimè ſunt locuti, cùm nequeat omni laude cumulatus ciuitatis rector exſiſtere, niſi multa & magna ſit ornamenta dicendi conſecutus. Non hic exaggerabo verbis vim ciuilis facultatis,atque præſtantiam:non dicam id quod ſcriptores antiqui multi probauerũt;deſidioſe, & oſcitãtiquorundam ſapientiæ,qui ſolâ contemplatione veri contenti,ſe ab omnibus muneribus publicis omninò remouẽrunt, negotioſam hanc laborioſámque prudẽtiam anteponẽdam eſſe, quæ ſe ad reipub.curam aliquando cõuertit, neque illud ſciſcitabor à vobis, quanti faciẽdam eloquentiam putetis, cùm in ea,cui deſeruit,facultate tanta ſit laus; vt omnibus aliis facultatibus,artibus,ſcientiis vna præſit,& quæ reiiciẽdæ,quæ in ciuitate retinẽdæ,quatenus vnaquæque ſit addiſcẽda præſcribat. Hæc omnia prætereibo tacitùs,dummodò illud intelligatur à vobis,
quàm

quàm latè pateat vis eloquẽtiæ. Neq; verò locum illum attingam in præſentia, quãtũ Athenis olim, quantum in Aſia, quantum Romæ, quantum in omnibus pacatis libeiſque ciuitatibus viguerint ſtudia dicendi, cùm omnes partes rerũ public. eſsẽt in eloquentiæ tutela.de nobis dũtaxat,hoc eſt, de republ. Chriſtiana vniuerſa quã breuiſſimè potero perſtringam.Quis nõ videt concionandi munere & ſalutem omnium,& publicás priuatáſque religiones maxima ex parte continẽri?atqui totum hoc, concionari, quoniam populare eſt, boni oratoris eſſe proprium,neminem eſſe credo tam ignarũ rerum, qui neget. fateor equidem requiri diuinarum, & humanarum rerum exquiſitiſſimam doctrinam,quam nunc illi ſibi ſuo iure vendicãt,quos theologos vocamus.verùm illa materiã tantùm concionatori ſuppeditat: quàm aptè deſcribere & illuſtrare oratione,ad multitudinis animos vel reflectendos,vel incitandos,eamq́ue orationem cum quadã actionis dignitate pronuntiare, eloquentium omnes eſſe dicent, non theologorum. quocirca ſi multitudinem in cõcione docere,& mẽtes hominũ pro re modò huc,modò illuc impellere, ſacerdotum ſunt Epiſcoporũq; partes: quî fieri poteſt, vt ſine oratoria facultate quiſquam vel ſa-

cerdotis,vel epiſcopi dignitatẽ, & auctoritatem per ſe ipſe tueatur? Legationes verò, quæ vel à ciuitatibus, principibus, regibus, imperatorib.ad Põtifices maximos, vel ab his ad illos, vel ab illis denique inter ipſos de religione, de publicis rebus crebrò mittũtur, poſſúntne ſine magnis eloquẽtiæ virib.ſuſtineri?quàm turpe, & propè flagitioſũ eſt id quòd plerũq; fieri videm⁹, vt aliis mãdata dentur,ab aliis eadem exponantur? Iã in imperiis,in præfecturis vel militarib⁹, vel vrbanis,quàm graues nonnunquam offenſiones concitantur; quæ dedecora, quæ maculæ ſuſcipiuntur, dum illi qui præſunt, tanquam mutæ pecudes, ne verbum quidẽ vnum in conuentu loqui poſſunt? quid de conſultationibusdicam,quæ ſæpe incidunt, aut de ſalute, aut de vtilitate communi? ſi quis eximiâ præditus prudẽtiâ,verbis compoſitus, & ornatus in conſilio publico verſaretur; ſiue de bello, ſiue de pace,ſiue de vectigalibus imponendis,ſiue de tollendis, ſiue de præmio bonorum, ſiue de improborum ſupplicio deliberaretur; quàm ille facilè omnium aliorum, qui non eſſent pares in dicendo,ſententias arbitrio ſuo moderaretur?teſtes ſunt parentes & propinqui veſtri,Romani iuuenes, qui tametſi eâ grauitate ſalutem publicam tuentur, quæ maximè

mè decet nobile& illuſtre apud omnes nationes huius ciuitatis nomen, tamen non dubito quin aliquando,cùm cõſilium communibus de rebus caperetur, eique conſilio ipſi intereſſent, Demoſthenem aliquẽ, aut Ciceronem in curia exoptarint. teſtes ſunt ampliſſimi Cardinales, vrbis Romanæ lumina,qui in illo grauiſſimo principum Eccleſiæ conſenſu,& ſummo cõſilio orbis terræ,vbi variæ frequenter ſententiæ de Italicis,Germanicis,Gallicis, Hiſpanicisque rebus agitantur, vnius interdum hominis diſerti verba dominari regnaréque viderunt. teſtes ſunt alpiũ fauces,& Tridentina mœnia, Concilio œcumenico frequentiſſimo atque ſanctiſſimo,ſuperioribus annis à Paulo,Iulio, Pio, Pontificibus maximis deſtinatæ ſedes,quæ in illis accuratiſſimis diſceptationibus de religione,& de publica conſuetudine viuendi,atque in explicanda ſententia de maximis grauiſſimisq; rebus quãtum poſſit erudita & prudens eloquentis hominis vox & oratio, conſpexerunt. teſtes deniq; omnes prouinciæ, regna, vrbes; teſtes omnes gentes, atque nationes, quæ anguntur ſæpenumerò, & lugent; vbi vinci meliorem ſententiam à deteriore cernunt; & ius ab iniuria magno multorũ malo ſuperari propter eloquentium, qui ea poſſint

de

defendere, paucitatem. Magna hæc, magna ſunt prorſus, & admirãda munera eloquentiæ, quæ ſi quis, modò non elinguis, à ſe præclarè ſperat poſſe præſtari; quod fieri qua ratione poſſit, non intelligo: ſed ſi quis tamen ſperat, nunquam ſe ad hæc officia perfungunda orationis ornamenta deſideraturum. Quid de illis nationibus dicemus, quæ à vera religione diſceſſerũt? an quibuſcum agi ſine verborum & ſententiarum ſplendore non poteſt, ab iis qui loqui neſciat, quidquam impetraturum ſe eſſe cõfidet? ego verò, patres religioſiſſimi, magnoperè interdum doleo, nos, qui à veritate ſtamus, à facultatis defenſoribus ſtudio, aſſiduitate, curâ, labore, diligentiâque ſuperari, & cùm antiquiſſimæ, ac fideliſſimæ prouinciæ loquaciſſimis hominibus abundent, ad omnia diuina & humana iura peruertẽda, reperiri tam paucos eloquentes viros, qui ſapientis orationis grauitate ſceleratos impiorum conatus aut frangant, aut retardent: quorum ſi magnam copiam in illis terris haberemus, auderem equidem polliceri, breui omnes illas ciuitates ab erroris & nequitiæ caſtris, ad veritatis & Eccleſiaſticæ diſciplinę ſigna, quæ reliquerunt, eſſeredituras. verùm hæc publica: ad priuata veniamus. Inmenſis moderatorum princi-

pum,

pum, qui eruditis ac politis de rebus abſtruſis diſputationibus magis, quàm epularum apparatu delectantur, cui niſi docto oratori palma tribuẽda eſt? epiſtolas porrò eorundem nomine, de publicis priuatíſque negotiis tum ipſorũ, tum alienis non poſſe ſcribi, niſi à diſertiſſimis viris, vel hoc vnũ apertè demonſtrat, quod neminem vnum in hoc genere præſtitiſſe cognouimus, qui non idem plurimùm valuerit dicendo. ſæpe obiurgandus eſt aliquis; quæ vis, quæ contentio, quæ verborum & ſententiarum pondera adhibenda ſunt? admonendus alius: quàm prudenter, quàm artificioſè ſermonis aſperitas, monitoris humanitate quadam & ſuauitate lenienda eſt? alius cohortatione inflammandus: poteſt hoc perfici niſi ab eo, qui ardentes admoueat orationis faces? alleuandus miti conſolatione dolor, animúſque mœrens à cogitatione malorum abducendus: quod orationis flumen, quæ varietas in tám difficili re deſideratur? Omitto gratiarum actiones, gratulationes, petitiones, expoſtulationes, deprecationes: quæ quantam orationis copiam, quanta eloquentiæ ornamenta requirant, ſciunt, qui hæc aliquãdo, cùm tẽtarint, nunquam tamen, aut defficillimè perficere potuerunt. Nam quod ad vnum vel ad paucos,

eos,nõ ad multitudinem hæc aguntur,permagni quidem id refert ad orationis genus deligẽdum,ne quid fiat præter id,quod decet; ad illud autem,ornatè ne ſint, an ſecus agenda,nihil refert. Magnificè nimis Gorgias apud Platonem,&,vt ſophiſtâ dignum erat, glorioſius,quos ægrotos medici adducere nullo modo potuiſſent, vt aut potionẽ ſumerent,aut ſe vrendos ſecandóſque præberent;eos à ſe facilè non alia quàm oratoria facultate ad omnia & facienda, & ferenda impulſos fuiſſe prædicat. Sed illud nobis hominis exercitati ſermo, detractâ iactatione verborum,oſtẽdit, etiam in circulis priuatíſque congreſſibus atque colloquiis, magno eſſe vſui,ſi quis aptè vti ſciat, hanc oratoriam conſuetudinem rationémque dicendi.quod ſi miniſtra eſt prudentiæ ciuilis eloquentia, & actiones propemodũ omnes, tum publicæ,tum priuatæ, quamcunque ſequi malis viam,inſtitutumq́ue viuendi,ſine dicẽdi exercitatione iacent, vos, Romani iuuenes,quorum hæc præclara facultas,vel vt hæreditaria iure exiſtimatur: qui non modò veſtram rempublicam, verùm etiam omnium gentium ſacra, cæremonias,religiones moderari, ac regere debetis,hoc tantum rerum gerendarum adiumentum negligetis! vos ne committetis, vt

pa

patria auitáque poſſeſſio, veſtra incuria vobis erepta eſſe videatur? Quid tandem eſt, quod vos à ſtudio deterreat? an difficultas? ſi tam difficilis res eſſet, vt eam vix pauci de multis poſſent poſt diuturnas exercitationes,& aſſiduum laborem aſſequi, tamen in re tam honeſta & fructuoſa omnes vos laborare& ſudare par eſſet,vt vel vnus talis euaderet, quales multos cupimus habere. nunc ea vos habere adiumēta video ad eloquentiam comparādam,vt quiuis veſtrûm, modò ne ſit planè abſurdus, modò ne ſtudium omninò fugiat & laborem, non difficillimè queat oratorum numerum aliquem obtinere. ingenia tanta ſunt, quanta me vſquã videre memini. vidi autem multa præclara. Latinum ſermonem quis non intelligit,vobis magis proprium,quàm ceteris,& quodam modo naturalem eſſe?præceptores à quibus non hæc tantùm rhetorica præcepta,ſed omnium etiam grauiſſimarum artium doctrinam accipiatis, neque hîc apud nos,neque in gymnaſio ſapientiæ vobis deſunt? quod quidem gymnaſium ſingulari Pij I V. Pontificis maximi curâ, & ſtudio erga bonas artes,ad antiquæ diſciplinæ normam reuocari,& doctiſſimorum hominum frequentiâ,digna vrbe Româ celebrari,magnoperè gaudemus. vel noſtris igitur, vel

illo

illorum, vel vtrorumque potius monitis & exemplis, ſi modò vobis in hoc ſtudio elaborandum eſſe duxeritis, facilè poteritis illam conſequi, de qua initio dixi, eloquentiam. Veruntamen ne quid fortè deſideretis, vt illi, qui iam aliquò peruenerũt, idem iter egredientibus, & viarum diuortia, & latronum pericula demonſtrare ſolent, ne aut longiùs aberrent; aut occultis inſidiis excipiantur: ſic ego, qui licèt eam, quam opto, dicendi copiam nondum aſſecutum eſſe me ſentiam, vt aſſequerer tamen diu multúmque laboraui, & aliquantò certè longiùs, quàm vos, in hoc itinere proceſſi, vobis eandem rationem perſequi volentibus, quà eundum, quid cauendum ſit paucis ex hoc loco, tanquam è ſpeculo, intento digito diligenter indicabo, ne aut errore viæ decepti, aut falſis quorundam opinionibus velut ex inſidiis oppreſſi, aut nunquam, aut ſerò queatis, quò intenditis, peruenire. Et quoniam incorrupta Latini, purique ſermonis, omnibus vitiis detractis, integritas quaſi ſolum eſt, & fundamentum oratoris, illa prima debet eſſe cura, vt Latinè, quàm elegantiſſimè, & apertiſſimè loquamini: deinde, quoniam inanis eſt, & deridendus omnis orationis ornatus, niſi ſubſit res digna hominum auribus, ab oratore percepta

&

& cognita; danda eſt opera, vt omnes & diuinas,& humanas diſciplinas adiungatis: verùm ita,ne totam in eis perdiſcẽdis conteratis ætatem, ſed cognoſcatis modò fontes ipſos,vnde tantum poſteà, quantum neceſſe erit, hauriatis,tum peruolutandi ſunt ornatiſſimi quique ſcriptores,oratores maximè, quorum lectione veluti pabulo quodam alitur oratio,& exemplis multis atque illuſtribus ad imitandum animus informatur. Non verebor aliquid de me ipſo confiteri apud eos, quos optimè inſtitui vehementer opto. Incideram ego adoleſcens in non optimos magiſtros,à quibus deceptus, contuli me ad eos legendos & imitandos, quorum ſimilis nemo,niſi ſit omninò ſtultus,eſſe velit. ibi cùm de recto tramite deflexiſſem, laborabam, quantum illa ferebat ætas; verùm ab eo, quod mihi propoſueram,longiùs indies diſcedebam tandem errore cognito,redij in viam. omne meum ſtudium ad legendum Ciceronem, & cognoſcẽdum penitus, conuerti.tum demum intelligere cœpi, quid ſit compoſitè & ornatè loqui: tum primùm illam eloquentiæ, non pigmentis oblitam fucóque puerili,ſed veram,ſed naturalis ſucci plenam,& ſuo colore florentem faciem adſpexi. Itaque tametſi me parum profeciſſe & agnoſco &

fateor

fateor;tamen non omninò nihil egiſſe veſtrum omnium ſtudium, & hodiernus hic cõcurſus tãtus facit, vt credam. Quamobrẽ hunc eundem oratorem ita notũ vobis eſſe volo, vt & commentantibus, & ſcribẽtibus, & verò etiam agentibus multa deſcriptis eius, quæ ſequamini, celeriter occurrant. Ne ars quidem eloquentiæ, quæ vulgò traditur, pulchrè & oratoriè dicere volẽtibus negligenda eſt: quæ licèt eloquentes non faciat ipſa per ſeſe, tamẽ huic ſtudio neque pauca, neque exigua adiumenta ſuppeditat. Sapiẽter illud ab eloquẽtiæ Romanæ principe ſcriptũ arbitror; magnis ingeniis præditos quoſdam dicendi copiam ſine ratione aſſequi, ſed artem ducem eſſe certiorem, quàm naturam. Quapropter aſſumenda ſunt rhetorum præcepta: ſed cùm ea partim ab antiquiſſimis, & copioſſimis hominibus Græcis, Latiniſque literis illuſtrata fuerint; partim à recentibus, & quaſi minorum gentium ſcriptoribus variè tractentur. illos ego & ſibi, & aliis optimè conſulere ſemper iudicaui, qui ad ſcripta veterũ magiſtrorum cognoſcenda penitus incumbũt, nouos & recentes eatenus legunt, quoad nonnihil adiumenti ad ea intelligenda videantur offerre. Exorti ſunt enim proximis annis tam in dialecticis, quàm in rhetori-

tori.

roricis non quidam doctrinę veteris emendatores : quibus cùm nihil eſſet aliud propoſitũ, niſi principibus, & propè dixerim parentibus omniũ diſciplinarũ aduerſari,& magnis auctoribus reprehendendis ſuum adoleſcẽtulis rudibus & imperitis ingeniũ vendicare,ſtudio repugnandi lõgiùs,quam par erat,prouecti, ſæpe ſine ratione ab iis, quos defendere debuerant, diſſenſerunt.legi aliquando, vel inſpexi potius, vnum ex illo grege, qui cùm Topica Ciceronis explananda ſuſcepiſſet,præter pauca quædam à Boetio compilata nihil, niſi mera conuicia, bonus interpres afferebat: hinc proſeminatæ ſunt illæ pueriles opiniones & abſurdæ, quas nonnulli iam ſolas in ſcholis intolerabili cum arrogantia, & faſtidio pro veriſſimis,certiſſimiſque iactant : bene dicere, non perſuadere, finem eſſe oratoris: ſolam euocationem eſſe huius artis; aut elocutionem cum pronunciatione & actione : ridiculum eſſe nunc quærere numeros in oratione. videlicet ſtipites repentè nos, aut lapides factos eſſe arbitrantur, quos putant ſubito quodam animi ſtupore omnem eius rei, quæ maxime cognata eſt mentibus noſtris, ſenſum amiſiſſe. Hæc, & alia permulta iſti nobiliſſimorum ſcriptorũ inepti correctores inuexerunt, quæ, cùm ad

eas diſputationes ventum erit, niſi ita falſa eſſe conuicero, vt ne ipſi quidem, ſi adeſſēt, inficiari poſſent, nolo cuiuſquam mihi rei fidem in poſterum haberi. Ac videte quantum inter modeſtiam veterum & iſtorum impudentiam interſit. Socrates apud Platonem, cùm ſe audiſſe Phædrus diceret, non eſſe oratori neceſſarium, quid reuerâtius, quid iniuria ſit, quid bonum, quid malum exploratum habere, ſed quid eſſe videatur: tametſi falſam hanc ſententiam erat ipſe refutaturus, quàm non arroganter tamen, quàm non inſolenter de auctoribus locutus eſt? Minimè, inquit, reiiciendũ eſt, Phędre, quod à ſapientibus dictum fuiſſe conſtet, ſed videndũ an aliquid dicant. Hippias autem apud eundem, cùm omnes veteres ſophiſtas præ ſe contemneret, in eoque à Socrate illâ ipſius propriâ diſſimulatione faceti ſſimè derideretur, cogente naturâ tamen ſe conſueuiſſe affirmat, priſcos homines, qui antè floruiſſent, laudare magis quàm præſtantes illâ ætate viros, partim viuorum inuidiam verentem, partim extimeſcentem iram, & odiũ mortuorum. Itaq; illi quamuis falſi fuiſſent aliqua in re ſuperiores tamen eorum dignitati parcebant, iſti etiã in iis, quæ veriſſimè dixerunt, eorũ auctoritatē eleuare verbis atque infringere

conan

conantur: illi propter vetuſtatem etiam ſe inferioribus humaniſſimè ſingularem honorem deferebant, iſti quem antiquiſſimis auctoribus honorem omnia ſecula conceſſerunt, hunc eis impudentiſſimè detrahere nituntur. Quanquam iſtorum leuitatē grauitati veterum inimicam eſſe nō miror: illud miror, eſſe tam multos, qui quorum facta imitentur, eorum exitus non perhorreſcant, cùm viderimus eum, qui ſe ſigniferū præbuerat ad antiquorum auctoritatem euertendam, deſertâ religione ſe ad impietatis & impuritatis caſtra contuliſſe. Vos verò, Romani iuuenes, vos, quos hæc communis religionis parens ad ſpem Eccleſiæ Chriſtianæ procreauit, ab hac temeritate & intemperie veſtros animos quam longiſſimè ſegregātes, ac memores illius Socratici præcepti, nihil eſſe reiiciendū, quod dixerint aliquādo ſapiētes, ſed videndū an aliquid dicant: illos colite; illorū ſcriptos de arte dicēdi libros ſedulò euoluite, quibus omnē propè debemus huiuſce rei diſciplinam. hæc Demoſthenis, hęc M. Tullij fuit, hæc omnium excellentiū oratorum regio atq; via: quorū ſi vos ſectā & inſtituta diligenter fueritis perſecuti: ſi iactis antè fundamentis elegātis dilucidiq; ſermonis, omnem animo comprehenderetis maximarū

artium doctrinam: ſi ſcriprores optimos, Ciceronem maximè, vobis admirandum propoſueritis: ſi rhetorica præcepta didiceritis ab iis præſertim, quos omnis antiquitas comprobauit, quod in tanta & ingeniorum & doctorum abũdantia facile, vt dixi, effici poteſt: promitto & recipio, breui fore, vt illa vetus Latinè dicendi gloria, funeſtis reip. caſibus amiſſa floreat rurſus in his veſtris & maiorum ſedibus, recuperata per vos & reſtituta: quo quid per Deũ immortalem vobis ad fructum optabilius, ad exiſtimationem honèſtius, ad hominum famam prædicabilius poteſt accidere? maiorum laudem, obrutam quõdam patriæ ruinis per vos lõgo interuallo renouari, facultatemq́; præclaram, propoſito fine perſuaſionis popularis effectricẽ, vſu ſcientiæ ciuilis comitem, & ſociam, omnes in ciuitate tum publicas, tum priuatas actiones cum ea moderantem, quæ ad vos velut hæreditario iure veniebat, iam olim communibus omnium gentium cladibus vobis ereptam, veſtrâ operâ ſtudio labore, quaſi denuò comparari? quantum laboris & moleſtiæ veteres illos Romanos vltrò ſuſcepiſſe, & conſtanter ſuſtinuiſſe creditis? quantum vigilaſſe Ciceronem, quantum Hortenſium, quantum ceteros, vt hanc vobis oratoriæ laudis

laudis hæreditatem, quam maximè firmã, ſtabilem certam, æternam deniq; relinquerẽt, ſi quo modo poſſent? qui cùm lugegbãt cogitabant, ſcribebant, declamitabant, agebant, illud opinor, optabant, ſtudij, laboris, gloriæq́; ſuæ æmulos poſteros habere. ergo illi nihil rectè ſaruut, vt hoc vobis quaſi patrimoniũ traderent quàm ampliſſimũ, vos, vt ablatum vobis & recuperitis & conſeruetis, hoc quidquid eſt ſubeundum laboris, refugietis? quam turpe, quam ignominioſum eſt, quod illi primi veſtrâ cauſſâ tam ſtudiosè parauerũt, id vos ab illis acceptũ, & aduerſis caſibus ademptum, nolle recipere, cùm poſſitis? Ruſticos homines videmus, quiduis malle perpeti, quàm auferri ſibi vel ſalinum, vel patellam, vel ſolium à parentibus auisq́; relictum, vos tam amplam eloquentiæ poſſeſſionẽ æquo animo amiſſam patiemini? ſi cui veſtrûm tantulum de patriis bonis alicuius fraude diminueretur, non vociferaretur? non prætorẽ adiret, iudicium poſtularet, volitaret toto foro patronorum & aduocatorum multitudine ſtipatus, teſtamẽtorum tabulas proferret, per omnia tribunalia vltrò citróque curſitaret, quiduis potius ferret, quàm perexiguũ quiddam de pecunia patria deperderet? & tantas orationis copias, has elo-

quentiæ diuitias, non teſtamentorum iure, ſed propagatione ſanguinis, vobis à maioribus traditas, direptas, diſſipatas, laceratas ferre poteſtis? videte ne quantam illis gloriā peperit incredibile nouæ laudis acquirendæ ſtudium, tantum vobis dedecus afferat veteris recuperandæ & retinendæ negligentia. Ego, quidem, Romani iuuenes, quoniam hoc mihi hodie onus imponitur, curabo quātum in me erit, ne qua in re officij mei partes deſiderentur, meámq; operam, quam vnam vobis præſtare poſſum ſtudioſis eloquentiæ nunquam denegabo vos incumbite, obſecro, incumbite ad ſtudium dignum ingenio, dignum ætate, dignum ſplendore veſtro, nobilitate patriæ, maiorum gloriâ, & efficite, vt hi patres religioſiſſimi, hi doctiſſimi eloquentiſſimiq; viri, qui vos audientes præſentiâ ſua decorare voluerunt, multò aliquando iucundiùs dicentes & agentes, hac tantâ grauitate & auctoritate eohoneſtent.

PETRI IOANNIS
PERPINIANI

DE RETINENDA VETERI RELIGIONE, & falſa recentium hæreticorum doctrina reiicienda, ad Lugdunenſes.

ORA

ORATIO XII.

QVOD precatus aliquando ſum à Deo parente ſalutis noſtræ: quod optauerunt omnes boni tum cùm impietas armata per haſce regiones peruagata eſt, vt illa pax à Chriſtianiſſimo rege facta cũ obſeſſis, ad ſalutem potius antiquiſſimi fideliſſimíque regni, quàm ad perniciem valeret, id nobis primùm diuino beneficio, deinde conſilio bonorum & virtute tributum ac donatum eſſe, maximè lætor, Lugdunenſes. Nam cùm anteà Deo nobis propter peccata noſtra vehementiùs irato, nemo domi ſuæ tutus eſſet? furor verò quidam & audacia, paſſim impunè volitaret, & omnibus omnia minitaretur: nunc illo metu liberati, non intra parietes domeſticos, non intra mœnia ſolùm? ſed in agris etiam tanto fruimur otio, quantum neſcio an quiſquam veſtrûm, tam breui tempore ſe eſſe conſecuturum ſperauit. Nolo renouare memoriam illius triſtiſſimi luctuoſiſsimique temporis: nolo quæ vobis perpeſſu aſpera & grauia fuerunt, ea duriora & moleſtiora facere commemorando. vos ipſi me tacente recordamini, quas res auaritia in rapinis, libido in flagitiis in violã-

dis religionibus impietas, crudelitas in ciuium cædibus, & direptionibus vrbium, in tectorum incendiis, in vaſtationibus agrorum efficere potuerit, eas res omnes vos proximis annis ſuſtinuiſſe: quæ profectò mala, dictu grauia, perpeſſu difficilia, cùm noſtros, qui longè aberamus, & ea ſerò, neque integrè audiebamus, animos vehementiùs commouerent; exiſtimare poſſumus, qualia vobis viſa ſint, qui ea præſentes non vidiſtis modò, quod ipſum per ſe ad acerbitatem doloris erat ſatis, verùm ſenſiſtis etiam & pertuliſtis. At nunc quãcunque & circumſpexerimus reipubl. veſtræ partem, omnia multò meliora reperiemus, Recreantur indies magis & confirmantur animi bonorum: pietas erga Deum, quæ illius turbulentiſſimi temporis procella penitus obruta eſſe videbatur, ſpecioſior & conſtantior ex illis fluctibus emergit: coaleſcunt mutuâ concordiâ mẽtes omniũ: nullus armorum ſtrepitus, nulla cædes, nullum improborum facinus auditur: ipſa mœnia & tecta vrbis, è tot calamitatibus emerſa, quodam modo lætantur & geſtiunt, vt etiamſi Deus ob delicta noſtra pœnas ab hoc populo graues & acerbas expetierit, tamen placatus iam, atque mitigatus malis hãc tandẽ reſpexiſſe vrbẽ,

ſeque ad clementiã & benignitatẽ reuocaſſe videatur. quibus ex bonis omnib⁹ inſperatis atq; diuinis, etſi maxima ad vos, Lugdunenſes, quorũ ea ſunt propria, peruenire debuit, non minor tamen ad me qui vobis optime cupio, quàm ad vos ipſos lætitia peruenit. Ortus enim atq; ſermo peregrinũ me fecit, religio & beneuolentia, quã erga omnes homines habere debeo, veſtrum ciuẽ facit, fratrémque germanum vt veſtris commodis non minus homo longinquus alienigenaque gaudeam; quàm ſi his eiſdẽ in ſedibus natus, educatus, inſtitutus eſſem. Quæ cùm ita ſint, vos, Lugdunenſes, tanti beneficij memores, quantũ accepiſtis, Deo Opt. Max. dum vixeritis, gratias ingentes agere par eſt, & nouam iſtam recentémque diſciplinam (tametſi quomodo iſta diſciplina, quæ fatuos & ſceleratos reddit, quorum in animos ſemel intrauit?) ſed tamen recentem iſtam peſtem, quæ tot iam hominum mentes peruaſit, ne vobis aliquando nocere poſſit, vos fugere par eſt, omniq́ue animo ac voluntate repudiare. Sentio equidem aut omnes, aut pleroſque veſtrûm non immemores illius religionis, quam memoriæ traditum eſt, olim in hac vrbe fuiſſe verſatam, egregiè animatos & paratos eſſe, neque meam adhortationem magnoperè

deſiderari. Quoniam tamẽ hoc mihi negotij datum eſt, vt aliud publicè de diuinis literis exponam ad falſitatem coarguendã, & nonnulla pars huius belli ſpiritalis, quod cũ impietate geritur, curæ induſtriæq; meæ videtur eſſe commiſſa, officio meo nõ decero, Lugdunẽſes, & vt imperatores boni acie inſtructâ, licet ardentes videant militum animos, tamen eos adhortantur, ſic ego vos promptos atque alacres ad retinendam veterem religionem; ad reiiciẽdã falſam recentium hæreticorum doctrinam cohortabor. Non enim eſt, non eſt grauitatis conſtantiæque veſtræ. Lugdunenſes, negligere tot ſeculorum ſpatio cõprobatam diſciplinam, amplecti eã, quæ noſtrâ memoriâ neſcio vnde repente exorta eſt: non eſt huius ciuitatis, cuius excellens quondam exſtitit fidei, religionis, fortitudiniſq; gloria, deſerere à maiorib⁹, ab Apoſtolis, ab ipſo Chriſto accepta myſteria; noua quędam & apud fideles inaudita, neſcio quorũ nullâ auctoritate hominum commenta ſectari, quę neque vllo miraculo martyriòve confirmantur, & ex omnibus terris, vbi ſtudium pietatis viget, exſibilantur & exploduntur. Quis non intelligit in quæſtione præſertim de commutãda religione vetuſtati plurimum tribuendum eſſe? noſtri certè ſcriptores &

Græ

Græci,& Latini,quoties aliqua exiſtit huiuſcemodi de rebus contentio,ad inueniẽdam veritatem quærere ſolent,quid iã inde vſque à Chriſto,& Apoſtolis traditum nobis fuit patriâ diſciplinâ. Videlicet exiſtimabãt,quorũ vſq; ad Chriſtũ & Apoſtolos, ſuperiora reperendo,nullã originẽ reperiremus,ea rata & fixa eſſe oportere? noua verũ paucorum hominum decreta illis aduerſa eſſe inducenda. Itaque Euſebius Cæſarienſis errorem illum impium Artemonis, & Theodori Coriarii,qui hominem tãtùm fuiſſe Chriſtum affirmabant,hac vnâ ratione confutat:docent enim ſcriptores omnes, qui proximi Apoſtolis fuiſſent,Chriſtum & hominem & Deum eſſe confiteri.Ex quo neceſſariò effici putat,illam ſententiam ab ipſis Apoſtolis fuiſſe profectam,& ab Eccleſia conſtanter eſſe retinendam Auguſtinus autem,quem ynum vulpes illa Gebennenſis deprauandum ſuſcepit, quàm eſt in hoc genere frequens?quantum tribuit huic vni rationi? probandum erat,baptiſma puerorum infantium inutile non eſſe,nec inane, quãuis nec animo credere ad iuſtitiam, nec ore confiteri queant ad ſalutem?non aliunde argumentũ à ſe firmiùs putauit poſſe depromi. oſtendit poſitum hoc eſſe in more & inſtituto Eccleſiæ vniuerſæ,neque

Lib. 5. hiſt. Eccl. ca. vlt.

Lib. 4. de bapt. contra Donat. cap. 24.

Concilii alicuius decreto primum inductũ, ſed omnibus ætatibus, etiam ante Concilia œcumenica factitatum, nullum vt tempus aliquando fuerit, quo tempore pueri ad nouũ & diuinũ ortum ſacro fonte non abluerentur. Hoc autem probato, cõſequens illud eſſe verè arbitratur pueros nihil adhuc intelligẽtes lauacro nouæ generationis expiandi, non alios auctores, quam Apoſtolos extitiſſe. Quæſitum ex eo fuerat de tempore, atque ordine myſteriorum die Iouis hebdomadæ maioris, mane an veſperi, à ieiunis, an à cœnatis ea peragi ac participari oporteret: nõ aliud probandi genus adhibẽdũ eſſe duxit. Licet Chriſtus à cœna diſcipulis dediſſet myſteria corporis & ſanguinis ſui, tamen eorum magnitudini, & religioni magis conſentaneum viſũ eſſe demõſtrauit, vt cœleſtis ille panis ante vulgarẽ corporis cibũ ore caperetur, ex eoq; principio ieiunij cõſuetudinẽ ante myſteriorũ perceptionẽ introductã eſſe: quam conſuetudinem cùm vbicunque terrarũ ſine vlla varietate ſeruet Eccleſia, colligit ab Apoſtolis ortã eſſe, ac præcipuè à Paulo nã dum poſteaquam Chorinthios obiurgaſſet quòd ſui menſis Euchariſtiam miſceret, nec ſingulari veneratione ſepararent à cæteris cibis, eoſque monuiſſet, vt conuenientes ad

In Epiſt. 118 ad Ianuariũ

1 Cor 11.

Do

Domini cœnā alii alios expectarẽt, ſi quis eſuriret, tamq; molli eſſet animo, vt appetentiæ cibi temperare tantiſper non poſſet, dũ alii conuenirent, is domi ſuæ potius famem expleret, ſubieciſſe cetera ſe, vbi ad eos veniſſet præſentem eſſe ordinaturum. Quare vir ſanctiſſimus inſtitutum hoc Eccleſiæ ipſis Apoſtolis æquale ad Spiritum ſanctum auctorẽ referre non dubitat: quod mihi meritò ac iure facere videtur, quid enim ſperemus accepiſſe nos à Spiritu ſancto, ſi neque ab ipſis religionis noſtræ principibus tradita Eccleſia vniuerſa omnibus ſeculis obſeruauit, ea nõ à Spiritu ſãcto profecta eſſe credamus? Exempla ſũt alia permulta, ſed ne ſim longior, quam vos vultis, his paucis de multis ero contentus. Ac de ſingulis quidem partibus diſciplinæ noſtræ diſputare, & vnãquamque rem à Chriſto & Apoſtolis ad nos vſque deriuatam eſſe demonſtrare, non eſt tam anguſti temporis, Lugdunẽſes? non huius inſtitutæ orationis? qui ne ſit moleſta vobis, multa mihi neceſſariò prætermittenda ſunt. Quocirca diſputationem hanc totã ad ſcholas eas, quas ſum habiturus integram mihi reſeruabo: nunc hoc dico, quod breuiſſimè dici poteſt, nullam eſſe religionis noſtræ partem, quam doctiſſimi viri non oſtenderunt, à Chriſto

& Apoſtolis manaſſe:in quo tam grauiter coniiciuntur iſti, qui diſſentiunt à nobis? tam turpibus & tã manifeſtis in erroribus tenentur,me ipſum vt aliquando pudeat, tam turpiter labi,qui ſe palàm profiteantur eſſe doctrinæ,religioniſque veteris correctores. Eorum autem,quæ iſti docent,antiquitas tanta eſt, vt ego ſim propemodùm æqualis, qui ad quadrageſimum annum nõ perueni. Quòd enim Apoſtolorum ſcripta nobis obiiciunt, vt ſemper omnes hęretici fecerunt,& eorum quaſi teſtimoniis conãtur ſomnia ſua confirmare, id magis declarat,quàm longè commenta iſtorum ab illorum temporum vetuſtate diſtent, ſiquidẽ eoſdem ſanctarum literarum locos aliter illi nimirum aptè ad ſuam impietatem, accipiunt, nos aliter, accommodatè videlicet ad noſtram religionem, interpretamur. Sed nos explanationis noſtrę duces ac principes habemus priſcos illos diuinorũ librorũ interpretes, quorũ ſumma eſt & propter vitæ ſanctitatem, & propter facultatem ingenij, & propter doctrinæ abundantiam,apud omnes auctoritas:illi ne vnum quidem ſuæ interpretationis teſtem ex omni vetuſtate producunt. quocirca nõ poſſumus veterem illorum exiſtimare eſſe doctrinã,quã nõ ſcripta vetera,ſed veterũ ſcriptorum recens

cens,& in omni memoria inaudita explicatio pepererit,contra grauiſſimorũ explanatorum auctoritatem. Prô Deus immortalis! quænam hæc eſt quorundam hominum tanta peruerſitas? aut quæ mentis infirmitas? vt aut in media luce offendant & incurrant, aut prudentes, ſcientes, videntéſque ruant ad interitum voluntarium? nondum anni quinquaginta ſunt,cùm illa Germaniæ furia bellum impium Eccleſiæ atque nefarium indixit.illius veluti partus omnes iſti ſunt.de quibus audiſtis:ab illo quaſi parente proſeminatæ ſunt omnes familiæ diſſidentium,& inter ſe pugnantium hæreticorum. neque verò ignoro, multa ipſos à veteribus hæreticis,magiſtris ſcilicet optimis accepiſſe.verùm illi ipſi primi errorum magiſtri ſunt recentes,neque ſuum ortum ad Chriſtum,& Apoſtolos perpetuâ ſucceſſione referre poſſũt,cùm ſint ipſi primi ſuarum opinionum auctores.Ex quo perſpicitur, quàm antiqua ſit iſtorum diſciplina, cùm illa vnde ſumpſerunt,reperiatur noua. vt erunt qui tot ſeculorum memoriæ paulô amplius X L.annos anteponant? reperientűr qui pro nouis commentitiiſque rebus pugnent contra omnem vetuſtatem? exiſtent,qui vini veteris auſteram ſuauitatem,& ſolidã faſtidioſè reſpuant? dulcem

neſcio qua, vel decoctam ament & admirentur? Ariſtoteles quidem vbi legũ correctio patum vtilitatis, conſuetudo facilè diſſoluendi leges ex correctione nata detrimenti multum allatura videatur, ferri mauultũ quædã legumlator & magiſtratuum peccata, quàm ciues aſſueſcere magiſtratibus non parere? nos maximè ſalutaria Ecclesiæ veteris inſtituta, nouæ factionis perniciosis inuentis deprauari patiemur? vt magno reipublicæ Chriſtianæ malo, nullo bono, eorum, qui præſunt, obedientia funditus abiiciatur? Hoſpes Athenienſis apud Platonem ſummum affirmat eſſe malum, in ciuitate reprehendi ac vituperari vetuſtatem, & hanc quidem in contemptionem venire, magno autem in honore & pretio eſſe nouitatem: nos inſtituti rebus optimis, ac cœleſtis philoſophiæ præceptis abundãtes, antiquis preferemus noua? ille puerilibus in ludis permagnum putat momentum eſſe poſitum ad firmitatem legum: nos rationem religionis, quæ totam continet humanæ vitæ diſciplinam, negligemus? ille, ſi ludi ſic inſtituantur, vt iiſdem pueri ſemper delectentur, futurum credit, vt quæ magnâ curâ ſanctæ ſunt leges, perpetuò fixæ maneant, ſi verò nulla ſit in illis conſtantia, ſi noua crebrò genera excogitentur, ſi va-

Lib. 2. de Leg.

riæ

riæ ſæpe commutentur, ſi nunquam eadem grata pueri appellent, & in veſtimentis, in coloribus, in reliquo cultu corporis, denique in omni inſtructu & ornatu alias aliis in rebus decorum, & indecorum ponant, ſi, qui ſemper aliquid noui pariat his in rebus, & inducat aliud, quàm in communi conſuetudine poſitum ſit, eum præcipuè admirentur & colant, nullam capitaliorem dicit eſſe peſtem ciuitati vniuerſæ: nos incolumem ac ſaluam exiſtiabimus illam poſſe eſſe rempublic. in qua ſingulis diebus, horis, momentis, ſingulæ nouæ, diuinis de rebus opiniones, religiones, cæremoniæ exſiſtant? in qua vetera frequenter nouis, tanquam teſtamenta codicillis, abſque fideicommiſſo permutentur? ille quotidianis ludorum commutationibus conuerti ſentit occultè puerorum mores, neque fieri poſſe ait, quin alij viri euadant, aliam vitam, alia ſtudia, alias leges quærant, qui ludicris in exercitationibus aſſiduò moliantur noua: nos illos quieſcere poſſe arbitrabimur, rebúſque præſentibus viuere contentos, qui ne religionis quidem alicuius iniquitati honorem vllum tribuendum putent? ille rationem aliquam ineundam monet, quâ ciuitas illud conſequatur bonum, vt quiE E.

bus in legibus educati ſint ciues, eas venerentur, ac vehementer timeant. peruertere præſentem reipubl. ſtatum: nos leuiculos quoſdam clamatores, cupidos nouarum rerum, maximis de rebus audiemus? ille ſtatui ac definiri vult legibus, quæ cani carmina, quas ſalutationes adhiberi conueniat ad ſacrificia deorum: ſi quis autem hymnos, aut choreas nouas induxerit, eum à ſacerdotibus, & cuſtodibus legum ſanctè ac legitimè coërceri, ac ſi quidem paruerit inuitus, ſacrum eſſe, quiuis vt ab eo repetere poſſit impietatis pœnas: nos neſcio cui terræ filio, remigi, aut baiulo ducemus liberum eſſe oportere, vetuſtiſſimas religiones tollere, inferre nouas? ſi quis puer imperitus rerum viam ſibi non ſatis notam ingreſſus, in triuium incideret imprudēs, auderet paſſum vnum procedere, priuſquam certò ſciret, quænam eò via duceret, quò vellet ipſe peruenire? ac ſi neminem haberet, vnde percontaretur, non conſiſteret cogitatione tacitâ defixus? non circumſpiceret, ſi quē forte vſquam videret? non exclamaret, ſi quis alicūde voci reſponderet? non ad proximas caſas, vel tabernacula paſtorum accederet, ſi quem, à quo doceretur, inueniret? nos autem, viri ſapientes, hac ætate, hoc vſu, ſatis officio noſtro facere videmur, ſi quod ſartor

aliquis

aliquis, aut lanius, aut coquus obrutus immoderato paſtu atque potu, ſomniarit, aut quod veterator callidus, confecto corpore perturbatâ mẽte, atrâ bili dominãte, improbè fuerit de religione commẽtus, perſequamur? Vos Lugdunenſes quid vobis, quid nobilitate veſtræ ciuitatis dignum ſit, quid maiorum veſtrorum hominũ ſanctiſſimorũ exempla poſtulent, diligenter cum animis veſtris conſiderate, vt facitis? & exiſtimate eam vnam ſequendam eſſe religionem atque diſciplinam, quæ à Chriſto doctore omnium gentium, & ab Apoſtolis eius adminiſtris per omnes Eccleſiæ principes ad nos peruenit. Iſta doctrina paucis abhinc annis inuenta, mihi credite, vetuſtatem nõ feret, aceſcet & euaneſcet breui, vt Arianorum, Sabellianorum, Eunomianorum, & aliorum nouas opiniones videmus prorſus euanuiſſe. Poteſt illa quidem inſtar muſti Noẽm ebrium facere, grauique ſomno oppreſſum nudum abiicere ad terram: mentẽ exhilarare verè, & corroborare nouo pacto poteſt? Satis multa pro tempore de antiquitate. reſtat vt de hominum auctoritatẽ dicam. Quanquam ſi ſumma eſſet hominum auctoritas, vbi noui quid afferrẽt, Eccleſiæ vniuerſæ decretis contrarium, nulla eorum eſſet habenda ratio. Sed videamus

tamen,quæ ſit iſtorum,qui vetera Eccleſiæ inſtituta conuellere aggreſſi ſunt,dignitas, grauitas,auctoritas.Cerno quàm ſcopuloſo & periculoſo in loco verſetur oratio mea vos ipſos conſulo,Lugdunenſes,quid mihi faciendum puteris. de vita & moribus iſtorum verba multa faciam? eorum probra, quæ vel audiui,vel legi,proferam in lucem? maledici conuiciatoris officio potiùs fūctus videbor, quam modeſti, & Chriſtiani hortatoris. tantis igitur de rebus penitus tacebo?modeſtiæ fortaſſe laudē non amittam , ſed cauſſam ne perdā,timendum eſt. quibus enim nullum fuerit probrum obiectum,quorum nulla commemorata macula, magnâ illi apud omnes fide & auctorita videbuntur eſſe debere. quid ergo eſt, quod fieri poſſit? quid hoc vnū opinor.totum illud orationis genus, quod maledictionis magis videtur eſſe,quàm abhortationis, relinquamus, & in ſcopulum illum potiùs incurramus,vt cauſſam videamur amiſiſſe quam linguæ procacitas alienâ educatione liberali,ac pudore noſtro,& eo inſtituto vitę,quod ſecuti ſumus,iure accuſetur.Atque hic attendite,quæſo , Lugdunēſes,quam nos diſſimili pro veritate, atque iſti pro falſitate,ratione pugnemus.Nā ne illi eorum quidem dignitati parcunt, quibus

bus obtemperare debuerunt: & cùm inhoneſtè fortè nonnunquam iacentẽ patrem à filiis quodam ſilentij quaſi pallio tegi, ne ab aliis cerneretur, æquum eſſet, irridere ipſi & aliis demonſtrare malunt impudenter: multáſque adeò fabulas, vbi vera deſunt, callidè confingunt, deludẽdi cauſsâ. & contra Eccleſiaſtici præceptum, ignominiis eorum, quos habere iubemur omnes in parentum loco, intolerantiſſimè exſultant, vt mirandum non ſit, hoc qui faciunt, eos ad tantam animi cæcitatem deueniſſe. Etenim ſi lumen eius, qui maledicit patri & matri, vt Salomon ſcriptum reliquit; in mediis tenebris extinguetur: quem errorem, quas illi tenebras fore arbitramur, qui omnibus eos probris maledictíſque vexant, quos apud nos Deus obtinere voluit locum, vim & auctoritatẽ ſuam? nos autẽ habemus loci, & temporis, habemus perſonarum dignitatis rationem, neque tam quid aliis obiici poſſit, quàm quid à nobis dici, à vobis audiri conueniat, cogitamus. Omnia, quæ commemorare ex hoc genere licebat, miſſa faciam & ſilebo. nullum iſti ex me verbum audient, quo ſe queri poſſint fuiſſe læſos. Eam aduerſus pares dicẽdi moderationem adhibebo, quam ipſi nunquam erga ſuperiores adhibuerint. Sunt aliæ multæ

Cap. 3.

Prou. 20.

graues,ac firmæ rationes, quibus verè, ſine cuiuſquam contumelia, quàm leuis, quàm nulla ſit iſtorum auctoritas, demonſtretur. quæſo, diligenter audite. Omnis populi docendi & inſtituendi auctoritas, vt B.Paulus oſtendit, miſſione continetur: *Quomodo*, inquit, *prædicabunt, niſi mittantur?* conſtat autem à multis prædicatum eſſe Chriſtum, qui miſſi non fuiſſent, vt ab illis, qui Antiochenorum animos conturbarunt. quid ergo Paulus negat prædicari poſſe Chriſtum, niſi mittantur à quibus prædicetur? nimirum ſentiebat ille, à nemine legitimè tradi cœleſtem Chriſti diſciplinam, niſi cui aliqua pars huius muneris fuerit cōceſſa; neque auctoritatem vllam in eo doctore reſidere, qui non ſit miſſus ad docendum. Verùm beatus Hieronymus, eximiâ ſanctitate & doctrinâ vir, quatuor ſtatuit Apoſtolorum eſſe genera, hoc eſt, eorum qui mittuntur. Primum genus eſt planè diuinum, eorum, quos nō homines neque Deus per homines mittit, ſed occulto quodam afflatu & inſtinctu ſolus De⁹ impellit. Alterum ſuperiori dignitate proximum, eſt eorum, quibus Deus quidem, vnde hæc omnis poteſtas & auctoritas ducta eſt, ſed per homines defert populi erudiendi munus. Tertium quod à priorum grauitate & ſplēdo

Rom. 10.

Actor. 15.

Initio cōment. epiſt. ad Galat.

dore longè abeſt, eorum eſt, quos nõ Deus, ſed homines mittunt. Quartum execrãdum & deteſtabile genus eos complectitur, qui nec à Deo, nec ab hominibus, ſed à ſe ipſi mittuntur, hoc eſt, qui prædicandi Chriſti munus, cùm ei à nemine præpoſiti fuerint, temerè vſurpant. Qui primis tribus generibus continentur, ij propriè ac verè dicuntur mitti: quarto verò in genere qui numerantur, non illi quidem mitti, ſed vltrò impudẽter accurrere; non aduocari, ſed inferre ſe atque intrudere; non accedere, ſed irrumpere dicendi ſunt. Itaque in illis primis poteſtas eſt & auctoritas: in his, quoniam miſſi non ſunt, quamuis ſe miſſos eſſe ſimulent, nihil eſt præter audaciam proiectam, & nefarium ſcelus. Veteres illos vates, Ioannem Baptiſtam, duodecim Apoſtolos, & extra numerum duodecim, B. Paulum, qui ſe non ab hominibus neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum Apoſtolum eſſe factum, aliquando neceſſariò gloriatus eſt, ego in primo genere repono, Iudam, & Silam ab Apoſtolis legatos Antiochiam cum publicis primi Concilij mandatis: Timotheum, Titum, denique omnes ab Apoſtolis, & eorũ ſucceſſoribus præpoſitos Eccleſiis, ad ſecundum genus arbitror pertinere, niſi fortè Iudas ille fuit Iacobi frater, quem ſcimus in

Galat. 1

Act. 15.

duodecim Apoſtolorū numero fuiſſe. Quicunque verò ſtudiis hominum ſacerdotia conſequuntur, eos tertium ad genus referendos puto: quibus tamen auctoritas non deeſt & quidē diuina, modò legitimè fuerint ordinati: ſed ab hominibus, non à Deo dicuntur mitti, quia non id exſpectant, vt à Deo vocentur tanquam Aaron, verùm humano fauore abutentes, honorem ſibi ipſi aſſumunt. Poſtremò omnes falſos vates, quos non miſerat Deus, ipſi tamen alacriter currebant, quibus nihil loquebatur, niſi ſignificabat Deus, ipſi verò vaticinabantur: omnes falſos Apoſtolos, operarios ſubdolos, trāsfigurātes ſe in Apoſtolos Chriſti, vt cùm ſint Satanæ miniſtri, ſpeciem quādam adumbratam miniſtrorū iuſtitiæ præ ſe ferant, quarto genere cōprehendo. Hæc cùm ſint quatuor genera eorum qui mittuntur; neque plura nec cogitatione quidem fingi poſſint, videamus iſti noui Chriſtiani populi magiſtri (etſi magiſtros appellare non debui, quorum eſt erroribus referta doctrina) veruntamen iſti, qui ſe miſſos eſſe iactant ad excitandum Euangelium iam ſepultum, videamus quo in numero ſint habendi. Sic enim leuitas eorum facillimè perſpicietur. Non defuit ex iſto grege, qui ſe alterum Eliam, & currum Iſraëlis eſſe

Hebr.5.

Ierem.23

2.Cor.11

præ

prædicaret. Quare non ab hominibus fortaſſe,neque per homines, ſed ab ipſo Deo & liberatore noſtro Ieſu Chriſto hanc ſibi traditam eſſe poteſtatem credere nos volunt; & tanquam è cœlo delapſos ad Eccleſiam in libertatem vindicandam, B.Paulo,& omnibus Apoſtolis pares, nihil facere ſe,nihil loqui,niſi diuini ſpiritus afflatu & impulſu.Magna ſanè res,excellẽs dignitas, grauis auctoritas& ſingularis.Sed tamẽ vbi nam iſte latet cœleſtis inſtinctus & impulſus?prorſus(inquiunt)incluſus eſt in pectoribus ac mẽtibus noſtris, neque res eſt eiuſmodi,vt ſub adſpectum oculorũ cadat probè:ſed ego ſic accepi,quoſcunque Deus aliquando miſerit,eos afflatus diuini multa & magna ſigna, quæ & dubitantibus, & verò etiam negantibus fidem facerent,præ ſe tuliſſe,multáſque res mirabiles & nouas, vel vno verbo perfeciſſe;vt Moſen, ceterosque vates,vt Petrum, vt Paulum, vt alios Apoſtolos, qui earum rerum, quas patrabant, admiratione omnium in ſe oculos & animos conuerterunt. quænam igitur iſti habent argumenta diuinæ miſſionis? qui docere poſſunt,ſi quis fortè neget, cœleſti ſe ſpiritu afflari ?cui ægro valetudinem,ſurdo auditum,adſpectum cæco,muto vocem,ingreſſum claudo reſtituerunt? quem mortuũ

ad vitam reuocarunt? nam iactare diuini ſpiritus inſtinctum, eius autem inſtinctus indicium nullum poſſe proferre, vel ſtultitiæ, vel amentiæ mihi videtur eſſe. Atqui ne noſtri quidem miraculis confirmāt doctrinam ſuam, quid tum? quaſi verò noſtri ſint tam arrogantes, vt non ab hominibus, ſed ab ipſo Deo ſe miſſos eſſe glorientur: qui cùm à ſucceſſoribus Chriſti & Apoſtolorū præfecti ſint Eccleſiis inſtituendis & regendis, iure optimo ſperant, ad officium ſuum obeundum ſibi ſpiritum diuinum affuturum. Tametſi noſtri antiquiſſimam ſequuntur diſciplinam, ad nos à Chriſto, & ab Apoſtolis vſque propagatam: quam cùm illi, & quos ipſi Eccleſiis præpoſuerunt, tam multis rebus mirabiliter diuinâ vi perpetratis confirmarint, neceſſe nunc non eſt, eam hoc genere denuò comprobari. Iſtis, iſtis, qui priſcorum patrum doctrinam omnibus ætatibus retentam & conſeruatam, funditus delere ſtudent, noua quæ afferunt, ſomnia factis mirabilibus atque diuinis confirmanda erant, vt nos eorum non ſermonem, ſed virtutem, hoc eſt, vim & poteſtatem res admirabiles patrandi, cognoſceremus, non
1.*Cor.* 4. enim in ſermone eſt regnum Dei, vt B. Paulus ait, ſed in virtute. Verum eſto. diuinæ
miſ

miſſionis vlla eiuſmodi argumēta nequeũt afferre, qualia de veteribus Prophetis, qualia de Apoſtolis permulta legimus. At alias coniecturas habēt, ſanè bonas atque firmas, quibus, niſi ſumus obſtinatis animis atque voluntate, fidem habere debemus. Adeſte animis, Lugdunenſes, & attētis auribus accipite quę dicam, nec ea vobis excidere aliquando patiamini. Nam mihi quædam infirma illa quidem, ſed ad ſpeciem præclara defenſio iſtorum oſtenditur: quæ ne nobis obſit, vehemēter cauēdum eſt. noui locum ſcio vbi exſultare & triũphare ſoleat iſtorum oratio. quàm multa in Italia, Germania, Gallia, Hiſpania, pro diſciplina ſua alacres ad mortem adierint, commemorabunt, exaggerabunt verbis acerbitatem & crudelitatem ſuppliciorum eorum, qui cruciabantur, patientiam, magnitudinem animi, alacritatem ornando ſubiicient penè ſub oculos & adſpectum. In tanta verò tot populorum & principum ſæuitia; in tanta quaſi tyrannide religionis intra quinquaginta annos tam longè latéque ſparſam ac diſſeminatam fuiſſe prædicabũt hanc fidem ſuam, vt iam omnes ferè terrarũ oras occuparit. tum ad extremum geſtientes victoriâ ſciſcitabuntur à nobis, an hæc cœleſtis afflatus ſatis certa ſigna putemus; tum etiam

pro

pro ſuo iure contendent, vt religionem tot martyrum morte confirmatam, orbis terræ iudicio probatam, noſtris quoque ſententiis comprobemus. Negare non poſſum, Lugdunenſes, magnifica mihi primâ ſpecie & ſplendida hæc eſſe videtur oratio. ad omnes meos impetus, veluti murus quidam martyrum nomen, & plurimarum gentium conſenſus opponitur. Sit doctrina noſtra noua: ſit recens: ſit nuper à nobis excogitata & inuenta? careat miraculorum fide. at multorum non vocis, ſed ſanguinis eſt teſtimonio confirmata, & paucis annis, multis ciuitatibus, principibus, regibus vehementer aduerſantibus, diſſipata propè per omnes terras. Non agam ſummo iure cum iſtis. non dicam id, quod ſi dicerem, omnes mihi concedi oportere faterentur: etiamſi martyrio multorum diſciplina iſta niteretur, quod fieri nequaquam poteſt; ſed ſi niteretur, fidem tamẽ ei nullam adiungẽdam eſſe, quæ veterum patrum ſententiis, quæ conciliorum decretis, quæ Chriſti & Apoſtolorũm doctrinæ omninò repugnet. non proferam memorabilem illam beati Pauli ſententiam, quæ omnium hæreticorũ cauſ-

Galat. 1. ſam vno ictu iugulat, *Licet nos aut angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam quod euãgelizabimus vobis, anathema ſit. Sicut prædixemus,*

mus, & nunc iterum dico. Si quis vobis euangelizauerit præter id, quod accepiſtis, anathema ſit. Sic agam, vt iſtos velle ſentio. quid dicunt? quid vociferantur? an martyrum quamplurimorum cruciatu atque morte ſuum Euãgelium fuiſſe fundatum? audio veruntamẽ, quorum? quando? apud quos? ego enim ita mihi videor ex antiquiſſimorum & optimorum ſcriptorum monumentis didiciſſe, non ſuppliciorum genere martyrem fieri ſed conditione cauſſæ: non ſi quis extremos corporis cruciatus mortémq; ſubeat voluntariam, ſed ſi quis hæc vltrò pro vera religione & fide Catholica ſuſtineat ei vni tam illuſtre martyris nomen eſſe tribuendum. Vt enim eum, qui probabili aliquâ ratione periculum adit, vt pro incolumitate patriæ, pro ſalute communi, fortem appellamus: qui verò temerè, ac nullâ ratione ſeſe offert in medium periculum atque diſcrimen hunc licet idem, atque ille, faciat, indignum fortitudinis laude ducimus; inconſideratum & audacem nominamus: non ſecus maiores noſtri, ſingulari ſapientiâ viri, qui ſinceræ religionis integræque fidei cauſsâ patiendo certans, mortem occubuiſſet, hunc verum, hunc perfectum, hunc ſolum martyrem eſſe putauerunt: ſi verò quis, vt opiniones tuere-

tur ſuas, vt fictas à ſe fabulas defenderet, ac perſuaderet aliis contra veterum ſcriptorum, Eccleſiæ vniuerſæ Chriſti, & Apoſtolorum auctoritatem, ab iis, qui in poteſtate eſſent, iure damnatus, vltrò mortem oppetiſſet, etiamſi omnia tormēta ſine voce gemitúq; ſuperaſſet, non eùm martyrem fortem & conſtantem, ſed nocētem, reum, audacem, ſuperbum, contumacem nuncupandum eſſe rectè cenſuerunt. Vidi ego Valentiæ, quæ clariſſima vrbs eſt in Hiſpania, pyratico myoparone capto, cùm duo Mauri, quorum fuerat inſignis crudelitas, publicè lapidibus obruerentur viui, ſpretâ facilioris conditione mortis, quæ proponebatur, ſi Chriſtianam religionem amplecterentur, tam alacres eos ad ſupplicium feſtinare, intentis oculis in cœlum, Mahometem illum ſuum clarâ voce appellantes; ſic in media etiam morte exſultare, eiuſdem falſi Prophetæ nomen crebrò vſurpantes, vehementer vt omnes mirarentur, voluntatis obſtinationem & pertinaciam poſſe tantùm, vt ſpeciem quandam & imaginem veterum martyrum in hominibus impiis adumbraret. non dubito quin multa generis eiuſdem acciderint vbique gentium: ſed ego non omnia potui vidēre. Cogitent igitur ſecum iſti, & videant quid velint. Nā

ſi omnia, pro quibus vitam vnquam multi contempſerint, pro veris & ſynceris habenda eſſe contendunt, Mahometanorum diſciplinam, erroris fallaciæque plenam, pro qua non pauci vitam& ſpiritum ſponte profuderunt,integram & ſynceram eſſe cogentur,profectò confiteri. Quare ſupplicia ſuorum commemorare deſinant, & amplificare oratione, quæ pro nobis ſunt potius, quàm contra nos;& oſtendũt non acumine diſputandi modò, verùm puniendi etiam ſeueritate nouum iſtud Euangelium vndiq; repelli illud doceant, recentem iſtam ſiue religionem, ſiue fraudem nullis falſis opinionibus eſſe deprauatam: cum veterũ ſcriptis, cum Eccleſiæ Catholicæ moribus & inſtitutis, cum Apoſtolorum Chriſtique doctrina congruere ex omni parte. hoc vbi planum fecerint, tum illud eis tribuemus, & dabimus,vt ſuos illos participes & ſocios Euangelij modò primùm naſcentis cauſsâ damnatos,cruciatos, necatos, editis etiã libris in martyrum numerum adſcribãt.quãdiu opiniones nobis ſuas probare nõ queũt, ſimiles illos iis,de quibus dixi,Mauris exiſtimari patiantur,magiſtros erroris, corruptæ diſciplinæ teſtes, falſi Euangelij miniſtros. Venio ad alterum defenſionis caput, non enim tam latè patet iſta peſtis quàm ipſi

ipſi gloriantur. Primùm in Germania, vnde ortum eſt hoc malum, ſcimûs principes eſſe nonnullos, de populo verò multos, qui conſtantiſſimè retineant patriam & antiquam religionis diſciplinam. In Gallia refloreſcere videmus eã in dies magis. Euangelij verò noui paulatim exareſcere doctrinam: vt non ſine cauſſa ſperare poſſimus, futurum aliquando, & quidem breui, vt erroribus ope diuinâ ſublatis, omnes vnanimes vno ore honorificemus Deum &
Rom.15. Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod ſummi boni loco B. Paulus Romanis à Deo precabatur. In Italia ſunt nonnulli fortaſſe prauis opinionibus imbuti; ſed illi latent in tenebris abditi atque retruſi, & hominum lucem pertimeſcunt. Sunt enim liberæ ciuitates egregiâ pietate: ſunt potẽtiſſimi principes incredibili ſtudio veritatis retinendę, qui vt Hydram immanem tot capitibus reuiuiſcentem exſcindant, ſummâ ope cõtendunt. Hiſpaniæ nomen ipſum arbitror iſtos exhorreſcere. Etenim eſt illa tota prouincia valde inimica nouitati; ſalutaribus inſtitutis ita munita & ſepta, vt ad eã iſta bellua adſpirare nullo modo poſſit. Nullam in religione illa ne leuiſſimam quidem ſuſpicionem patitur nouarum rerum. nihil vnquam generi, nihil clientelis, nihil opibus

con

condonandum eſſe duxit cuiuſcumq; fuerit, vel minimus deprehenſus error, qui pertineat ad religionem immutandam eũ ſummâ grauitate ſeueritateq; coërcet. Traiecit illa quidem paucos abhinc annos, in Luſitania cùm eſſem, Oceanũm Atlanticum, & partim in eam Americæ regionem, quæ eſt in ditione Luſitaniæ regis, partim vſque in Indiam cis Gangem nauigauit: ſed ex India reuincta catenis in Luſitaniã, vnde occultè conſcenderat, publicè nauibus eſt reportata: in America, vbi iam ſibi luſtra cõmunierat, Luſitani Prætoris annis, qui cum imperio tum oram illam maritimam obtinebat, oppreſſa penitus & exſtincta eſt. falsò igitur iſti iactant, diſſeminatum eſſe ſuum Euangelium per omnes terrarũ oras: cùm quibus in terris maximè viget, nõ tamen omnium mentes occuparit, & à plurimis, maximis, nobiliſſimisq; prouinciis omnibus viribus arceatur. Sed agè, ne nimis duri videamur, tribuamus hoc iſtis, quod volunt. Peragrarit omnes terras, & maria, iſta diſciplina: in omnium gentium animis penitus inſederit: vndique noſtram hoc eſt, veram religionem, exturbarit: at non omnia, quæ latè funduntur, numeranda ſunt in bonis. quàm latè proximis annis peſtilentia peruaſerit, vtinam feciſſet Deus Opt. Max:

ne vos, Lugdunenſes, ſentiretis. verũ quot hominum millia, in Hiſpania, Gallia, Germania, Italia illius mali contagione deleta ſunt? ergo ne luem illam ſalutarem nobis, & optabilem fuiſſe dicemus? ecquis inficiari audeat, Arianorum doctrinam venenatam & peſtiferam exſtitiſſe? atqui ab Auſtro exortus ille furor, cùm Solis orientis partes, Aquiloníſque compleſſet, vſque in vltimas occidentis Solis oras non lõgiſſimo ſpatio temporis peruenit: propè nullus vt ſit angulus orbis terrę tam diſiũctus, tam reconditus, tam obſcurus, vbi non fuerint Ariani perbacchati. Taceo cetera, video ad extremam mihi feſtinandũ eſſe hoc vnum. vos memoriâ tenere volo, Lugdunenſes, quod præclaram illam iſtorum defenſionẽ funditus euertit, ſi qua doctrina breui ſpargatur & diſſeminetur per orbem omnium terrarum, non continuò probabilem & laudabilem illam ducendam eſſe, cùm multæ ſæpe graues ac pernicioſæ peſtes latiſſimè permanarint. Nam quod veram atque germanam diuinorum librorum explicationẽ, quam ſuperbè nimis nobis omninò detrahunt, ſibi totam arrogant & aſſumunt, certiſſimum argumẽtum eſſe dictitant ſpiritus afflatusque diuini hoc planè ridiculũ eſt, Lugdunenſes. quid tu ab ipſo Deo te
miſ

miſſum eſſe,ſpiritu diuino duci affirmas,ob-
eámque cauſſam à te legitimè ſacras literas
exponi tibi fidem ab omnibus haberi opor-
tere ego contrà,nullam tibi fidem tribuen-
dam eſſe, libros diuinos à te deprauari cõ-
tendo:te à Deo miſſum eſſe, ſpiritu diuino
regi pernego: eius rei certum aliquod ar-
gumentum ſignumq́ue requiro & efflagito.
tu nullum mihi profers niſi legitimam ſcri-
ptorum diuinorum explanationem: & ad
confirmandum id quod eſt in controuerſia,
ſumis illud ipſum quod tibi probandũ eſt?
nullam iſti, nullam omninò firmam con-
iecturam, nullum argumentum probabile,
nullum, ne tenue quidem, habent veſtigiũ
illius,quam iactant diuinæ miſſionis affla-
túſque cœleſtis. At verò nos quàm multa.
quàm manifeſta, quàm certa proferre poſ-
ſumus indicia & ſigna quibus iſtos alias nõ
à Deo miſſos,ſed ab improbo dæmone im-
miſſos eſſe; non cœleſti ſpiritu afflari, ſed
ſuorum ſcelerum furiis agitari demonſtre-
mus? Ego ſic intelligo, Lugdunenſes,quod
poſſum ex literis diuinis facilè docere,cùm
aliquis exſiſtat, qui ſe Dei iuſſu tacito &
inſtinctu acceſſiſſe dicat ad docendũ, ſi ce-
tera ſigna deſint,vt iſtis oſtendi deeſſe,exi-
tum in primis ſpectari oportere. Stephano
crudeliter à Iudæis interfecto, cùm cæteri

quoq; noſtrę religionis homines ad vincula, ad ſupplicia, ad mortem raperentur. illi tempori cedentes, alij aliò diffugerunt. Ex eo numero nonnulli Antiochiam peruenerunt. tametſi nihil eis ab Apoſtolis fuerat mandatum, Chriſtum tamen etiã Græcis, hoc eſt, idolatris, denunciare cœperunt. Ab errore, quamplurimos ad veritatem cõuerterunt, cùm diuinâ vi multa facerent, *Acto.* 11. præter conſuetudinem, ſupra omnium hominum facultatem. *Erat enim*, inquit Lucas, *manus Domini cum eis*: qui ſi nihil eiuſmodi feciſſent, tamen ex iis, quæ poſt acciderunt, cognoſci potuiſſet, eos fuiſſe diuinitus impulſos ad multitudinem docẽdam. Nam ſtatim vt ea res peruenit ad Apoſtolorum aures, Barnabam illi miſerunt Antiochiam: *Acto.* 11. qui cognitâ munificentiâ diuinâ, hortabatur omnes, vt in ſuſcepto conſilio propoſitáque ſententia permanerent. Ductus eódem eſt poſteà Paulus à Barnaba: eorũ, & aliorum operâ tanta multitudo breui ad fidem adducta eſt, vt illa in vrbe primùm appellarentur diſcipuli Chriſtiani. quæ hã, obſecro, clariora impulſus diuini, argumẽta deſiderari poſſunt? probauit Eccleſia factum eorum, qui primi inſtituerant Antiochenos. Barnabas miſſus ab Apoſtolis cognoſcendi & iuuandi cauſſâ, quæ illi

tradiderant confirmauit. eadem Paulus docuit. Dicam audacter fortaſſe, veruntamẽ, vt arbitror, verè, Lugdunẽſes, ſi falſam aliquam corruptámque diſciplinam populus Anthiochenus didiciſſet, cùm illa poſteâ, quæ dixi, contigiſſent, iure optimo queri poſſent à Deo ſe fuiſſe circũuentos. Exorſi ſunt nõ multò poſt alij, qui pari ratione, cũ nullam ab Apoſtolis poteſtatẽ accepiſſent, populum eundem vltrò docerent, & circumciſionem in Eccleſiá introducere molirentur, illos non admonitu diuino ſuſcepiſſe, ſed effrenatâ cupiditate inuaſiſſe multitudinis inſtituendæ munus, eâdẽ ratione ac via perfici, poſſe credo. multorum enim animi conturbati ſunt. oppoſuerunt ſe Paulus, & Barnabas, eorumque peruerſæ doctrinæ vehementer reſtiterũt. res ad Apoſtolorum concilium relata eſt. Illi ſancti Spiritus inſtinctu, præfati nulla eos à ſe homines accepiſſe mandata, decreuerunt falſa & inania eſſe, quæ docuiſſent, neq; qui ab idololatria veniſſent ad fidem, circumcidendos eſſe. Fierine vllo modo poteſt, vt occulto ſancti Spiritus hortatu, & impulſu aggreſſi fuerint ad docendum, qui turbas tantas fecerint? quorum doctrinam Barnabas, Paulus, vniuerſum Apoſtolorum cõcilium tam apertè damnarit? ſic eſt, ſic prox-

Actor. 15.

ſus eſt, Lugdunenſes, vt prudens Poëta ſcri-
ptum reliquit, *Exitus acta probat*; neque res
vlla quale quidque ſit, magis oſtẽdit, quàm
quæ quidque conſequuntur. Euangelij verò
noui, quod iſtis in ore fruſtra ſemper eſt,
qui fuerit exitus, quanquam non eſt obſcu-
rum, tamen ego vobis indicabo paucis, vt
iſti magnificè loqui deſinant, è cœlo ſe eſſe
delapſos. Exſtitit primus Martinus Luthe-
rus, exſtiterunt alij poſtea permulti ab il-
lius diſciplina, vlũtate ſimiles inter ſeſe, &
magiſtri, opinionibus multùm diſſentiẽtes
ac diſcrepantes, hi ſacra, cæremonias, ima-
gines Sanctorum, omnem antiquã religio-
nem euertêre: noua quædam & ad id tem-
pus inaudita piis inducere in eorum locũ,
cõtra veterum ſcriptorum, ſanctiſſimorum
& doctiſſimorum hominum ſententias &
inſtituta ſine ſcripto nobis à Chriſto, & A-
põſtolis tradita per manus, repudiare; Ec-
cleſię generaliumque Conciliorum, & Põ-
tificis Romani ſupremum iudicium aucto-
ritatemque deſpicere, cõtra literas diuinas,
non à ſe corruptas, verùm ab antiquis in-
terpretibus, & ab Eccleſia rectè explicatas,
repugnare velle cœperunt. Multorum ho-
minum mentes doctrinæ nouitate permotę
ſunt. Cõplures integritate ſingulari & do-
ctrinâ viri, & Epiſcopi cõtradixère palàm.

&

& ſcripto, voce, auctoritate vehementiſſimè ſunt aduerſati. Delata res eſt ad Pontifices Romanos quorum ſemper fuit, vt etiã núc eſt, & poſthac erit, ſummum in Eccleſia iudicium & auctoritas. factum improbarunt. diſciplinam falſam preniciosamque eſſe ſtatuerunt. liberæ ciuitates, principes, reges, nouas quæſtiones, noua ſupplicia in eius erroris conuictos decreuerunt. Concilium œcumenicum conuocatum eſt, & in eum locum conuocatum, quò facile iſti, modò vellent, adire poſſent. libera poteſtas eis diſceptrandi facta. publica fides data, cùm per legatos eſſent perhumaniter inuitati. non adfuerunt abſentes cõdemnati, & anathematis pœnâ, quod more maiorum nõ niſi grauiſſimis in rebus fieri ſolet, affecti ſunt. Et erit quiſquam tam amens, tam à communi ſenſu alienus, qui diuinũ illis afflatum attribuat, quorum & doctrina omnibus, in quibus eſt aliqua poteſtas, Patribus antiquis, & Eccleſiæ vniuerſæ cõtraria, tantas in iis, quaſcũque attigit, oris tragœdias excitarit? Coniectura valdè bona eſt, Lugdunenſes. reſponderi verè nihil poteſt. obmuteſcendum iſti penitùs, vel ad ſolitas artes, mendacia dico, & fallacias, cõfugiẽdum eſt. Aliud argumentũ nihilominus firmum accipite. Deus idẽ ſemper eſt,

ſemper ſui ſimilis, ſemper vnius modi. vt natura, ſic voluntas & ſententia diuina non mutatur neq; ſibi ipſe aduerſarius eſſe poteſt, ſecúmque pugnare. quod cùm ita ſit, fieri nullo pacto poteſt, vt quorum diuerſæ ſunt, ac inter ſe pugnãtes opiniones & ſententię ij omnes diuini ſpiritus inſtinctu loquantur. conſentire ſibi mutuò ſenſibus, & cõſpirare neceſſe eſt eos qui à Deo ſemper idem ſentiẽte doceri ſe, credere nos & exiſtimare velint. quàm autem iſti ſint inter ſe cõcordes, quàm opinionibus congruentes, ipſi cernitis, etiãſi ego non dicã. Octauus, opinor, & quadrageſimus annus eſt, cùm Lutherus, iſtorum omnium parens, atque dux, publicè ac palàm ab Eccleſia vniuerſa diſceſſit. Eorum verò ſectas, qui ab illo orti, & à ſe mutuò, & à magiſtro multis de rebus diſſenſerũt, multò inter ſe magis, quàm nobis aduerſas, ampliùs octoginta numerãt, auctoribus, temporibus, & opinionibus notatis, qui his in rebus colligẽdis nonnihil ſtudij operæque poſuerũt, vt ſubductis rationibus, binæ propemodùm in ſingulos annos cõtrariæ diſciplinæ diſtribui poſſint. Altercantur quidem interdũ etiam & inter ſe noſtri cõtendũt. nõ nego. verùm eiuſmodi de rebus cõtendũt, de quibus liberũ cuique eſt opinari, quod velit. Quęre quid credant,

dãt, explora eorum ſidem, omnes idem dicẽt, mirus omniũ cõſenſus reperietur. quod ſi quando accidit, vt etiam de fide quæſtio aliqua exſiſtat, Pontificis M. vel generalis Cõcilij decreto & ſententiâ lis omnis & cõtrouerſia terminatur. Iſtis autem & illis de rebus, quas oportet credi, vt nobiſcum, ſic etiam inter ipſos, eſt omne certamẽ, neque vllum habent commune caput, iudicio cuius in corcodiam reducantur. Ex quo perſpicuum eſt, neminem iſtorum impulſu diuino moueri, cùm omnes, tã inter ſe de fide pugnãtes clament ſe diuinitùs haurire quæ dicãt. Mitto quod verbum iſtud, vt ipſi vocant, diuinum: vt ego ſentio, commentitium, contemptum ordinum religioſorum parit: quod omnem obedientiam tollit, quæ principibus Eccleſiæ debetur? quod maledicendi licentiam immoderatam affert, & intempeſtiuam atque importunam loquacitatem vt qui ſectam iſtorum perſequuntur, publicè, priuatim, in concionibus in vicis, in plateis, in tabernis, diuerſoriis, in circulis, in conuiuijs omne acerbitatis ſuæ virus in eos effundant, quos obſeruare & colere debuerunt, & in mediis etiam poculis impia Euangelij noui myſteria impuris ſermonibus eructent. Hæc, & alia prætereo, quæ ſi quis colligere velit, ac ſecum

ipſe cogitare tacitùs facilè adduceretur, vt credat iniuriam Deo facere, qui dicat, in iſtis hominibus quidquam ſpiritus diuini reſidere. Dictum eſt de primo genere eorũ, qui mittuntur; à quo recentes iſtos doctores longiſſimè abhorrere didiciſtis. alterum ad genus accedamus. Nam iſti de primo illo depulſi quaſi gradu, ſecundum fortaſſe capient, in eoque conſiſtent, ac ſe à Deo quidem, verùm per homines accepiſſe reſpondebunt docendi poteſtatem. honeſta ſanè defenſio. Illa enim extraordinaria planéque diuina ratio mittendi, neque nunc eſt neceſſaria, neque vſitata. hæc à Deo inſtituta eſt. hæc omnibus ſeculis vſurpata eſt: hæc vſurpabitur omnibus ætatibus conſequentibus ad glorioſum vſque aduentum Chriſti: hac nos etiam tuemur eorum, qui nobis præſunt auctoritatem. Itaque B. Paulus quãuis certò ſciret, ab ipſo Deo ſe fuiſſe ad erudiendas Gentes extra ordinem aduocatum multumque ac diu, Apoſtolis, & vniuerſâ Eccleſiâ probante, fuiſſet in eo negotio verſatus, tamen peragraturus orbem terræ, ſibi manus imponi paſſus eſt, & humanam auctoritatem cum diuina cõiunxit: idémque poſt X V I I. annos quàm Chriſtum denunciare cœperat, vt ipſe narrat, iterum admonitu diuino Hieroſolymam

con

contendit;& cum Apoſtolorum principibus contulit doctrinam ſuam,ne fortè operam illam,& laborem tantũ fruſtra cõſumeret,aut ad illum diem ante cõſumpſiſſet. Tanti vir ſanctiſſimus putabat eſſe faciendam legitimam hominum poteſtatem.Sed illud quæro,quónam iſti modo per homines,opinentur aliis hominibus à Deo dari dicendi poteſtatem, an impoſitione manuum eorum qui ipſi vel ab aliis,vel à ſolo Deo legitimam habeant poteſtatem?ſi negant,nullo negotio conuincam.quid enim aliud ſignificauit Paulus cùm illa Timotheo ſcripſit? *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt,quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum presbiterij. Propter quam cauſſam admoneo te,vt reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearũ.* 1.Tim.4. 2.Tim.1. audis presbyterium?audis manuum impoſitionem gratiam diuinam, quam Timotheus acceperat ad mandatum ſibi munus probè fungendum, confirmat ei manuum ſuarum impoſitione,cùm Epiſcopus ordinaretur,fuiſſe conceſſam. Quapropter vbi manuum impoſitio legitima alicuius, qui legitimam ipſe poteſtatem habeat, nulla eſt,ibi gratia,poteſtas, auctoritas per homines à Deo cum hominibus communicata quî poteſt eſſe?Percontor nunc ab iſtis

per quos homines dicant ſecum hanc au-ctoritatem eſſe communicatam; quis eis impoſuerit manus; à quo fuerint ordinati. noſtros, credo, Pontifices ne nominabunt quidem, quippe quibus omnem dignitatem, atque poteſtatem adimere nitantur. Lutherum dicet aliquis, alius Philippum, alius Caluinum, alius alium neſcio quem fortaſſe nominabit. illi verò ipſi, quicunque fuit, quis impoſuerat manus, quis tantam permiſerat poteſtatem? ad primum aliquem neceſſariò deueniendum eſt, qui non fuerit Eccleſiæ magiſter à Deo per homines creatus, cùm præſertim iſti noſtrorum ordinationem, quæ multis ipſorum non defuit, ſuperbiſſimè adſpernentur. illi certè, cùm ab ipſo Deo ſine cuiuſquam impoſitione manuum poteſtatem nullam accepiſſet, vt ſuprà oſtendi, non id potuit cum aliis communicare, quo caruit. Vnde efficitur profectò, nullam in iſtis auctoritatem reſidere à Deo per homines tributam, quorum ſi ab vltimis regrediaris ad primos, nulla ſit ordinationis, nullæ legitimæ manuum impoſitionis perpetua & continuata ſucceſſio. Ergo neq; primū iſti, neque ſecūdum gradum tueri poſſunt. pedem referant neceſſe eſt, ſicubi fortè queant ita inſiſtere, vt nullis viribus deturbentur. Non autem eos tam cō-

temnentes eſſe credo dignitatis ſuæ, vllam vt ſibi cum tertio genere ſocietatẽ eſſe velint, quod totũ eſſe diximus ambitione deprauatum; quid ſit conſequens, abſque mea oratione, quiuis veſtrûm intelligit. Velint nolint ad quartum illud deuoluũtur genus, in quo nulla dignitas, nulla poteſtas eſt, nulla niſi ficta & ſimulata auctoritas, contra ſumma turpitudo & infamia. Nequeo hoc ſine magno animi dolore dicere, Lugdunenſes. angor enim & crucior, viros nõ expertes ingenii, neque doctrinæ eò delapſos eſſe, vt hæc in eos conueniat oratio. Dicẽdum tamẽ eſt, maiorq; veritatis ratio ducenda, quàm doloris. nõ iſti verbi diuini miniſtri ſunt, non vindices Eccleſiæ, non Euãgelii aſſertores, ſed vnà cum mẽdacibus Prophetis, vnà cum falſis Apoſtolis adnumerãdi. Tales iſti ſũt, qualis ille Sedechias fuit, qui Michææ in conſpectu duorum regum colaphum infregit: aut omninò quales illi vates, qui Baali diuinos honores tribuebãt? aut quales illi alij, qui patriæ ſuæ nihil euenturũ mali teſtificãtes, & omnia ſecunda & optabilia falſò prædicentes cùm Hieroſolymitani ciues ſuos fefelliſſent, Hieremiam vera prænunciantem in teterrimum carcerem coniecerunt. Non maior eſt iſtorum auctoritas, quam fuit illorum

3 *Reg.* 22.
3. *Reg* 18.
Hier. 17.
23.27.

Actor. 15. rum, qui cùm adumbratam Apoſtolorum
2. Cor. 1. perſonam induiſſent, circumciſionẽ Antio-
Galat. 1. chenis perſuadere voluerunt? aut illorũ, qui
Corinthios in errorem inducere conati ſũt?
aut illorum, qui Galatas ab Euangelij li-
bertate ad Iudaicam ſeruitutem traduxe-
runt? aut denique illorum, qui Paulo toties
2. cor. 11. inſidias fecerunt, tot pericula intulerunt,
tam graues & tam aſſiduas moleſtias exhi-
buerunt. Quamobrem vos iam ſtatuite,
Lugdunenſes, (quamquam de veſtra reli-
gione & grauitate non dubito, ſed quia ſi
res in dubium aliquando vocaretur, quæ
ſunt à me tractata, fidem cuiuis facere de-
berent) vos iam ſtatuite, Lugdunenſes, vtra
ſit amplectẽda & ſequẽda diſciplina, quã à
Chriſto Apoſtoliſque traditam coluit om-
nis antiquitas, an quam malitia quorundã,
& aduerſus Pontifices Romanos odium
paucis abhinc annis excogitauit, quam mo-
deſtè profitentur illi, qui Chriſto, & Apo-
ſtolis viſitatâ & legitimâ impoſitione ma-
nuum ſucceſſerunt, an quam nolentibus e-
tiam & repugnantibus obtrudunt iſti qui
ſe inculcant auribus noſtris, & ſpiritu diui-
no falſo gloriantur, neque per quos homi-
nes poteſtatem acceperint, docere poſſunt
Maiores veſtri religioſiſſimi & grauiſſimi
mortales, ne hanc ipſam desererent, quam
ſe

ſequimur omnes orthodoxi diſciplinam, quas fortunarum ruinas, quæ exilia, quæ vincula, quas ignominias, quos corporis cruciatus, quam horribiles & formidoloſas neces non ſuſtinuerunt? non etiam vltrò depopoſcerunt? plena eſt exemplorum vetuſtas, plenæ hiſtoriæ. pleni Græcorum & Latinorum libri, quæ in his quondam terris atque in hac vrbe fuerit religionis gloria, qui ſplendor, quæ in retinenda à ſuperioribus acceptâ pietate conſtantia. pueros, pueros fermè infantes, & mulieres imbecillis corporibus memoriæ proditum eſt pro religione patriâ, ſummis animis & incredibili contentione certaſſe vos ab illa virtute, grauitate, firmitate, animi degenerabitis, & tantam pietatis, tam veram ſolidámque laudem nobis à maioribus relictã, quadam leuitate mentis abiicietis? illos, vt ſcopulos fixos & ſtabiles, nulla tempeſtas, nullus turbo potuit commouere: vos velut arundines, inanes ac mobiles, quauis aurâ rumoris in omnes partes rapiemini? & ſũmo cum dedecore inconſtantiæque nota, malè damnabitis quod rectè omnibus annis ſuperioribus comprobaſtis? vos appello duo ciuitatis huius principes, atque duces, quos præſentes intueor: quorum alter diuinis rebus, alter humanis præeſt atq;

Matt. 11.

ciui-

& tueatis tantùm,quod ſatis quidē eſt aliis, tibi parum: ſed vt vincas etiam tibi contendendum eſt, quod cœleſtibus auxiliis facilè ſpero conſequeris. Tu verò, prætor ſapientiſſime, quem pacis bellique procuratorem,adminiſtratorem,ducem hęc ciuitas nuper accepit, quam aliis ciuitatibus. quibus difficillimis temporibus magna cū laude præfuiſti, præbuiſti prudentiā,eandē hoc tempore Lugdunēſi reipublicæ totam que diuturnis afflictæ malis impertire .Eſt illa verè felix & beata, cui talis hoc tem pore cuſtos & gubernator oblatus eſt,qualem haud ſcio,an cauſſa fuiſſet optare.Vrbana iuriſdictio ſcientiam legū requirebat? habet,qui ſi omnium Iure conſultorum libri intercidiſſent eius ipſum poſſet ab interitu vindicare. quæſtiones criminū vim & ſeueritatem deſiderabant?nacta eſt, qui ſi omnia iudicia corrupta eſſent,ea poſſet ad priſtinam grauitatem reuocare.pericula denique inteſtini mali,atq; domeſtici auctoritatem,& nonullam armorum exercitationem poſtulabant?tu diuino conſilio datus es regii conſilii priuati princeps, cuius virtus & induſtria,& fides,domi militiæq; cognita, ſuperioribus annis maximo difficillimoq; bello multis ciuitatibus ſaluti fuit,nulla in ea laus, qui ciuitatē hāc eſſe

gubernaturus, poterat optari, quæ non in te ſumma reperiatur. hanc felicitatem Lugdunenſi reipubl. te prætore fore perpetuam ſperamus; & quam omnibus aliis in rebus fidem, domo, tuis, ciuitate, ſolo patrio relicto maieſtati regiæ præſtitiſti, eandẽ te in hoc etiam magiſtratu præſtiturum: neque dubitamus, quin vt aliis in terris, vbi cum imperio verſatus es, iucundam reliquiſti memoriam nominis & integritatis tuæ, ſic ab hac vrbe decedens, magnum tui ſis deſiderium relicturus, in omnium Lugdunenſium animis infixum. Spem verò noſtram tu Prætor ſapientiſſime, iuuante Deo, re factiſque ſuperabis; & qui bonã ætatis tuæ partẽ in literis conſumpſiſti, in grauiſſimis muneris tui curis ac laboribus nonnihil etiã huic gymnaſio publico, noſtræ fidei cõmiſſo & tradito, putabis eſſe tribuendũ loci. Non minùs enim res ciuiles, quàm religio, quod tuam ſapientiam fugere nõ poteſt, ex iuuẽtutis inſtitutione pendent. Vos denique Lugdunenſes, gratias immortales agite principi & auctori ſalutis noſtræ Deo, qui tales donarit præſides veſtræ ciuitati: & quoniã intelligitis, quãti referat, à quib. liberi veſtri erudiantur, gaudete habere vos in hoc noſtro gymnaſio magiſtros, quibus eos tutò committere poſſitis ne corrũpãtur à

pædagogis illis, quos iſti callidi venatores tanquam canes ad hominum mētes capiendas emittunt in omnes partes, diligenter vobis prouidendum eſt. Hac priuatâ curâ, atque domeſticâ, quæ maxima ex parte veſtra eſt, conſenſione bonorum omniū; clariſſimi archiepiſcopi optimi religioſiſſimique viri auctoritate; prætoris præſtantis inſigni ſapientiâ & virtute; quódque omnibus in rebus caput eſt auxiliis diuinis atque cœleſtib. hæc veſtra reſpublica, é tot támq; grauibus recreata malis, magis indies ac magis effloreſcet, & diuinâ liberalitate omnibus bonis cumulatâ, diuturnâ pace, otio tranquillitate perfruetur. Hæc ante omnia dicenda eſſe duxi. craſtinâ die ad explicationem literarum ſacrarum aggrediemur, cuius ex præfatione omnem conſilij noſtri rationem cognoſcetis.

PETRI IOANNIS PERPINIANI

DE RETINENDA VETERI RELIGIONE, & falſa recentium hæreticorum doctrina reiicienda, ad Pariſienſes

ORATIO. XIII.

QVANTAM mihi venienti lætitiam huius ampliſſimæ pulcherrimæque

vrbis primum cogitatio, deinde adſpectus attulit, Pariſienſes, tantum apud vos commoranti doctiſſimorum hominum offenſio, neſcio vnde ſanè, non ab vlla quidem certè noſtra iniuria nata, multorúmque ciuium à nobis alienatio affert dolorem. Nam vt iucundiſſimum fuit hoc humanæ diuinæque ſapientiæ clariſſimum domicilium, hanc veſtrûm frequentiam tantam, quantam me nuſquam videre memini, animo primùm, deinde oculis intueri: ſic vniuſcuiuſque voluntate perſpecta, angor equidem intimis ſenſibus, cruciórq; vehementer, eos viros à nobis abhorrere, quorum & ingenij vim, & doctrinæ varietatē, & orationis copiam multò antè, quàm viderem, armare cœpi. Ac me quidem multos abhinc annos tantę ſapientiæ fama permotum, quanta ſemper his auguſtiſſimis in ſedibus verſata eſt, & ad vos toto animo, totáque voluntate iam iámque properantem, non quæ tam primùm ab Henrico fortiſſimo rege, contra Carolum imperatorem inuictum ſumpta ſunt arma, quam diuina, quædam vis, ac totius vitæ ſubita conuerſio retardauit. Quò mihi etiam gratior & iucundior accidit hic meus aduentus, cùm ille idē, qui prohibuerat aliquādo, Deus nūc non paſſus modò fuerit, verùm iuſſerit etiā

ab

ac propemodùm coëgerit venire, vt illa vetus videndæ huius vrbis auiditas, tanquam diuturna ſitis, hoc tempore potiſſimùm expleretur. Quod ſi quorum eruditionem liberalem, & elegantiam exquiſitam antè probáram, eorum animos erga nos offendiſſem tales, quales aut optaſſe me ſæpe negare non poſſum, aut eruditiſſimorum virorum in homines doctrinæ ſtudioſos eſſe oportebat, nihil omninò, nihil ad voluptatis lætitiæque cumulum mihi defuiſſet, Pariſienſes: nunc autem ſiue ratio eos aliqua, ſiue falſa opinio, ſiuè quid aliud à nobis alienauit. tantò maiorem in medio gaudio capio dolorem, quantò cùm vberiores, tum ſuauiores & ipſis, & nobis, & vniuerſæ iuuentuti futuros fuiſſe intelligo cõſenſionis illius concordiæq; fructus. Nam ipſi, vt nihil aliud aſſequerentur, hac certè moleſtiâ carerent, quã ex diſſidio voluntatũ, & acerbitate animorum trahunt; nos & alia multa bona conſequeremur, & illa vitæ, quam ſemper optauimus tranquillitate frueremur: iuuentus autem ex omnibus Galliæ, multiſque aliarum gentium ciuitatibus delecta, nullis diſtracta odiis, nullis impedita diſcordiis, nullis tumultibus perturbata, quò quietè magis, eò etiam vtiliùs ad percipiẽdam optimarum artium doctrinam & [illegible]

per quos homines dicant ſecum hanc auctoritatem eſſe communicatam; quis eis impoſuerit manus; à quo fuerint ordinati. noſtros, credo, Pontifices ne nominabunt quidem, quippe quibus omnem dignitatem, atque poteſtatem adimere nitantur. Lutherum dicet aliquis, alius Philippum, alius Caluinum, alius alium neſcio quem fortaſſe nominabit. illi verò ipſi, quicunque fuit, quis impoſuerat manus, quis tantam permiſerat poteſtatem? ad primum aliquem neceſſariò deueniendum eſt, qui non fuerit Eccleſiæ magiſter à Deo per homines creatus, cùm præſertim iſti noſtrorum ordinationem, quæ multis ipſorum non defuit, ſuperbiſſimè adſpernentur. illi certè, cùm ab ipſo Deo ſine cuiuſquam impoſitione manuum poteſtatem nullam accepiſſet, vt ſuprà oſtendi, non id potuit cum aliis communicare, quo caruit. Vnde efficitur profectò, nullam in iſtis auctoritatem reſidere à Deo per homines tributam, quorum ſi ab vltimis regrediaris ad primos, nulla ſit ordinationis, nullæ legitimæ manuum impoſitionis perpetua & continuata ſucceſſio. Ergo neq; primũ iſti, neque ſecũdum gradum tueri poſſunt. pedem referant neceſſe eſt, ſicubi fortè queant ita inſiſtere, vt nullis viribus deturbentur. Non autem eos tam cõ-

temnen

temnentes eſſe credo dignitatis ſuæ, vllam vt ſibi cum tertio genere ſocietatẽ eſſe velint, quod totũ eſſe diximus ambitione deprauatum; quid ſit conſequens, abſque mea oratione, quiuis veſtrûm intelligit. Velint nolint ad quartum illud deuoluũtur genus, in quo nulla dignitas, nulla poteſtas eſt, nulla niſi ficta & ſimulata auctoritas, contra ſumma turpitudo & infamia. Nequeo hoc ſine magno animi dolore dicere, Lugdunenſes. angor enim & crucior, viros nõ expertes ingenii, neque doctrinæ eò delapſos eſſe, vt hæc in eos conueniat oratio. Dicẽdum tamẽ eſt, maiorq; veritatis ratio ducenda, quàm doloris. nõ iſti verbi diuini miniſtri ſunt, non vindices Eccleſiæ, non Euãgeli, aſſertores, ſed vnà cum mẽdacibus Prophetis, vnà cum falſis Apoſtolis adnumerãdi. Tales iſti ſũt, qualis ille Sedechias fuit, qui Michææ in conſpectu duorum regum colaphum infregit? aut omninò quales illi vates, qui Baali diuinos honores tribuebãt? aut quales illi alij, qui patriæ ſuæ nihil euenturũ mali teſtificãtes, & omnia ſecunda & optabilia falsò prædicentes cùm Hieroſolymitani ciues ſuos fefelliſſent, Hieremiam vera prænunciantem in teterrimum carcerem coniecerunt. Non maior eſt iſtorum auctoritas, quam fuit illorum

3 Reg. 12. *3. Reg* 18. *Hier.* 17. 23. 27.

rum

Actor.15. rum, qui cùm adumbratam Apoſtolorum
2.Cor.1. perſonam induiſſent, circumciſionē Antio-
Galat.1. chenis perſuadere voluerunt? aut illorū, qui Corinthios in errorem inducere conati ſūt? aut illorum, qui Galatas ab Euangelij libertate ad Iudaicam ſeruitutem traduxerunt? aut denique illorum, qui Paulo toties
2.cor.11. inſidias fecerunt, tot pericula intulerunt, tam graues & tam aſſiduas moleſtias exhibuerunt. Quamobrem vos iam ſtatuite, Lugdunenſes, (quamquam de veſtra religione & grauitate non dubito, ſed quia ſi res in dubium aliquando vocaretur, quæ ſunt à me tractata, fidem cuiuis facere deberent) vos iam ſtatuite, Lugdunenſes, vtra ſit amplectēda & ſequēda diſciplina, quā à Chriſto Apoſtoliſque traditam coluit omnis antiquitas, an quam malitia quorundā, & aduerſus Pontifices Romanos odium paucis abhinc annis excogitauit, quam modeſtè profitentur illi, qui Chriſto, & Apoſtolis viſitatâ & legitimâ impoſitione manuum ſucceſſerunt, an quam nolentibus etiam, & repugnantibus obtrudunt iſti qui ſe inculcant auribus noſtris, & ſpiritu diuino falſo gloriantur, neque per quos homines poteſtatem acceperint, docere poſſunt Maiores veſtri religioſiſſimi & grauiſſimi mortales, ne hanc ipſam deſererent, quam ſe

ſequimur omnes orthodoxi diſciplinam, quas fortunarum ruinas, quæ exilia, quæ vincula, quas ignominias, quos corporis cruciatus, quam horribiles & formidoloſas neces non ſuſtinuerunt? non etiam vltrò depopoſcerunt? plena eſt exemplorum vetuſtas, plenæ hiſtoriæ. pleni Græcorum & Latinorum libri, quæ in his quondam terris atque in hac vrbe fuerit religionis gloria, qui ſplendor, quæ in retinenda à ſuperioribus acceptâ pietate conſtantia. pueros, pueros fermè infantes, & mulieres imbecillis corporibus memoriæ proditum eſt pro religione patriâ, ſummis animis & incredibili contentione certaſſe vos ab illa virtute, grauitate, firmitate, animi degenerabitis, & tantam pietatis, tam veram ſolidámque laudem nobis à maioribus relictã, quadam leuitate mentis abiicietis? illos, vt ſcopulos fixos & ſtabiles, nulla tempeſtas, nullus turbo potuit commouere: vos velut arundines, inanes ac mobiles, quauis aurâ rumoris in omnes partes rapiemini? & ſũmo cum dedecore inconſtantiæque nota, malè damnabitis quod rectè omnibus annis ſuperioribus comprobaſtis? vos vos appello duo ciuitatis huius principes, atque duces, quos præſentes intueor: quorum alter diuinis rebus, alter humanis præeſt atq; *Matt.* 11.

ciui

& tuearis tantùm, quod ſatis quidē eſt aliis, tibi parum: ſed vt vincas etiam tibi contendendum eſt, quod cœleſtibus auxiliis facilè ſpero conſequeris. Tu verò, prætor ſapientiſſime, quem pacis belliquc procuratorem, adminiſtratorem, ducem hęc ciuitas nuper accepit, quam aliis ciuitatibus quibus difficillimis temporibus magna cū laude præfuiſti, præbuiſti prudentiā, eandē hoc tempore Lugdunēſi reipublicæ totam que diuturnis afflictæ malis impertire. Eſt illa verè felix & beata, cui talis hoc tempore cuſtos & gubernator oblatus eſt, qualem haud ſcio, an cauſſa fuiſſet optare. Vrbana iuriſdictio ſcientiam legū requirebat? habet, qui ſi omnium Iure conſultorum libri intercidiſſent eius ipſum poſſet ab interitu vindicare. quæſtiones criminū vim & ſeueritatem deſiderabant? nacta eſt, qui ſi omnia iudicia corrupta eſſent, ea poſſet ad priſtinam grauitatem reuocare. pericula denique inteſtini mali, atq; domeſtici auctoritatem, & nonullam armorum exercitationem poſtulabant? tu diuino conſilio datus es regii conſilii priuati princeps, cuius virtus & induſtria, & fides, domi militiæq; cognita, ſuperioribus annis maximo difficillimoq; bello multis ciuitatibus ſaluti fuit, nulla in ea laus, qui ciuitatē hāc eſſe

gubernaturus,poterat optari,quæ non in te ſumma reperiatur.hanc felicitatem Lugdunenſi reipubl.te prætore fore perpetuam ſperamus;.& quam omnibus aliis in rebus fidem,domo,tuis,ciuitate,ſolo patrio relicto maieſtati regiæ præſtitiſti, eandẽ te in hoc etiam magiſtratu præſtiturum : neque dubitamus,quin vt aliis in terris,vbi cum imperio verſatus es, iucundam reliquiſti memoriam nominis & integritatis tuæ,ſic ab hac vrbe decedens , magnum tui ſis deſiderium relicturus,in omnium Lugdunenſium animis infixum. Spem verò noſtram tu Prætor ſapientiſſime,iuuante Deo,te factiſque ſuperabis ; & qui bonã ætatis tuæ partẽ in literis conſumpſiſti,in grauiſſimis muneris tui curis ac laboribus nonnihil etiã huic gymnaſio publico,noſtræ fidei cõmiſſo & tradito,putabis eſſe tribuendũ loci. Non minùs enim res ciuiles,quàm religio, quod tuam ſapientiam fugere nõ poteſt,ex iuuentutis inſtitutione pendent. Vos denique Lugdunenſes,gratias immortales agite principi & auctori ſalutis noſtræ Deo,qui tales donarit præſides veſtræ ciuitati : & quoniã intelligitis,quãti referat, à quib. liberi veſtri erudiantur,gaudete habere vos in hoc noſtro gymnaſio magiſtros , quibus eos tutò committere poſſitis,ne corrũpãtur à

pædagogis illis, quos iſti callidi venatores tanquam canes ad hominum mẽtes capiendas emittunt in omnes partes, diligenter vobis prouidendum eſt. Hac priuatâ curâ, atque domeſticâ, quæ maxima ex parte veſtra eſt, conſenſione bonorum omniũ; clariſſimi archiepiſcopi optimi religioſiſſimique viri auctoritate; prætoris præſtantis inſigni ſapientiâ & virtute; quódque omnibus in rebus caput eſt auxiliis diuinis atque cœleſtib. hæc veſtra reſpublica, è tot támq; grauibus recreata malis, magis indies ac magis effloreſcet, & diuinâ liberalitate omnibus bonis cumulatâ, diuturnâ pace, otio tranquillitate perfruetur. Hæc ante omnia dicenda eſſe duxi. craſtinâ die ad explicationem literarum ſacrarum aggrediemur, cuius ex præfatione omnẽm conſilij noſtri rationem cognoſcetis.

PETRI IOANNIS PERPINIANI

DE RETINENDA VETERI RElıgione, & falſa recentium hæreticorum doctrina reiicienda, ad Pariſienſes

ORATIO. XIII.

QVANTAM mihi venienti lætitiam huius ampliſſimæ pulcherrimæque

ac propemodùm coëgerit venire, vt illa vetus videndæ huius vrbis auiditas, tanquam diuturna ſitis, hoc tempore potiſſimùm expleretur. Quod ſi quorum eruditionem liberalem, & elegantiam exquiſitam antè probáràm, eorum animos erga nos offendiſſem tales, quales aut optaſſe me ſæpe negare non poſſum, aut eruditiſſimorum virorum in homines doctrinæ ſtudioſos eſſe oportebat, nihil omninò, nihil ad voluptatis lætitiæque cumulum mihi defuiſſet, Pariſienſes: nunc autem ſiue ratio eos aliqua, ſiue falſa opinio, ſiuè quid aliud à nobis alienauit. tantò maiorem in medio gaudio capio dolorem, quantò cùm vberiores, tum ſuauiores & ipſis, & nobis, & vniuerſæ iuuentuti futuros fuiſſe intelligo cõſenſionis illius concordiæq; fructus. Nam ipſi, vt nihil aliud aſſequerentur, hac certè moleſtiâ carerent, quã ex diſſidio voluntatũ, & acerbitate animorum trahunt; nos & alia multa bona conſequeremur; & illa vitæ, quam ſemper optauimus tranquillitate frueremur: iuuentus autem ex omnibus Galliæ, multiſque aliarum gentium ciuitatibus delecta, nullis diſtracta odiis, nullis impedita diſcordiis, nullis tumultibus perturbata, quò quietè magis, eò etiam vtiliùs ad percipiẽdam optimarum artium doctrinam & ...

rum operâ,& noſtrâ vteretur. Verùm vna me conſolatio ſuſtentat, quòd neque vllo noſtro peccato diſſident à nobis,neque per nos aliquando ſtetit, quò minùs cum iis, quos nulla à nobis cauſsâ deſiunxerat, rurſus omnibus offenſionibus obliteratis, coiremus. Illud enim tãtum poſtulamus,quod in hac vrbe nemo non obtinuit,niſi qui noluit,vt Academiæ inſtitutis ac moribus parentes,ne deteriore, quàm cetera collegia, cõditione ſimus:& ea dicere ac facere nunquam deſtitimus,quę ad multorum animos iratos & quamuis horribiles impetus placandos, pertinerent. Hac æquitate cauſſæ, innocentiâque noſtiâ fretus,nullius equidẽ hominis, niſi qui antè damnare, quàm audire voluerit, iudicium pertimeſco: regem certè ſapientiorem, quàm fert ipſius ætas, lectiſſimóſque viros, quos ille in conſilium adhibet, cauſam eam probaturos eſſe non dubito, quæ nihil in ſe habet neque crimimoſum,neque iniquum, niſi aduerſariorum odio inuidiâq; cõfictũ. Nam quòd nos oẽs; quia pauci ſumus Hiſpani, magis accuſatoriè, quàm verè, parua de parte peregrinos vocant, videant ne duriorem ſibi ipſi conditionem ſtatuant, ſi neminẽ alienigenam in hac vrbe ferendum eſſe contendant,cùm totius aduerſum nos belli principem ac du-

cem

cem habeant hominem externum. Ego verò me cur Hiſpanum eſſe negem, apud vos præſertim Pariſienſes, quos audiui de multis amiciſſimos eſſe noſtræ nationi? illi illi profiteri timeant ciuitatem ſuam, qui aut religione diſiuncti ſunt, aut ſic inter vos, tãquam inter hoſtes implacabiles, verſantur? nos vna ſententia, vna fides, vna religio nõ proximis annis ex obſcuris Alpium faucibus exorta, ſed iam inde ab Apoſtolorum temporibus longè latéque diffuſa per omnes terrarum oras, ſanctiſſimis vinculis vobiſcum adſtringit. nos regum concordia & neceſſitudo, mutuis officiis confirmata, quã æternam fore & opto, & ſpero, vobiſcum omninò deuinctos tenet: vt & veſtrũ apud nos, & noſtrum apud vos nomen non ad odium, neque ad pœnam, ſed ad beneuolentiam, atque ad laudem debeat valere. Ipſe quidem in hac vrbe ita viuo, mihi vt in patria mea eſſe videar: veſtrum in conſeſſum ita procedo, me vt apud Valentinos ciues meos dicturum putem: ſalutis, incolumitatis, gloriæque veſtræ tanto me ſentio ſtudio teneri, nullam vt ciuitatem eſſe malim ſaluam, & incolumem, & florentem: comprehendam breui, vno excepto ſermone, nihil habere me alienum credo, nihil peregrinum. Quod ſi parem vos erga me

voluntatem habere ſenſero : ſi plus apud vos veritatem,quàm,fraudem ; æquitatem, quàm inuidiam;tot ſanctiſſimas neceſſitudines, quàm vetera diſſidia valere cognouero, maior ad ea, quæ ſunt agenda, mihi animus accedet. Si verò res opinionem meam,quam de vobis habeo, fefellit, quod hac humanitate,religione, fide veteri non poſſum,ſed ſi res aliter euenerit,quàm ſperamus,nihil nos tamen de ſtudio erga vos noſtro aut diminuemus, aut remittemus, Pariſienſes; ac veſtris commodis conſtanti voluntate,more & inſtituto ſodalitatis noſtræ inſeruientes;ſi quid in nobis erit ingenij, doctrinæ, eloquentiæ, quantulũ idcũq; demum erit;ſi quid ſpiritus & ſanguinis, id omne ad communionem horum tẽporum conferemus. Venimus enim in medium rerum omnium certamen atque diſcrimẽ :iugulum crudeliſſimus hoſtis generis humani, iugulum omniũ noſtrûm petit;qui cùm antiquius nobis religione,ac fideCatholicâ nihil eſſe debeat hanc ipſam, ſine qua ſalui
2. *Tim.* 3. eſſe non poſſumus, conatur auferre. Atrocia illa & periculoſa tempora, quæ B. Paulus Timotheo futura prædixit ad extremũ, non aduentare & appropinquare,ſed inſtare iam planè, adeſſéque videntur: quibus temporibus quàm magno vos animo præ-

cet

ceteris à regia maieſtate; à dignitate & ſalute patriæ. à veritate religionis antiqua ſteteritis, Pariſienſes tametſi longiſſimè tũ aberam à vobis,tamen vſq; in vltimas Auſtri partes ad me fama peruenit. Magna huic ciuitati laus ab omnibus bonis:magna Deo à vobis gratia debetur, cuius munere ac dono ſingulari, terram illam immanẽq; belluam,vti par erat,exhorreſcentes, & patriæ ad interitum ruenti caritatem, & regi ad maiorum ſuorum gloriam efflorecenti fidem, & Deo vos, patriam, regem, omnia tuenti & conſeruanti, cultum illius beneficentiæ debitum præſtitiſtis;quem animum cùm retineatis adhuc,& ſpes certa ſit, perpetuò vos eundem habituros; laudatione potius apud vos copioſâ & ornatâ opus erat, quàm graui & ardenti cohortatione. Verùm quia curriculum veræ integræque laudis nullis certis regionibus definitũ eſt, ac nemo tantùm proceſſit in officio colendo,quin ſpatium quoddam immenſum habeat ad excurrendum;& qui ceteros longo poſt ſe interuallo reliquerunt, vincere tamen ac ſuperare ſe ipſi poſſunt, faciam ipſe libenter in concione,quod in circo prudentes aurigæ,incẽſi victoriæ cupiditate faciebant; vosque ſponte veſtrâ ſatis incitatos, voce & adhortatione meâ ad curſum adiu-

uabo. Magnâ enim curâ prouidendum, omnibus corporis ingeniiq; viribus enitēdum vobis eſt, Pariſienſes, ne quá in medio armorum terrore adepti eſtis, eam omnē gloriam in otio & pacis ſecuritate perdatis. Cauendum eſt diligenter, ne dum nouam amplecti vultis (quanquá vos nolle certò ſcio) ſed cauendũ ne velitis aliquando nouã amplecti, atque omnem intereà religionem amittatis. Et quoniam hæc ciuitas iam inde vſque ab Apoſtolis per Dionyſiũ Areopagitam, eiúſq; ſocios excellẽtes viros imbuta Chriſtianâ pietate, deinde Francorum regum imperio in altiſſimo dignitatis gradu collocata, quam ſemel arripuit, eam ad hoc tempus magnâ cum laude ſeruauit fidei doctrinam, danda vobis eſt opera, ne quando patriæ veſtræ ſplendorem illâ turpitudine & maculâ quam nulla vnquã præclarè facta delere poſſint, obſcuretis, vt vos primi poſt hominum memoriam, in hac vrbe dicamini à Chriſto liberatore noſtro atque duce ad improbi dæmonis hoſtis teterrimi ſigna trãsfugiſſe. Adhibete, quæſo, animos mentéſq; veſtras, Pariſienſes, non ſolùm aures ad orationem meã admouete, vt intelligatis, quàm deteſtanda ac fugienda ſit iſta noua, vt ipſi vocant, religionis, vt ego ſentio, impietatis diſciplina. declarant

illi

illi ſuo ſibilo, quid ipſi de religione ſentiāt. verùm, id me recreat, Pariſienſes, quòd ex eorum murmuratione debilitata & fracta cognoſcere potuiſtis eſſe paucos, non vnum eſt eorū, qui res nouas moliuntur, genus, multæ nobis valde inter ſe diſſidentes obtruduntur diſciplinæ. Sed omnes tamen iſti, qui ex officinis & tabernis, non tanquam ex equo Troiano, ſed velut ex Apollinis Delphici ſpecu repentè nobis doctores prodierunt, ſe dicunt ſancti Spiritus afferre doctrinam. Ego contrà religionem à maioribus acceptam, ſolam à Deo profectam eſſe aio: recentem autem iſtam, & inanem ſpeciem religionis à malo dæmone adūbratā, & hominum animis obiectā eſſe cōtendo. Nam Ieſus Chriſtus Dei Filius genus humanum à diabolo graui ſeruitute oppreſſum, pluriſque tum diuinis, tum humanis de rebus, falſis opinionibus quaſi tenebris obcęcatū, ab errore & vana ſuperſtitione, illo ſuperato & eiecto, ad veritatis lucē reuocauit: cuius doctrinam cùm Apoſtoli diſcipulis ſuis, illi poſteris tradiderint ſummâ curâ, atque fide, vera religio perpetuâ quâdā Eccleſiæ ſucceſſione ad nos vſq; permanauit. Quod enim lacus Lemanni Tritones buccinâ ſigno dato Rhodani ranis vniuerſis prædicare ſolēt, iam pridem illam doctrinæ ſucceſ-

Ioan. 12. & 17.

ſionem

ſionem interruptam eſſe, tempus notēt; definiant perſonas; doceant quando primùm illa fuerit, & quibus in hominibus interciſa, libenter eos audiemus. quandiu infinitè loquentur; quandiu certi nihil afferent? quandiu ſuum illud, iam pridē, planiùs explicare non poterunt, meritò nos veteribus illis aſſentiemus, *a* Irenæo, *b* Auguſtino, *c* Optato, qui ad hæreticos refutādos, totum ſucceſſionis ordinem in Eccleſia Romana, in qua illa maximè eluxit, nominatim expoſuerunt: iſtos autē exiſtimabimus in illa tam denſa & tam cæca fluminis lacunarūq; nebula & caligine, nondum ſatis perſpicere potuiſſe quid dicant. nimis longum eſſet, Pariſienſes, omnia in medium proferre, quę in vtramque partem de ſucceſsionis huius ratione diſputantur. Libros habetis permultos à doctiſsimis religioſiſſimiſq; viris accuratè cōſcriptos: quibus ex libris cognoſcetis, iſtos è cœlo nō delapſos, verùm deiectos doctores in hac ſalebra, nullo exitu inuento, ſic hærere, magis vt miſerandi videantur eſſe, quàm vrgendi. Ac certè ſi rem ipſam volumus penitus intueri, quā abſurdum eſt, ſucceſsionē tamdiu continuatā veræ pietatis aut patrum noſtrorū, aut ſuperiore memoriā ſubitò fuiſſe præciſam, vt per excucullatos quoſdam homines, longo

a *Lib. 1. c. 2. 3. & li. 3. cap. 3.*
b *Epiſt. 65.*
c *Lib. 2. contra Parmen.*

interuallo reuocata pertexeretur? neq; verò ſum tam hebes, vt non intelligam, quid ignorãtia affinxerit, quid auaritia introduxerit, quid negligentia detraxerit, quid dominandi cupiditas excogitarit, ſcio multa temporis diuturnitate; multa populi in parendo ſocordiâ; multa eorum, qui præſunt, in remittendo diſſolutione, multa multis omnium ordinum vitiis atque peccatis eſſe corrupta. fuit hoc ætatum omnium commune malum. Nunquam defuerunt, qui ad exitium perniciemq; conuerterent quæ ad vtilitatem fuiſſent atque ad ſalutem inſtituta præclarè. Corinthij, viuente Paulo, Domini menſam intemperãtiâ ſuâ contaminauerunt. Ille idem quoſdam reprehendit, qui quæſtum arbitrarentur eſſe pietatem. In Creta exſtiterunt, qui docerent quæ non oporteret, turpis lucri gratiâ. Exorti ſunt aut Epheſi, aut alibi, qui ad inanẽ loquacitatem conuerſi, vellent eſſe legis doctores, cùm ipſi quid loquerentur, omninò neſcirent. Romæ cùm ille eſſet in vinculis, reperti ſunt, qui partim inuidiâ permoti, ſi quo modo poſſent gloriá eius infringere, partim odio concitati, quò maiorẽ in eum inuidiæ flamma accenderent, Chriſtum denunciarent. Quare nihil ſanè mirũ, iacere nunc multas Eccleſiaſticæ diſciplinæ

1.Cor.11.
1.Tim.6.
Tit.1.
1.Tim.1.
Philip.1.

patres;cùm Apoſtoli ipſi nonnulla viderint tanto antè deprauata. Verùm vt illa vetera Eccleſiæ vulnera tum Apoſtolicæ literæ tum Concilia œcumenica ſanarunt,ſic omnibus plagis recentibus Concilium Tridētinum maximum atque ſanctiſſimum, proximis annis medicinam fecit:cuius decreta ſalutaria ſi apud nos valere pateremur, nouos iſtos non denuò formandæ, vt ipſi dicunt,ſed deformandæ religionis artifices, nihil profectò deſideraremus. quæ verò continentur exquiſitâ diſciplinâ, quæ conſuetudinis rectæ ſunt,non corruptelæ,ea vel ab ipſo Deo per Apoſtolos ad nos fluxerūt, vel pòſt ab aliis eximiâ vitæ ſanctitate viris eiuſdem ſpiritus afflatu inſtituta,non ad alium, quàm ad Deum auctorē referri debent, niſi fortè exiſtimamus, quæ intemperantes Monachi, relictâ maiorum diſciplinâ inter ludentium liberum greges cum amica communicauerunt, à Deo manaſſe; quæ viri continentiâ, & omni genere laudis præſtantes incredibili diligentia conſtituerunt,humanæ prudētiæ aſſignanda eſſe, nō conſilio diuino. At iſta noua peſtis quē alium auctorem habeat, niſi diabolum hominum ſaluti inimicū & infeſtū, vt omnia quæramus, non inueniemus. ille ſe Chriſti cruciatu atque morte perculſū cōfectūque

ſen

ſentiens,& amiſſi regni dolore furẽs,quantum ſuis artibus poteſt, tãtum ei de poſſeſſione conatur auferre. ille bona ſemina, ad æternæ vitæ fructus à Chriſto iacta, vel ex mentibus humanis eruit ac diſſipat, vel adulterat contrariis ſeminibus occultè diſperſis. Ille nobis Nicolai quondã, ille Hebionis,ille Marcionis, Valẽtini,Mõtani,ille Sabellij,Arij,Eunomij, Macedonij, Neſtorij;ille alias tot tãque diſſimiles, & tam pernicioſas diſciplinas improbè diſſeminanit.ille noſtrâ memoriâ peſtiferas in multorum animis opiniones de religione ſeuit, vt cùm illecebris vitiorũ, quaſi malis herbis, multis iam anteà mortalibus mentem eripuiſſet,hoc errorũ veluti præſenti veneno,breui multitudinem tolleret infinitam. Hîc inſiſto,hîc hæreo,Pariſiẽſes;nihil quæro aliud:hoc ſum contentus vno,in quo tãtum eſſe momẽti arbitror,vt ſi nulla re alia, hac vna certè poſſe putem omniũ veſtrûm animos cõmoueri. Vt enim à Deo,cuius eſt ad communicandum larga & beneficia natura,nihil niſi præclarũ & illuſtre,& hominum generi ſalutare potuit oriri, ſic ab improbo dæmone generis noſtri capitali hoſte.quidquid fuerit profectum, improbum, & nefariũ,& exitiabile ſit, neceſſe eſt. His ego auditoribus nõ probabo, dæmonẽ ma-

lum vt veterum hæreſeōn, ſic huius etiam recētis amentiæ principem exſtitiſſe? ſuſtinebunt hi tales viri tot eruditiſsimorū hominum ſententiis conſpirantibus atque cōflatis, tam diſcrepantia paucorum delirantium ſomnia præpoſuiſſe? ſuſtinebūt tot ciuitatibus, tot nationibus, prouinciis, regnis, denique terrarum orbi non crediſſe ſuſtineant. reperiemus quibus eos fidem non habere pudeat: reperiemus quæ ſpernere non queant, ne ſi maximè quidem velint. Nam ſiue cauſſam & originem quæramus religionis nouæ, ſiue ipſius quaſi partus atque fœtus intueamur, omnia ſunt eiuſmodi, auctorem vt demonſtrent malum dæmonem fuiſſe: ſiue teſtimonia, quàm argumenta malimus, ipſi noūi Euangelij miniſtri teſtificantur, à diabolo ſe didiciſſe

Serm. de temp. 44. quæ docent. Etenim duæ ſunt, vt Auguſtinus oſtendit, naturâ diſsimiles & inter ſe contrariæ quaſi radices, quas in animis noſtris duo inimiciſſimi agricolæ ſerunt. radix omnium malorum eſt cupiditas. radix omnium bonorum eſt caritas. vt cupiditas nihil ex ſeſe afferre poteſt boni, ſic caritas

1. Tim. 6. nihil ex ſe fundere poteſt mali. cupiditatē ſtirpem omnium malorū diabolus, quē ini-

Matth. 13. micū hominē Conſeruator noſter appellat, in mentes hominum immittit: caritatem, omnium,

omnium bonorũ ſeminarium Chriſtus, qui ſe modò ſeminatorem, modò ſeminis boni ſatorem vocat, noſtris in pectorib' defigit. de caritate neminẽ veſtrûm dubitare ſuſpicor: cupiditatẽ paucis accipite, vt aduerſari' noſter ſerat. Viderat omniũ viuentiũ mater illã arborẽ, cuius fructus vim habebat ſcientiæ boni maliq́ue gignẽdæ, ſed nũquã in mẽtem ei venerat attingere cõtra quàm fuerat diuinâ lege præſcriptũ. affatus eã eſt callidus hoſtis atq; varſut', negauit morituros, ſi fructũ vnquam illius arboris, diſſente poſteà verò quam ſublato metu mortis magnã cupiditati feneſtrã patefeciſſet, vim illius ſcientiæ bonarum malarúmque rerũ ingenerandæ prædicauit. tum demum fructus ille mulieri ſuauiſſimus ad veſcendum eſt viſus: tum gratiſſimus eius oculis fuit color: tũ adſpectu delectata, repentinâ quâdam exarſit cupiditate potiũdi & fruendi. hæc inimici noſtri ars eſt, Pariſienſes: hæc fallendi ratio, hæc nocendi via. quod cum palam & apertè geſſit, idem occultè quotidie intimis in ſenſibus cogitationibusque noſtris gerit. Quocirca vt omnes caritatis fœtus iure adſcribimus & attribuim' Deo, eius virtutis auctori, ſic omnes cupiditatis noxios venenatóſque fructus diabolo, vnde ſtirps illa naſcitur, acceptos ſine dubio

referre debemus. nunc ab vtra radice tot Euangelia noua ſint orta, videamus. Nemini dubium eſſe puto, quin Martinus Lutherus princeps nouam Germaniæ dederit religionis formam: à quo tametſi vehementer diſſenſerunt, qui ſunt poſteà conſecuti, quoniam omnes tamen ab illo orti conſilia ſua nefaria eódem contulerunt, ad Pontificatum Max. euertendũ, quæ res illi dederit nouam docendi cauſſam, eandem aliis multa comminiſcendi cauſſam attuliſſe credẽdum eſt. De Luthero autem conſtat inter omnes, quod ex ipſius etiam ſcriptis planum fieri poteſt, cùm prædicandi remiſſionem pœnarum (quas indulgentias noſtri vocant) poteſtas Auguſtinianis, in quibus erat ille, adempta fuiſſet, atque ad B. Dominici familiam tranſlata: tantúmque illi damnum eâ re feciſſent, quantum antea quæſtum illo præconio facere conſueſſent, hominem pecuniæ magis cupidum, quàm ſalutis amantẽ vel alienæ, vel ſuæ, ſanè grauiter moleſteq; tuliſſe, nec minùs cœpiſſe cruciari, quàm Terentianum illũ Syrũ, bolũ tãtum ſibi ereptum tam ſubitò è faucibus. hanc vnam illi principio fuiſſe cauſſam extenuandi Romanorum Pontificum auctoritatem: Itaque primò nihil aliud, niſi quæ detrimenti magntiudine quaſdam ei dolo-

Heauton. act 4. Sce. 4.

ris

ris ardentes faces admouerant, pœnarum remiſſiones oppugnabat: in quo cùm eſſet aliquādo vehementior & effrenatior quàm deceret, in diſputatione præſertim de religione:& admoneretur, Dei cauſſam paulò modeſtiùs ac leniùs oportere tractari, cùm illi ipſi, cuius res ageretur, fracti animi, & arbitrio ſuo carentis impotentes motus maximè diſplicerent, exclamaſſe dicitur homo furioſus, neque propter Deum controuerſiā illam agitari cœptam eſſe, neque propter Deum aliquando factum iri finem eius agitandæ. O magna vis veritatis, Pariſienſes, quæ ſæpe eorum ex ore ipſis non ſentientibus erumpit, quorum intereſt eam taceri! alij, honeſti homines, qui nihil iſtiuſmodi ſuſpicarentur, Dei cauſſam à Luthero ſuſceptam eſſe & opinabantur & prædicabant, exſiluit ipſe irâ flagrans, Deique cauſſam à ſe agi in cōuentu palàm omnibus audiētibus negauit nónne hoc vobis viſus eſt dicere? nō propter Deū, ſed propter pecuniam, non ad illius maieſtatem cōſeruādam, ſed ad retinendum familiæ noſtræ quæſtum, hæc omnis eſt à me ſuſcepta contētio. qua propter nullo Dei nec amore nec metu deſiſtam ab incœpto, neque priùs finem vociferandi faciam, quàm illam oppreſſero, vnde detrimētum tantum accepi-

mus.& quærimus adhuc, à cupiditaténe, an à caritate nata ſit. Lutheri præclara correctio veteris diſciplinæ, cùm ipſum audierimus confitentem, illius primæ diſſentionis fontẽ auaritiã fuiſſe? an illã arbitranturDeo tribui debere doctrinã, quam ipſe eius princeps inficietur initium à Deo duxiſſe? an dubitamus ad hoſtis noſtri malitiam improbitatemque referre, quod non ſit attribuendum Deo? at mentẽ poſteà mutauit, & malis, auaritiæ orſus initiis, laudabiles imprimis habuit exitus cõtinentiæ propè dicam ſingularis: qui verò ſunt ſecuti, nõ auaritiæ modò crimine, verùm etiam ſuſpicione caruerunt. Egregiam verò mutationem ſententiæ, Pariſiẽſes! an vobis videtur ille, Germanię principes impuliſſe ad inuadẽdas pecunias pietate maiorum ſuorum Eccleſię aſſignatas, vt de tã optima prędа ipſe auctor conſilij nihil auferret ab iis, quos tantis diuitiis præter exſpectationem auxiſſet? fac illum, ſpecimen ſcilicet temperantiæ, voluiſſe diſcedere inanem: at paſſa non fuiſſet illa, quam à cõtubernio virginum ſacrarum abductã habebat ſecum. cõcubina, inquam, ne in egeſtate liberi relinquerentur, expertẽ illũ prædę diutius eſſe nõ ſiuiſſet, hominúmque minis, blanditiis, de concilio & inſtituto ſuo deduxiſſent. Ceteri quàm ſint ab

aua

auaritia remoti neſcio. illud ſcio, plebem egentem initio ſtipe ſolitam ab iſtis allici ad aúdiendum, nunc palam ſacræ cœnæ nomine pecunias ingentes imperari, iámque rationem iniri ſolere vulgò, quantum Gebennæ, quantum Lugduni, quantum aliis in locis celebrata cœna, fuerit redactum, Audiui ego Aprili proximo, cùm eſſem apud Aruernos, quendam illic patrem familias X X I V. H S, in ſingula capita eſſe ſoluere coactum, quid multis moror? refertiſſimas quondam vrbes totâ Galliâ publicè & priuatim in illa regni perturbatione diripuerunt. oſtendant, aſſem vnum illis à ſe redditum, vnde abſtulerunt nihil vnquam eos cupidè feciſſe confitebor. Sed ſint iſti per me ab auaritia quàm velint, alieni. nulla in eos, ne leuiſſima quidem poſſit cõferri ſuſpicio. tamẽ quis non intelligit, omnes iſtos ab illo vno manaſſe, qui maiorem ſui quæſtus rationem habuit, quàm publicæ ſalutis? tamen doctrinæ iſtorum nefariæ quaſi ſeminatorem teterrimum dæmonem fuiſſe, quis neget, qui modò recordetur, primam eius originem ex auaritia Martini Lutheri ductam eſſe? pòſt ad pecuniæ cupiditatem illa pernicioſa magis gloriæ cupiditas acceſſit, quæ impurum illum nefariæ tragœdiæ hiſtrionem tantâ affecit a-

mentiâ, iam vt nemini ſuorum tolerandus videretur. erat ille naturâ ſuperbus, animo elato & inflato. vbi verò non cauſsâ, non ingenio, non doctrinâ, ſed impudétiâ & audaciâ, & immoderatâ licentiâ maledicendi cœpit eſſe ſuperior, tantos ſibiſpiritus, tantam arrogantiam ſumpſit, omnium vt iudicia reiiceret, doctrinàque ſuâ, quam cœleſtem ac diuinam eſſe compertum habere ſe affirmabat, non de omnibus modò gentibus, verùm de angelis etiam iudicium factum iri magnificè nimis & glorioſè prædicaret. Inuidia intolerabilis erat cum hac inſolentia coniuncta. neminem de ſuis ferre poterat, non dico adæquari ſecum. ſed omninò vllo eſſe numero, aut loco, niſi per ipſum Quis illi fuit Andreâ Caroloſtadio vſu, neceſſitudine, amore coniunctior? quis rurſus inimicior, poſtquam Liturgiam, ipſo abſente ſuſtulit, ſacrum habitum depoſuit, Euchariſtiam profanis manibus tractãdam abiecit, infeſta ſigna in templa intulit, imagines & altaria demolitus eſt? quæ ſi Luthero priùs veniſſet in mentem aut facere, an docere clamaſſet hanc eſſe puram atque integram Euangelij doctrinam: quia alium habuerãt auctorem, ne amiciſſimi quidem hominis fama ſuſtinere potuit, ſuum eſſe nomen offuſum. Hanc inſolentiam Lutheri

ri, & inſanam gloriæ incredibili inuidiâ iunctam auiditatem ſic imitati ſunt ceteri, magiſtrū vt artificio ſuo ſuperarint. Quàm frequenter illa nobis obiiciunt? non ſequi ſe hominum opiniones: ſcriptores quamuis antiquos falli & errare potuiſſe. quaſi verò non ſint homines qui hoc dicunt; aut opiniones ipſi non ſequantur ſuas: aut ſoli ex omnibus errare nequeant; aut eos non idipſum potuerit latere, in quo dicunt alios fuiſſe falſos. Lugdunenſes bibliopôlas accepi quærentibus veterum libros aliquando reſpondiſſe. quid vobis cum illis ſenibus deliris? ac ſimul doctores ex illo grege laudibus in cœlum extuliſſe. atqui ſapienter illud M. Tullius, temeritatem eſſe florentis ætatis prudentiam ſenectutis, & in illo Næuij poëtæ ludo percontanti, *Cedo, qui veſtrā rempublicam tantam amiſiſtis tam citò*? prudēter illud referebatur. *Proueniebant Oratores noui ſtulti, adoleſcentuli.* Scripſit Bucerus, ab omnibus iure reprehendi Martinum, cùm aliis nominibus, tum quòd neminem quidquam contradicere pateretur, aut à ſe vlla de re diſſentire, perinde quaſi ipſe eſſet Deus, Quid tu Bucere, qui alienam arrogantiam accuſas, nō in eo maximè indicas tuam dum oſtendis valde tibi graue & moleſtum eſſe, omnes aditus nouæ laudis ab

In Dia. log. cotra Melanc.

illo ceteris præcludi? Oecolampadius diuinæ doctrinæ ſpeciem tantùm inanem concedit Lutheranis. videlicet veram eius faciē ſibi, ſuiſque ſolùm eſſe notam nos credere volebat. Tigurini miniſtri conſtanter affirmant, ſua quærere Martinum, pertinacem eſſe, inſolentiùs efferri, continuò Satanæ tradere, ſi qui nollent ſentētiam eius ſequi. nimirum licere ſibi volebant à Luthero diſcrepare, ne vnus ille omnia inueniſſe videretur; ſeque ſuæ ſententiæ duces aliis malebant eſſe, quam alium aliquem ſequi ducem. queruntur omnes Sacramentarij, non ſublatam à Lutheranis eſſe Pōtificis maximi tyrānidem, ſed vſurpatam, & pro ligneo illius iugo ferreum ab eis fidelium ceruicibus imponi. Annon apertè vobis dicere videntur, à ſe primùm tyrannidem Pontificiū extinctam eſſe, ſibi deberi laudem reſtitutæ libertatis? Porrò Caluinus quibus conuitiis Lutheranorum vniuerſam nationem conſectatus eſt? quibus verborum contumeliis lacerauit? infinitum eſſet commemorare omnia; quæ cùm ſcriberet, profectò volebat nos omnia cōtraria de ſe, ſuiſque cogitare. Iam Michaëlem Seruetum non idem Caluinus extremo ſupplicio mactandum curauit? audiui de viris, qui Caluino quondā intimi fuiſſent, cùm dicerēt,

Ser

Seruetum nullâ re magis, quam Hiſpani nominis inuidiâ oppreſſum. Sed cauſſam Serueti, ſi quidem ille tam impiè de diuinitate ſentiebat, tantùm abeſt vt defendam, vt nihil vnquam rectiùs à Caluino factum eſſe fatear in omni vita. cogitare tamen ille potuit in alterius calamitate, quæ iam diu impietati ſuæ pæna deberetur, qui non minùs antiqua Eccleſiæ ſcita conuelleret: verùm periculoſum eſſe duxit, apud ſuos alium parj impietate ſecum de laude certare. Brentius verò, Vrbanus Regius, Andreas Oſiander cur in Confeſſionem Auguſtanam iurare noluerunt? an alienum exiſtimatione ſuâ putauerunt, ſequi fidei formulam compoſitam, & expreſſam à Philippo, cui aut ſe pares arbitrarentur eſſe, aut etiam ſuperiores? an ſuæ ſententiæ auctores eſſe maluerunt, quàm adſtipulatores alienæ? nimis hæc antiqua fortaſſe videntur & obſoleta. Carolus Molinæus Germaniam à ſe peragratam eſſe gloriatur: nullũ vidiſſe miniſtrum paulò nobiliorem, quicũ pręcipuis de rebus non diſputarit. exclamaſſe omnes, natum illum & à Deo factũ eſſe ad Euãgelium illuſtrãdum. præconium ſanè verúmne, an falſum, nihil nũc moror, ſed inſigne certè præconium atque magnificum, ſi ab alio non à Molinæo

commemoraretur. & à Molinæo iam ſene. Proximo vere, Lugduni cùm eſſem, vidi librum medici cuiuſdam, cognomento Gentilis, quem αὐτόγραφον aiebāt eſſe qui mihi obtulerūt. in eo verò libro præter multa de Deo; multa de myſteriis, à Caluinianis decretis longè abhorrentia, ſcripti erant permulti in Caluinum verſus, quem nihil omninò vidiſſe, nihil intellexiſſe nouus è cœlo præcipitatus doctor affirmabat. vi ab eo diſcipulos abduceret, ſi poſſet. at illū aſſectatoribus circiter quadraginta ſtipatum, Caluiniani, vt audiui poſteà, vi atq; impetu incitatæ multitudinis ex vrbe expulerunt ita neque vir ſpiritus ingentis Caluino deferre voluit principatum, neque à Caluini diſciplina exorti magiſtri paſsi ſunt, alio genere doctrinæ recepto, omni ſe laude & dignitate ſpoliari. de Spifamio verò quod nuper accidit, poteſt ſileri? poteſt tā inſignis inuidia diſſimulari? qui quòd multis rebus eſſet Bezâ ſuperior, paulò liberiùs de quibuſdam, quàm vellent ipſi, loqueretur, æmuli crudelitate, miſer morte luit alienæ inuidiæ pœnas. Crimina quæ ſunt in eum collata magis ne nihil cauſſæ diceretur, afficta, quàm quod vera vel illo ſupplicio digna putarētur, videntur obiecta. Omitto Anabaptiſtas, Sueuckfeldianos relinquo, præ-

tereo ceteros,id vos tantùm intelligere volo,Pariſienſes,quod nemo negabit,qui iſtorum vanitatem,inuidiam , certamina, odia cognorit,ſuæ quemque gloriæ ſtudere,honori velificari ſuo ,famam poſteritatis aucupari,id agere,vt ſua non aliorum diſciplina diuino munere,ac dono cōceſſa mortalibus exiſtimetur.Opulenti quondam viri,vt eſt in libro Pſalmorum , nomina ſua *Pſal.* 48.
poſuerunt in terris ſuis,qui nomen vt ſuum immortalitati commendarent, fluuios , vrbes, agros,montes,portus,inſulas à ſe nominari voluerunt,non ſecus iſti diſciplinis variis nomina de ſuis nominibus fecerunt, vt cùm alii dicātur eſſe Lutherani,alij appellentur Zvvingliani , alij aliis principū ſuorum nominibus notentur , tamdiu memoriam illorum viuam teneamus,quādiu has diſſimilium ſectarum appellationes audiemus.Illa verò viuet,vigebitque ſemper,nec ei finem vlla vmquam afferet vetuſtas , verùm ita vigebit,vt Herodis regis , qui omnes pueros intra biennium natos iugulauit; vt Herodis alterius tetrarchæ , qui Ioannē *Matth.* 2.
cognomento Baptiſtam ſecuri percuſſit;vt *Matt* 14.
Iudæ Iſcariotæ , qui magiſtrum cœleſtem *Matth.*
prodidit Iudæis;vt Annæ & Caiphæ , qui 26.
multitudinem ad opprimendum Liberatorem à Deo ſibi promiſſum concitarunt;vt *Matth.* 27.

Pilati, qui dãnatum illum in crucem ſuſtulit, vt tertii Herodis regis, qui cùm Iacobum Zebedei filium necaſſet, & à populo diuinis honoribus affectus eſſet, pediculari morbo extinctus eſt, denique vt eorũ omniũ memoria, qui inſigni aliquo facinore, aut flagitio nobilitati ſũt, etiã nũc viget. at nos qui laudis auiditate & opinione doctrinæ cæci, omnia Chriſtianæ caritatis iura violarunt, qui rumorem hominum ſcelere collegerunt, eos non aliquo inflatu diuino, qui vanitatem, arrogantiam, æmulationẽ, obtrectationem odit, veram docere pietátem, ſed ſcelerati dęmonis furiis inſtinctos, omnes perſequi credemus impietatis vias. illum Deus nomine balenæ ſignificat ſuperbis omnibus imperare. illum generis humani doctor huius mundi principẽ vocat: vnde cariſſimus ille diſcipulus vitæ affirmat oriri ſuperbiam. quidquid ſuperbia peperit, illi ſuperbiæ principi ſine controuerſia tribuendum eſt. Redeo ad Lutherũ: qui auaritiâ, cupiditate gloriæ, inuidiâ inflammatus, has tot tamque graues animi peſtes irâ cumulauit. ea poſteaquam inueterauit, & in odium conuerſa eſt, ſic hominem interdum incitabat, ita furore præcipitem agebat, vt exiſſe de poteſtate videretur. Nam cùm eum multi reprehenderẽt,

Act. 12.

Iob. 41.

1. *Ioan.* 2.

mul

multis ſcriptis libris oppugnarent, cùm Pont. Max. grauiter in eum vehementérque decerneret, non aliter exarſit, ac beſtia immanis in cauea, multis vndique telis appetita. Scripſerat aliquando, rem eſſe præclaram, ſub vtraque ſpecie percipere diuina myſteria, ſi in Concilio generali ſtatueretur, contra hanc autem eius ſententiã quidam néſcio vnde libellus emanarat: cui libello cùm reſpõderet, quoniã eiuſmodi homines & chartâ, & otio abundarent, daturùm ſe operam profeſſus eſt, ne ad ſcribendum eis materia deeſſet, dúmque glorioſiſſimi doctores de vna aliqua hæreſi ſua, vt ipſis videretur, triumpharent, intereà ſe nouam aliam eſſe moliturum, & probaturum omnes eſſe impios, qui in cõmunione myſteriorum altera ſymboli parte Laicos priuent, quod in certamen cùm ipſe fateatur, non ſuâ ſe voluntate deſcendiſſe, ſed prouocatum, vt verbis eius vtar, per vim raptum, apparet eum anteà ex animi ſui ſententia verè de myſteriorum communione diſſeruiſſe? quæ poſteà literis mandauit, ea, non quòd ita ſentiret, ſed quòd dolori ſuo, & impotenti iracundiæ obſequi cogeretur, propè inuitum, nullo certè quidem animi iudicio, temeréque effudiſſe. Odium autem illius furiæ quis meliùs docere nos po

In libro ad Boemos in declaratione Euchar.

In libr. de captiuit. Babyl.

Ibidem.

poterit, quàm eius familiaris Philippus? audite quid ille, dum Caroloſtadium argueret, de præceptore ſuo ſcripſerit imprudens, (*Sicut Lutherus*, inquit, *Papæ, ſic ille viciſſim odio Lutheri, non aliqua pietatis opinione, controuerſiam hanc de cœna Domini mouit*) O præclarum amici hominis teſtimonium! ô iudicium diſcipuli de magiſtro ſingulari! non igitur apud Caroloſtadium, Philippe, non apud Martinum doctorem tuum opinio valuit vlla pietatis. apud Martinum odium Pontificis Maximi; apud Caroloſtadium Martini odium dominabatur. quæ ambo de myſteriis contra veterum auctoritatem tradiderunt non ea putarunt conſentanea magis eſſe pietati: ſed idcirco docuerunt, quòd intelligerent, alter Pontifici Maximo, alter Luthero ea eſſe maximè aduerſa. & potes eũ Philippe diuinitùs, ad Eccleſiã liberãdã natum eſſe dicere, quem impulſum odio, omnia feciſſe confiteris; Nihil arbitror illuſtrius dici potuiſſe, Pariſienſes tamen ne Martinus queri poſſit, ſe fuiſſe falſis teſtibus circumuentum, ipſum ſi poſſimus, ab inferis excitemus, aut potius, quia non poſſumus, me ipſius perſonâ non aliis verbis, quàm quæ ipſe ſcripta reliquit, loquentẽ audite, (*Si quo caſu id Concilium ſtatueret,*

mi

minime omnium nos vellemus vtraque ſpecie potiri, immo tunc primùm tu deſpectū Concilii vellemus aut vnā, aut neutra, & nequaquam vtraque potiri, & eos planè anathema habere, qui talis concilii auctoritate potirentur vtraque) Satis ne magnum Conciliorum odium putatis eius in pectore incluſum contineri? vtramque ſymboli partem in communicatione myſteriorum neceſſariam eſſe contēdebat. ſi tamen alicuius Concilii decreto ſub vtraque myſteria participare iuberemur. ei decreto ne videretur parêre omninò ſe potius non percepturum eſſe profitetur. Quid grauius dici? quid acerbius cogitari aut fingi potuit alia rurſus accipite ex ore meo non mea verba ſed illius: (*Diffiteri nec poſſum, nec volo.*) Odium enim in Aſtolicam ſedem, non occultandum, ſed prę ſe ferendum & gloriandum opinabatur. (*Quod ſi Caroloſtadius, aut alius quiſpiam,* nihil curabat, à quo diſceret, dummodò Pontificatum maximum euerteret? *ante quinquenniū perſuadere mihi potuiſſet, in Sacramēto præter panem, & vinum eſſe nihil, ille magno beneficio me ſibi deuinxiſſet.*) Quid erat Martine, cur magni beneficii loco duceres hoc tibi probari,) *Grauibus enim curis,* inquit, *anxius in hac excutienda materia multum deſudabam. omnibus neruis extenſis me extricare, & expe-*

In lib. de captiuit. Babyl.

In Epiſt. ad Argēt.

expedire conatus ſum.(Video,Martine,cauſ-ſam,cùm argumenta,quibus hoc perſuade-ri poſſet,magnâ curâ,ſtudio,labore cõqui-reres,cùm omnes ingenij tui neruos con-tendiſſes,in eáque vna cogitatione defixus eſſes, nec inuenires tamen non immeritò tu quidem,qui tãto te labore moleſti que liberaſſet;qui tibi demonſtraſſet quod non reperiebas,ab eo beneficium immortale te crederes accepiſſe,verùm quæ te Martine, quæſo,tã graues angebant curæ, quid ani-mum tuum dies,atque noctes tam ſollici-tum habebat,cur ſudabas?an ſtudio cogno-ſcendæ veritatis eras incenſus ? attendite, obſecro,quid ipſe reſpondeat.(*Cum probè perſpicerem hac re Papatui valde me incommo-dare poſſe.*)ergo nunquid verùm. quid re-ctum quid Euangelio conſentaneum eſſet, quærebas, ſed quid Pontifici maximo val-de noceret,tute induiſti,Martine:tuâ te cõ-feſſione irretitum tenemus, Spiritum ſan-ctum putabas,quod nemini ſignificaſſet vn-quam,patefacere tibi voluiſſe ? maiorem Deo, quam hominibus fidem habendam eſſe arbitrabare ? nullius emolumenti ſpe, nullius incommodi metu,veritatẽ diſſimu-landã exiſtimabas?tua te refello oratione, nõ ducebaris amore veritatis,ſed odio Põt. Max. præceps ferebare, doloris vlciſcẽdi

libido in viſceribus, atque in venis penitus incluſa, nõ ſtudium reſtituendæ religionis, neque de hominum ſalute, cura te ad quærendum incitabat: quæ verò Deus anteà celauerit animi quieto & placato ſtatu, quæ amentia eſt, ea agitato & perturbato demonſtraturum illum exiſtimare? Tenemus odium Lutheri Pariſienſes, ille ipſe, ſi nunc exiſteret ab inferis, inficiari non poſſet. ceteros pari fuiſſe odio concitatos cognoſcimus ex eo, quòd nullo non tempore & loco, fictis etiam fabulis non Pontificem maximum ſolum verùm vniuerſum etiam ſacrum ordinem in contẽptionẽ adducere conantur. Quid de accerbiſſimis omniũ inter ſe odiis dicam? ſi ea de Caroloſtadio, Sacramẽtariiſque omnibus Lutherus, Philipus, VVeſtphalus, aliique Lutherani, ac de Luthero viciſſim. & Lutheranis vniuerſis Caroloſtadius, & Sacramentarij ceteri ſcripſerũt, quæ de populo quilibet iratus in ſuos inimiciſſimos nõ ſcripſiſſet: ſi ea vtrique in Anabaptiſtas, Anabaptiſtæ cõtrà in ipſos effuderunt, quæ neſcio an quiſquam alius in ſuum aduerſariũ dixiſſet: ſi ea Philippus in ſuũ Oſiandrũ, Oſiãder in Philippum, ac ceteri eodem modo Lutherani alij in alios maledicta coniecerũt, nemo vt ipſorum grauiora contulerit in Põt. Rõ. eiuſ-

que defenſores:poſſumus iſtos animo ſedato & trãquillo declamaſſe, ſcripſiſſe,emiſiſſe illa credere,quę nemo vnquam niſi irâ odioq; furẽs cogitarit? aut in tãta odij flamma quidquam fuiſſe pietati relictũ loci?ſceleratum illum magiſtri ſui proditorem accepimus, cùm auaritiæ ſtimulis vrgeretur, effuſoq; vnguento lucri ſpem ſibi doleret eſſe præciſam,exclamaſſe, rem indignã videri,perdi temerè pecuniam totam, vnde
Ioan. 12. multorum egentium poſſet inopia ſubleuari; ac rapacitati ſuæ populare miſericordiæ beneuolentiæque nomen, quaſi velũ quoddam obtendiſſe. pari ratione iſti ſeueri diſciplinæ veteris emendatores,etiam ſi ſpeciem quandam religionis inanem prę ſe ferant,& hominum caritate adducti,ad illuſtrandam veritatem,& ſuam fidelibus libertatem reſtituendam,acceſſiſſe videri velint,variis tamen cupiditatibus inflãmati, auaritiâ,ſtudio laudis immodico à ſuperbia nato,irâ,odio tum noſtri,tum mutuò inter ipſos,veniſſę putandi ſunt ad ſtatum *Eccleſiæ* perturbandum, labefactandum, conuellendum. Etenim ſi qua cura veritatis,ſi quod ſtudium ſinceræ pietatis,ſi quis incorruptæ religionis amor eos,non effrenatæ animi libidines,ad hoc certamen impulerunt, quid eſt,quod multa ipſi faciunt,

quæ eadem in nobis acerbiſſimè reprehendunt? nolunt hypodicanos, diaconos presbiteróſque noſtros de altari viuere. nolunt à populo quidquam eos accipere in cellam. qui ſi vt in ſuis, ſic etiam in Eccleſiæ rebus luxurioſos nepotes reprehendunt (quanquam non omnes ita viuunt, multique ſunt ſtudioſi, continentiæ veteris imitatores) ſed ſi luxurioſos, vt dixi, nepotes reprehendunt, habebunt nos etiam adiutores. ſin autem omninò nihil Eccleſiæ miniſtratores accipere debere contendunt, vnde ipſis pecuniæ tantæ, non vt communis vitæ modò, verùm vt bellorum etiam ſumptus, diſtantibus in locis queant ſuſtinere. Quare Viretus Lugduni paulò ante meum in eam vrbem aduentum, cùm filiam collocare vellet, tot millia nummûm aureorum, dotis nomine coëgit? quare eidem in eadem vrbe publicè quæ ſuppeditarent ad victum, præbebantur? neque Vireto, neque vlli iſtorum certè pecuniæ ſunt in ſingulos annos attributæ. quid refert, quo modo accipiant, modò conſtet, eos plus etiam accipere, quàm ſit neceſſe? verum & rectum eſſe negant, ſacrificiorum nomine pecuniam ſolui; an liceat, & quatenus, non diſputo in præſentii, tantùm quæro, quid cauſſæ ſit, quamobrem ipſorum in cœtibus

nomine ſacræ cœnæ certa ſumma in ſingula capita imperetur? eleuant controuerſis de rebus & Pontificis maximi & Eccleſiæ iudicium. cur Lutheranorum miniſtri, cur Saxonum ciuitates doctrinam Sacramentariorum publico decreto condemnarũt? cur Caluinus de Serueti dogmatis aut ſolus, aut cum ſuis cognouit, ſtatuit, iudicauit? cur Martio extremo Lugduni me præſente in Gentilem contemnentem Caluini ſententias, & multa nunquam ante id tempus audita de diuinitate cõminiſcẽtem Caluiniani miniſtri, ſe iudices eſſe velle dixerunt? cur recuſantem illum, & ad Eccleſiam vniuerſam prouocantem, ad Eccleſiæ totius, hoc eſt, ad ſartorum, ſutorum, cerdonũ, fullonum, & aliorum opificum, & muliercularum, & adoleſcentulorum iudicium inuiti reiecerunt? inhumanum, crudele, impium vociferantur eſſe, à noſtris regibus, principibus, magiſtratibus in ſuos nomine religionis animaduerti. atqui Lutherani ſuos principes ad Sacramentariorum licentiam ferro coërcendam, ſæpe ſunt adhortati: de Serueto Caluinus extremũ ſuppliciũ ſumpſit, editóque libro docuit, iure hæreticos capite damnatos morte mulctari. Spernũt omnia ſine ſcripto nobis à maioribus tradita quaſi per manus, noſque ad literas, &

ſyl-

ſyllabas in omni diſceptatione vocãt. Quid ergo Luthero veniſſe dicemus in mentem, vt contra Sacramentarios de myſterio corporis, & ſanguinis abſque ſcripto pugnaret, traditâ per manus Eccleſiæ diſciplinâ? quid Lutheranis, & Sacramentariis, vt vno conſenſu aduerſus Anabaptiſtas de puerorum infantium baptiſmo, non ſcriptis Apoſtolorum decretis maximè contenderent? quid omnibus omnium hæreſeωn hominibus, vt non niſi ieiuni capiãt myſteria diuina? quid denique Caluino, vt ſcriptum faceret, iuberi nos habere corda ſurſum, cùm nuſquam hoc reperiatur, niſi in Liturgia? Suenckfeldius etiam ſcripta diuina repudiat; noſque ad ſomnia & nocturna viſa intentos eſſe iubet. quære qui ſententiam ſuam confirmet, comperiês, auctoritate librorum diuinorũ: quos reiicit, eum abuti. clamant omnes, plus æquo nos philoſophiç tribuere; ad eiúſque normam velle dirigere Chriſti doctrinam. quare plerique iſtorum dum Peripateticorum, & Academicorum decreta fugiunt, qui liberos eſſe homines volebant, in Stoicorum ſententiam declinant, qui omnia fati neceſſitate deuinciebant? quare horum argumentis vtuntur ipſi, nos illorũ rationibus vti vetant quare Caluinus in illa plena erroris, & impietatis

In epiſt. ad Albertum Marchionem Brandenbur.

de corpore,& ſanguine Chriſti diſputatione philoſophiam malui ſequi ducẽ, quàm cœleſtem Apoſtolorum Chriſtique doctrinam? quare victus iis, quæ à Phyſicis de corporum natura diſſeruntur, in apertiſſimis Euangeliſtarum, Pauliq; verbis nouos quæſiuit verborum modos? Bella Põtificũ Romanorum cũ principibus Chriſtianis geſta reprehendunt, nec ipſe vllam in partem diſputo: vnum hoc mihi reſpondeant, quibuſcum ipſi quarto abhinc anno dimicarint, cũ Turcis, an cũ Chriſtianis? dies me deficiat, ſi perſequi velim omnia ſigillatim, quæ, ridiculi correctores, cùm eadem ipſi faciant, in nobis reprehendunt, illud modò memoriâ tenere, Pariſienſes, qui non curent, quid ipſi faciant, dummodò noſtra non ſine aliqua ad ſpeciem probabili ratione peruertant; neq; veritatem eis, neque pietatẽ, neque hominum ſalutem, neque Eccleſiæ ſtatum, neque Deum eſſe curæ; ſed vnum id eſſe propoſitum; infinitas & inſatiabiles animi cupiditates explere. Satis iam ſatis diu nos iſtorum hominum quibuſdam quaſi religionis pigmentis fucata oratio fefellit. ſatis diu falſa veræ pietatis, Euangelij, libertatis vſurpatione deluſi ſumus. nũc quæ anteà latebant, patent, illuſtrantur, erumpunt omnia. nemini iam illâ excuſatione

 vti

vti licebit, diuinos quoſdam eſſe homines, omnia diuinitùs & facere, & loqui arbitrabar, & id tantùm agere, vt quæ obſcuraſſet ignoratio, illuſtrarentur; quæ vetuſtate iacerent, excitarentur; quæ negligentiâ delapſa iam fluxiſſent, ſeuerioribus legibus vincirentur. nullus iam reliquus eſt huic excuſationi locus. audietis pòſt aliis orationibus ex me ipſo cetera; quę ſunt à me initio propoſita, nec tam anguſtis vnius horæ ſpatiis includi potuerũt, nunc ad ea, quæ dixi nihil addo. Si cupiditatũ omniũ ſator, altor, amplificator diabolus eſt, vt caritatis Deus: ſi diabolo accepta referenda ſunt quæcunque à cupiditate proficiſcũtur: ſi omnis iſta pietatis colore florens, neruis impietatis iuncta, & conſtricta diſciplina ex pecuniæ cupiditate nata, ſtudio laudis immodico, arrogantia inuidiáq; aucta: iracundiæ, odiiq; viribus confirmata eſt, poteſt vlla ei venia concedi, qui media luce nihil cernat, neque intelligat, cui tot, tam diſſimiles, tam deteſtabiles cupiditates initium, incrementum, robur attulerint, eam non aliunde, quàm à nefario generis humani hoſte oriri potuiſſe doctrinam? poteſt ignoſci ei, qui ſancti Spiritus, Chriſti, Apoſtolorum, religionis, pietatis, Euangelij ſe dicat ſpecioſis nominibus fuiſſe captum, cùm originem ipſam

videat his nominibus maximè aduerſam?
vos aciem mentis intendite, Pariſienſes, &
omnes iſtos, qui ſolent crebris hęc vſurpare
ſermonibus; qui in cõuiuiis, vbi maioribus
poculis popoſcerunt, tanquã in ſchola garriunt diuinis de rebus; qui ſe nuſquam non
inculcant auribus noſtris, penitus intuemini. nunquam vos illi falsâ imagine eludent;
nunquã artificiosâ, & callidâ oratione decipient; quem habuerint magiſtrum facilè
cognoſcetis, quod fixũ illud veſtris in mẽtibus hærebit, omnia ipſorum conſilia ſpectare ad eas, vnde orta ſunt, effrenatas animi libidines exſaturandas. Iſti illi ſunt falſi
& adulterini doctores, quos Petrus in Eccle-
2. *Pe.* 12. ſia futuros aliquando prænunciauit, vt inter Iſraelitas adumbrati vates extitiſſent:
qui tametſi nihil niſi Euangelia, Pauli epiſtolas, Apoſtolorum vitam, & facta loquũtur, tamẽ occultè ſectas perniciosas, & diſciplinas exitiabiles inducunt: tametſi nihil
niſi Chriſti ſanguinem in ore habent, dum
eius verba tamen, & myſteria peruertunt,
eum qui emit eos, dominum negãt: tametſi
vitam beatam & immortalem & ſibi, &
ſuis quietis, ac nihil agentibus pollicentur,
celerem tamen interitum, & exitium ipſi
adſciſcunt ſibi. Nihil vos moueat, quod
eorum intemperantem diſciplinam, & inſtituta

ſtituta exitioſa quamplurimi perſequuntur. tot antè ſeculis hoc euenturum eſſe prædixerat Petrus; idem ante Petrum denunciauerat omnium magiſter Chriſtus, *Matt.24* qui illud etiam adiecit, ipſos illos à Deo ex omni numero delectos homines propemodum in errorem inducendos. Multi mortales hæreticos olim ſunt ſecuti: multi etiam nunc ſequuntur Mahometen: multi relicto Chriſto ſe conferent ad Antichriſtum. Moueant illa potius veſtros animos, Pariſiēſes, quod per iſtos factum eſt, vt derideatur à Iudæis, id quod præſente, & audiente me aliquando contigit, & cōtumelioſè rejiciatur veritatis ratio, atque via; cùm dicāt, veram illam religionem eſſe nō poſſe, in qua tam multæ grauiſſimis de rebus contentiones exſiſtant: quod adumbratam abſtinentiæ ſpeciem ſuis cupiditatibus prætexētes, pulchris virtutum nominibus, & ad captandas voluntates compoſito ſermone vos ad ſe allectos per auaritiam, ad ſuum arbitriū nundinantur: poſtremò quod eorum damnatio, & pœna non cunctatur; quod interitus, vt Petri Apoſtoli verbo vtar, non dormitat. *2. Pet. 3.* ſint illi nunc ſani, ſint metu liberi, ſint ſoluti: ſua illa venena ſpargāt impunè: & quoniā neceſſariis de cauſis hac in ciuitate tolerantur, ſint quandoquidem ipſis ita

videtur, beati, ſint florentes, erit erit illud aliquando tempus, niſi ad ſe redierint, cum iuſtas; amentiæque ſuæ iamdiu debitas pœnas perferent, tantò grauiores, & atrociores, quantò diuturnior eis fuerit impunitas conceſſa. veniet tandem ille dies, quo die diuina vis ac ſeueritas, animaduerſionis tarditatem ſupplicij grauitate compenſabit. Quæ cùm ita ſint, Pariſienſes, præbere vos, vt feciſtis adhuc, in veteri fide conſtantes, in antiqua religione firmos, graues in maiorum diſciplina, in Eccleſiæ inſtitutis, ac moribus laborioſos, atque diligentes. A quibus hæc ciuitas primùm acceperit Chriſti doctrinam, recordamini: Dionyſium dico, Ruſticum, Eleutherium, & alios ſanctiſſimos eruditimóſque viros. quemadmodum illi vixerint, aſſiduò vobiſcum cogitate, quò iam ita viuendo peruenerint, conſiderate, eorum & vitæ genus, & rectè dictorum rectéque factorum ſempiterna præmia intuentes, imitamini religioſam fidem. Ieſus Chriſtus heri, & hodie, ipſe & in ſecula. Semper eadem fuit, quæ nunc eſt & conſequentibus annis erit in Eccleſia Catholica doctrina. variis, & peregrinis, hoc eſt, ab ea, quæ perpetuâ & Eccleſię ſucceſſione prodita nobis eſt, alienis doctrinis

Hebr. vlt.

nun

quam vos abduci patiamini; nec eò vela detis, vndecunque ſe flatus aliquis erroris oſtenderit: ſed voluntate ſtabiles, fide fundati, gratiâ noſtri Liberatoris immobiles, in ea, quam animo à primâ pueritiâ imbibiſtis, & ad hanc ætatem retenuiſtis, diſciplina, vſque ad extremum ſpiritum permanete. *Ephe.4.*

PETRI IOANNIS PERPINIANI

De Retinenda veteri Religione, & falſa recentium hæreticorum doctrina reiicienda, ad Pariſienſes

ORATIO XIV.

VEnit alterius orationis dies, Pariſienſes, quo die pars altera promiſſi muneris, ſi minùs totâ, áliquâ ex parte certè perſoluenda eſt. Precor Deum Optimum Maximum vóſque idem omnes ab eo precari velim, vt ſine turbis hunc conuentum omnium lætitiâ celebrari patiatur. nos enim vt actiones has inſtituemus ad confirmandos animos bonorum, ſic valde cupimus eas ad exitum ſine cuiuſquam vel

vel malo, vel iniuria peruenire: quód vt conſequamur, in eorum, qui audiunt, moderatione ſitum eſt. Nam ſi tumultus illius, qui ſuperioribus diebus exſtitit, cauſſam quæſieritis, reperietis eũ nõ actione meâ, ſed paucorum, ne quid dicam aſperius, parũ modeſtis vocibus eſſe commotum, quas an probet, aut concedát Caluini diſciplina, haud equidem ſcio, Euangelia certè, Apoſtolorúmque literæ vehementer reprehendunt, quæ noſtram in factis dictiſque modeſtiam omnibus hominibus notã eſſe volunt, & probatã. Ac nos quidem primò breuem epiſtolã in gymnaſio noſtro fiximus, quâ monebamus lectorem, diuinis de rebus orationes me crebras habiturũ, eorũ potiſſimũ cauſsâ, qui linguæ Gallicæ ignoratione nullũ è ſacris concionibus fructũ capere poſſunt. hîc nemo, credo, tam iniquus erit æſtimator rerũ, qui aut conſiliũ noſtrũ, aut verborum genus reprehendat. Pòſt aliquãtò breuiſſimâ ſchedâ per compita ſignificauimus, de veteri religione retinẽda verba me III. Non. Iun. eſſe facturum. hic index fortaſſe nonnullorũ animos permouit; qui me non tam impediunt, quòd noſtram religionem peſſimè oderunt, quàm adiuuant, quòd ſuam nouam eſſe confitentur. Ego verò, Pariſienſes, non quidquid euenerit ex

Philip. 4.

orat

oratione mea, ſed quod ex iis, quæ à me facta dictáue ſint, euenire debuerit, id vnum mihi arbitror eſſe præſtãdũ quid autẽ erat vel in illo facto, vel in verbis, quod iure quẽquam poſſet cõmouere? non legitimũ, non vſitatum eſt, indicare ſcripto, ſi quid in tuo gymnaſio ſit agẽdũ, quod ceteros iuuet audire? nõ omni cõtumelia oratio illa caruit, de veteri religione retinẽda? niſi hoc ipſũ iſti contumelioſum putãt, eſſe aliquem, qui homines rectè diuinis de rebus ſentientes ad maiorũ ſuorum pietatẽ cõſeruandã adhortetur. quod ſi ita eſt, nos tamen neque clamoribus eorum, neque minis, neq; armis aliquãdo cedemus, Pariſienſes. Quanquam enim edicto regio publicæ quietis cauſsâ propoſito, ſapiẽter cautum eſt, ne quid fiat, néve dicatur quod ſpectet ad multitudinẽ concitandam, nemo tamen antiquæ veræque religionis amatores ad eam retinendã adhortari prohibetur. hoc ſuapte naturâ pulchrũ eſt: hoc publicè ab omnibus vſurpatũ eſt, hoc iure cõmuni rectũ eſt, proprio cõceſſum. regẽ habem⁹ præclarè ſentiẽtem: erga religionem Catholicam egregiè animatum: à nouitate tota voluntate abhorrẽtem: qui tametſi regni pacificandi cauſſa multa, quæ nollet, patiatur & ferat, tamen optat, quam à ſuis maioribus fidem accepit,

ſar

ſartā & tectam cōſeruari optat, quorum adhuc integra mēs eſt, eos incorruptos ad ſupremum tempus permanere; optat, ſi-qui animo dubio fluctuēt in vtramque partem, eos oratione, conſilio, auctoritate cōfirmari; optat, omnes à veritate variis opinionū ſemitis aberrantes, in viam, ſi quo modo fieri poſſit, reduci. nunquam ille contra voluntatem ſuam veniſſe iudicabit, qui fecerit quod ipſe optat animo, permittit edicto. Si populum ad contemnēdum regis imperium fuiſſem conatus impellere, ſi multitudinem ad cædem, ad rapinas concitaſſem, ſi vllam vt iniuriam alicui hominum generi inferretis, à vobis, Pariſienſes, cōtēdiſſem: ipſe me grauiſſimi criminis reum, ipſe me regiæ maieſtatis contemptorem, ipſe me extremo ſupplicio dignum confiterer. Sin autem illa ſumma fuit orationis meæ; veterem religionis diſciplinam, quam rex omni animo, omnique voluntate ſequitur, conſtanter eſſe retinendam, dicam libere, Pariſienſes, non à me regia maieſtas, quæ religionis dignitate quadam ex parte continetur, imminuta eſt, ſed cōſeruata & amplificata. iſtis, iſtis, quemadmodum factū ſuum defendant, prouidendum eſt, qui communicato conſilio, dñi noſtræ præſente ornatiſſimo viro Iacobo Soriano Venetorum

Lega

Legato, religionis antiquæ defenſionem contra regis edictum exſibilauerunt, neque priùs quieuerunt, quàm Iacobum Rhodericum Falconium iuuenem animo prꝗſtantem, qui hoc ſe primùm aduerſus Deum pietati, deinde caritati erga præceptorem ſuum debere arbitrabatur, ad arma inuitum impulerunt. At in noſtram religionē aſperiùs inuectus es. quaſi verò poſſim oſtendere, pietatem antiquā eſſe retinendam, quin demonſtrem, quantum in iſta falſa ſpecie pietatis inſit & turpitudinis, & mali? at diſciplinam impietatis noſtram appellaſti diſciplinam. ridiculum erat exſpectare, vt aliter à diſciplinæ veteris deſertore nominaretur. Sed vtrum eſt grauius? impietatem dicere, an idololatriā? mihi vel hæc paria, vel poſterius nomē atrocius videtur. Euolue nunc omnes Caluini, & aliorum libros, omnes paginas inuenies hoc verbo refertas. audi miniſtrorum omnium conciones: comperies, nullum eos habere frequentius in ore verbum. & queri audent, impietatem à nobis appellari diſciplinam ſuam, cùm ipſi noſtram vocent idololatriā? ſi ferre non poterant veritatis vocem, ad audiēdum venire non debuerunt. nos enim non qui ſibila ſerpentis antiqui imitarentur, quærebamus: ſed qui prudentiam illam ſerpentum

columbarum ſimplicitate iunctam ſequerentur, quam hominum magiſter diſcipulis quondam ſuis magnoperè commendauit.
*Matt.*10. Verùm illi cùm diſrumperentur, veterem Eccleſiæ fidem contra noua commenta defendi, ad impediendum orationis noſtræ curſum parati, de induſtria venerunt. vellent in Pont. Max. in ſcriptores antiquos. in omnes vetuſtæ diſciplinæ partes dicere quod liberet, & quàm liberet diu; nos pro veritate, pro religione maiorum, pro Eccleſiæ Catholicæ dignitate omninò hiſcere non audere. Errant pietatis veteris oſores, amatores impietatis nouæ, errant vehementer, ſi paſtoritia fiſtula obrui poſſe putant tubæ cantum. falluntur, ſi ſperant, me minis & mortis metu poſſe terreri. hanc enim ego non vitam, ſed mortem; quam ſuis pollicitus eſt Chriſtus, quam exſpectant omnes boni, cuius fruendę ſtudio interdum efferuntur, illam vnam verè eſſe vitam puto quare vt opto neminem facere contra Chriſtianæ caritatis officium: ſic, ſi quid humanitùs accideret, quod in hac vrbe intelligo mihi non eſſe timendum, ſed ſi quid accideret tamen, ſummi beneficij loco ducerem, eripi mihi breuem miſeramq; vitã æternam, & immortalibus bonis affluẽtem reddi. Vos non modò corporibus, verùm animi-

nimis etiã adeſte, Pariſienſes, & cuius diſciplinæ cauſſas turpitudinis infamięq́; plenas oratione ſuperiore didiciſtis, eius nunc partus cognoſcite, quęſo, diligenter. vos ipſi etiam ſi ego nihil dicam, facilè ſtatuetis à quo tãtam malorum ſementem factam exiſtimetis. Non enim eſt, Pariſienſes. non eſt diſſenſionis auctor Deus, ſed pacis, beneuolentiæ coniunctionis, vt Paulus in omnibus, Eccleſiis docebat. Has ille virtutes tãti fecit, vt filium ſuum vnigenam per ſummos cruciatus necari permiſerit, modò quos adoptare ſibi decreuiſſent, non tam regionibus, quàm animis diſperſos, & opinionum magis, quàm locorum interuallo diſiũctos, in vnum nõ tam ſpaciis terrarum, quàm voluntatum conſpiratione congregaret. Itaque generis humani vindex grauiter aliquando de Hieroſolyma queſtus eſt, quod ſuos ab ſe ciues aggregari minimè pateretur, iamdudum id ſe operam dare teſtatus, Contrà Satanæ, qui ſemper hominibus aduerſatur, & quoad poteſt, etiam Deo, nihil aliud propoſitum eſt, quod intueatur; & in quo efficiendo ſine intermiſſione elaboret, niſi eorum, qui vnâ ſententiâ & voluntate conſtricti tenebantur, repentina diſſidia atque diſcordia quocirca libertatis & ſalutis noſtræ parens, qui ad furorem eius compri-

1. Cor. 14

2. Cor. 13

Ioan. 11.

Math. 23

mendum erat delapſus in terram, poſtquam demonſtrauit Iudæis, nullam ſibi pactã eſſe cum illo ſocietatem, illud adiecit, *qui cum*
Math.12. *ipſo non ſit, contra ipſum eſſe, & ſpargere ac diſſipare, qui cum ipſo non colligat*; ſignificans, & Satanam, & eius adminiſtros aduerſandi ſtudio diſpergere conari, quos ipſe magno labore congregarit. Viderunt hoc etiam veteres poëtæ, quamuis eſſent inani ſuperſtitione cæci, qui diſcordias & bella per furias quaſdam apud inferos commorantes excitari, non ſine cauſſa fictis fabulis memoriæ prodiderunt. Deo videlicet concordiam, pacem, quietem, diabolo, vt eſt apud Mantuanum vatem,

—triſtia bella,

Aeneid. 3. *Iráſque inſidiáſque & crimina noxia cordi,*

opinabantur eſſe. Deum exiſtimabant placare iras, tollere diſſidia, conglutinare voluntates, diabolum non externos tantùm, & alienos, verùm etiam, vt idẽ ille poëta, ſcripſit:

—vnanimes armare in prælia fratres,

nec inter peregrinos, & ignotos modò ſerere diſcordias, verùm etiam (*odiis verſare domos*) & propinquis ad mutuam perniciem arma prębere. Quæ cùm ita ſint, vt illa quæ pacem Eccleſiæ vel conſeruat, vel reconciliat, diſperſos colligit, diſſidentes in gra-

tiam.

riam reducit, diſciplina cœleſtis, atque diuina; ſic quæ ſocietatem Eccleſiæ diſrumpit, aut diſſuit, collectos diſpergit, omnibus ſenſibus congruentes diſiungit, ac diſtrahit, non aliundè, quàm ab aduerſariis poteſtatibus ortum habuiſſe ducẽda eſt. Ioãnes quidem, quem propter excellentem diuinarum rerũ ſcientiam τὸν Θεόλογον appellãt Græci, cùm filiolos ſuos cariſſimos admoneret, ne omni ſpiritui crederẽt, ſed tentarent ſpiritus potiùs ac periclitarentur, an à Deo profecti eſſent, ne ſimulatâ falſorum prophetarum ſpecie fallerẽtur, ſignum hoc addidit, quò facilè ſpiritus verè diuinus à ſimulato & adumbrato diſcerneretur: quicunque confiteatur Ieſum Chriſtũ in carne veniſſe, ſpiritum illum verè eſſe diuinũ; qui Ieſum ſoluat, eumque in carne veniſſe neget, illum ſpiritum, licet diuinus videatur eſſe, non à Deo tamen afflatum fuiſſe, verum eſſe Antichriſtum; quo verbo ſignificare voluit diaboli ſpiritum illum eſſe, cum Paulus Antichriſtum affirmet ſecundum operationem Satanæ eſſe venturum, ab eoque vim & poteſtatẽ accepturum, res magnas nouas, & admirabiles patrandi. Intendite quæſo, ſenſus, mẽteſque veſtras, Pariſienſes, & quæ ſit huiuſce ſigni vis conſiderate. Arius, Eunomius, Macedoni⁹, Donatus

1. Ioan. 4.

2. Theſſal. 2.

aliique multi veteres hæretici nónne Chriſtum in carne veniſſe fatebãtur? eos autem qui ſpiritu diuino excitatos fuiſſe dicat, ac non potiùs malorum dæmonum furiis exagitatos amens ſit. quid ergo eſt, quod ſcriptum fecit Apoſtolus, quicunque fateatur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, hunc diuino numine afflari? nimirum illi confitentur, vt B. Auguſtinus explicat, qui & Dei Filium verè hominem eſſe factum, verbis dicunt: & cauſſam, quæ illum ad ſuſcipiendã noſtram naturã impulit, hoc eſt caritatem, factis retinent & omni vitâ. Illi contrà Ieſum ſoluunt, eúmque in carne veniſſe inficiantur, qui vel alterutram ei naturã impiâ oratione adimunt, vel eum in carne veniſſe ore quidem loquuntur, dum caritatem tamen, quæ ei fuit veniendi cauſa, non ſeruant; dum Eccleſiæ mẽbra diſſoluunt, quæ cœleſtis amoris vinculis ille adſtrinxerat, factis atque vita negant. Conuertite mihi nunc animos in omnes partes, & quoniam oculis non poteſtis, mente & cogitatione circomſpicite omnes terrarũ oras quæ fuit ante Lutherum omnium Chriſtianorum de religione conſpiratio atque concordia? quæ vbicumque locorum ſimilitudo, & conuenientia myſteriorum? quam admirabilis omnium penè Gentium, quæ Chriſtum colunt,

ſunt, ſtudiorum, volũtatum, ſententiarum & quàm inimico noſtro metuenda conſenſio? magnæ nobiléſque partes vetuſtiorib⁹ diſſidiis fuerant ab Eccleſiæ corpore abruptæ: quæ verò in ſocietate remanſerant, etſi nonnullis fortaſſe de rebus humano more diſſidebãt, de ſumma tamen religionis miro conſenſu, omnes inter ſe deuinctæ tenebantur, non aliud Germanus, aliud Hiſpanus de libertate voluntatis humanæ ſentiebat. nõ ſecus Polonus atque Gallus de myſterio corporis, & ſanguinis Chriſti loquebatur. vna erat Hungari & Itali, vna Angli & Siculi, vna Scoti & Sardi de originis peccato, de baptiſmate, de iuſtitiæ noſtræ ratione ſententia; eadem omnium de ſingulis religionis noſtræ partibus & mens, & oratio. At verò nunc quanta eſt inter nos & eos, qui à nobis deſciuerunt, diſſimilitudo? vix vt ab eodem vtrique genere videamur orti. mitto nos, inter illos ipſos, qui ab Eccleſia defecerunt, quanta doctrinarum ſunt facta diuortia? quam miſeranda diſſidia? poteſt quidquam fieri tam diuerſum, quàm Lutheranus, Anabaptiſta, Sacramentarius, Suenckfeldianus, Seruetianus? poteſt aliquid magis diſpar cogitari, quàm Oſiander Philippo? poteſt inimicius quidpiam fingi, quàm Flaccus Illyricus vtrique? poteſt re-

periri quid magis aduerſum, quàm Gentilis, & Ludouicus Alemannus Caluino? nullum vnquam inueniet exitum oratio mea, Pariſienſes, ſi omnia genera enumerare voluero & à nobis, vt inter ſe diſſidêtium hæreticorum. de iuſtitia noſtra ſolùm ampliùs XX. Lutheranorum ſententiæ numerantur inter ſe valde diſiunctæ: quot oppida ſunt, totidem ferè diſſimiles, & contrariæ fidei confeſſiones proferuntur. ſi quando noſtri doctores leuioribus de rebus nõ ſentiunt, neque ſcribunt eodem modo, præcipuis tamen, ac neceſſariis de locis non diſcrepant; neque ſuam quiſque diſciplinam inſtituit, omnésque gentes ad ſe allicere conatur, verùm eandem omnes Chriſtianam videlicet diſciplinam, licet variis, probabilibus tamẽ & in vnum exitum ſpectantibus dubiis de rebus diſputationibus illuſtrant. at iſti apud ſe quiſque Eccleſiam eſſe aiunt, apud alios negant, eorúmque conſuetudine, & conuictu prohibent ſuos. O magnum & intolerandum dolorem, Pariſienſes! ô caſum acerbum atque luctuoſum? ô miſeram Eccleſiæ Chriſtianæ conditionẽ! tot membra, tam pulchra ſpecie, tã firma viribus, tam neceſſaria vtilitate, ab eo corpore, quod fidei, ſpei caritatíſque neruis Deus ipſe colligarat, fuiſſe diuulſa? quæ tot

ex gẽtibus naturâ diuerſis, diuino dono cõſpirantibus iuncta, velut acies ad pugnam inſtructa ſuis hoſtibus formidabilis incedebat, eam paucorum fraude laceratam, fuſam diſſipatam gentibus expertibus veritatis eſſe ludibrio? Solemus dolere vehementiùs, nonnunquam etiam lugere, vbi nobis venit in mẽtem quàm crudeliter ſanctiſſimũ Chriſti corpus à Iudæis fuerit dilaniatum: quantò nobis acerbiorem dolorem atque luctum deberet illud commouere, diſtrahi ac diſcerpi temeritate quorundam Eccleſiam, cuius conſtituendæ cauſsâ Dei filius verus Deus, cruciatus illos tam horribiles voluit ſuſtinere? ille quidem neque cùm iniurioſiùs tractaretur, neq; cùm verberibus cõcideretur, neq; cũ immaniſſimo ſupplicij genere mactaretur, vllum pro ſe verbum fecit: vbi verò Paulum ab Eccleſiam naſcentẽ incredibili audaciâ furentem adſpexit, ſubitâ luce perculſum abiecit humi, formidabilíque voce caſtigatum à cæde reuocauit: nos autem, qui carnificum illorum ne nomen quidem ſuſtinemus audire, hos in deliciis habemus, qui ſceleratas Eccleſiæ manus attulerunt? & cùm interfectores Chriſti, malorum dæmonum inſtinctu feciſſe fateamur? quæ fecerunt carnifices Eccleſię ad cædendas & diſiiciẽdas myſtici

Cantic. 6

Actor. 9.

ſtici corporis reliquias,diuinitùs eſſe credimus impulſos, & quia neutram Chriſto verbis detrahūt naturā,licèt caritate vacui ipſo vitæ genere diſſoluant Chriſtum, Eccleſiam diſſipent, illum in carne veniſſe factis negent, ſpiritu tamen eos afflatúque cœleſti dicimus commoueri. atqui non diceret Aurelius Auguſtinus?ille,inquam Auguſtinus, quem vnum ex omnibus antiquis auctoribus laudare ſe ſimulat Caluinus, iſtos diuino ſpiritu afflari pernegaret. Vultis eius à me verba recitari? vultis ipſum ex ore meo quodammodo loquentem audire? (*Quiſquis nō habet caritatem,negat Chriſtum in carne veniſſe. nunc iam interroga omnes hæreticos Chriſtus venit in carne? venit. hoc credo, hoc profiteor. immò hoc negas, vnde nego? audis quia hoc dico immò ego conuinco, quia negas, dicis voce, negas corde: dicis verbo, negas factis, quomodo, inquit,nego factis? quia ideò venit in carne Chriſtus, vt moreretur pro nobis, ideò mortuus eſt pro nobis, quia caritatem multam docuit. maiorem hac caritatem nemo habet quàm vt animam ſuam ponat pro amicis ſuis.*) Audi, Luthere, audi Caluine,audi quicūque per ſpeciem pietatis ab Eccleſia Romana defeciſti audi nō me,ſed Auguſtinum: (*tu non habes caritatē, quia pro honore tuo diuidis vnitatem.*)audi rurſus.vide

ne

ne excidat. (*tu non habes caritatem, quia pro honore tuo diuidis vnitatem.*) vos autem, Pariſienſes, quid vobis loquatur, accipite, ne quâ fallaci inflatus diuini ſimulatione capiamini. (*ergo hunc intelligite ſpiritum ex Deo.*) quem Auguſtine? dic quæſo, planiſſime. (*qui dicit Ieſum in carne veniſſe. qui dicit non linguâ, ſed factis. qui dicit non ſonando, ſed amando.*) quid ſi qui falsò iactabant ſpiritum afflatúmque cœleſtem? (*pulſate, tangite vaſa fictilia, ne fortè crepuerint, & malè reſonent. videte ſi integrè ſonant. videte ſi ibi eſt caritas*) nunquam vos hic factorum & caritatis quaſi ſonus fallet, Pariſienſes. tu verò Lutherane, tu Caluiniane, tu quiſquis recentem iſtam cuiuſcuius modi doctrinã tanquam filiolam complexam tenes cur diuinum inſtinctũ nobis obiectas? audi quid ſequatur apud eundem ſcriptorem. *tollis te ab vnitate orbis terrarum. diuidis Eccleſiam per ſchiſmata. dilanias corpus Chriſti. ille venit in carne, vt colligat, tu ideò clamas, vt ſpargas. ille venit colligere, tu venis ſoluere. diſtringere vis membra Chriſti. quomodo non negas Chriſtum in carne veniſſe, qui diſrumpis Eccleſiam, quam ille congregauit?*) periculoſa ſunt quæ reſtant, Pariſienſes. quemadmodum accepturi ſunt aduerſarij noſtri, perhorreſco, ſed quoniam Auguſtini verba ſunt, non

mea, dicam, non, ita me Deus amet, contumeliæ cauſsâ, ſed veritatis, ſi quo modo poſſint agnoſcere errorem ſuum. (*Contra Chriſtum ergo venis. Antichriſtus es. Intus ſis, foris ſis, Antichriſtus es. Sed quando intus es, lates, quando foris es manifeſtaris. Soluis Ieſum, & negas eum in carne veniſſe. non es ex Deo.* Quid igitur eſt, dicat fortaſſe aliquis: *Non veni pacem mittere, ſed gladium?* quid eſt, *veni*
Matt. 10. *ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum, & filiam aduerſus matrem ſuam, & nurum aduerſus ſocrum ſuam, & inimici hominis domeſtici eius?* potuitne Chriſtus apertiùs indicare diſcordias? negare poſſumus, earũ inimicitiarũ quæ religionis cauſsâ ſuſcipiuntur, auctorẽ illũ eſſe, qui ſe ipſe fateatur, ad eas excitandas in terrã eſſe delapſum? O præclaros laborum diuinorum interpretes, in retinendis literis ac ſyllabis, cum primis ſanctos atque diligentes, in prætermittẽda voluntate diſſolutos! vobis auctoribus nullum nouum
Ioan. 13. præceptum nobis Chriſtus dedit, vt nos in-
14. & 17. ter nos mutuâ caritate cõplectamur: non pacem præ ceteris rebus & ſuis diſcipulis, & per eos Eccleſiæ vniuerſæ cõmendauit: non à Patre ſupremo tempore precatus eſt, vt & diſcipulos ſuos, & omnes, qui per eos eſſent credituri ſeruaret, vt quemadmodum Pater & Filius eiuſdem naturæ diuinæ communione-

nione ſunt idem,ita nos & ſententiarum.& voluntatum,& myſteriorum coniunctione ſummam illam ſocietatem & vnitatem, quoad eius fieri poteſt, imitantes, in vnũ coiremus.vobis interpretibus inepta eſt illatam crebrò à beato Paulo vſurpata ſimilitudo.Eccleſiam eſſe quaſi quoddam corpus è diuerſiſſimis quidem,inter ſe tamen conſentientibus membris aptum atque cõnexum;quod& ſpiritu diuino contineatur, & ita temperetur,vt in tanta varietate, ac diſſimilitudine partium incredibilis quidã ſit abſque vlla diſcrepantia concentus;omnéſque omnium & malis doleant,& lætentur bonis:& fruſtra idem Apoſtolus Corinthios per Chriſtum obſecrabat,vt idem loquerentur omnes;vt nullo animorum diſſidio diſtrahi ſe paterentur;vt eâdem eſſent mente, & eâdem ſententiâ concordes:nihil erat cur Epheſios obteſtaretur,vt ſollicitè ſeruarent vnitatem ſpiritus in vinculo pacis.At ego,qui non ſum tam acutus explanator,vt ex Chriſti verbis non diſcipulum Chriſti modò,verùm ipſum etiam Chriſtũ ſtultitiæ condemnẽ,illud didici à maioribus noſtris,in eóque libenter acquieſco, Dei filium per Apoſtolos ſuos,& eorũ ſucceſſores ancipitem diuinæ doctrinæ gladiũ in omnes propemodùm terras immiſiſſe: quo

Rom.12. *1.Cor.12.* *Epheſ.4.* *1.Cor. 1.* *Epheſ.4.*

quo gladio naturalium affectionum vincula cùm abſcidiſſet, liberos à parẽtibus? affines à ſuis affinibus ita diuiſiſſe, vt cùm fidem alii amplecterentur, alii extra Eccleſiam permanerent; propinqui à propinquis, credentes à fidei expertibus, ad iudicia, ad ſecures, ad rotas, ad cruces, ad flãmas raperentur; id quod & iam olim accidiſſe Eccleſiaſticæ hiſtoriæ demonſtrant, & etiam nunc vſu venire ſcimus vbicumque gentibus veritatis ignaris Euangelium denunciatur. Eccleſiã autẽ hoc neceſſario ſanctiſſimóque bello conſtitutam, accepi & Chriſtum, & Apoſtolos voluiſſe, mira quadam rerum omnium ſocietate contineri. in eam qui gladium immittat, eam qui diuidat & diducat in contrarias præcipuis de rebus opiniones, Antechriſtum eſſe. Iſtuc ipſum, inquiunt, nos etiam & ſentimus, & docemus. verùm cùm Eccleſia, per Apoſtolos conſtituta, fuerit extincta, hominéſque ſenſim redierint ad impietatem & idololatriam, neceſſe fuit cœleſtis doctrinæ gladiũ denuò diſtringi, ac per nouos Apoſtolos vetuſtiſſimum pietatis cum impietate libellum renouari. Ad Apoſtolicæ doctrinæ ſucceſſionem redit oratio, Pariſienſes. Quãdo Eccleſia adſpectabilis eſſe deſiit? quando fuit illa ſucceſionis legitimę tela pręciſa?

iam

iam pridem. iam olim. eſto verùm quando fuit iſtud, iam olim?ſi diem,ſi menſem, ſi annũ non potes,ætatem certè nota quo primum ſeculo Eccleſia cœpit eſſe nulla? nullam enim Eccleſiam aliquando fuiſſe dicunt,qui dicunt adſpectabilem illam eſſe deſiiſſe cùm iſtã quæ ſub adſpectũ nõ cadat,Eccleſiam nemo ſcriptorũ diuinorũ aggnoſcat. qua igitur ætate primùm ſine ſchola diſcipuli,ſine matre liberi, ſine Eccleſia cœpimus eſſe Chriſtiani?quid iſti docturi ſiat, neſcio:id vnũ affirmare poſsũ?quod in omniũ veſtrûm animis penitùs inhærere velim,niſi virorũ illuſtrium, qui omnibus ſeculis à Chriſto ad nos vſque floruerunt. monumenta præclara ſepeliantur, ætatem nullam poſſe notari,cuius ætatis diuinarũ rerũ ſcriptores nõ ita exponunt ſumma religionis eius,quam nobis patres noſtri velut optimã hæreditatẽ reliquerunt,eandem vt oſtendant ſuperioribus temporibus fuiſſe.aut ſi tempus iſti verè definire poſſunt, quo primum tempore cœperunt eſſe quę nos habemus,cũ ante Lutherũ hęc ſola viguerint multos annos.deleatur illa ex Euãgelio Chriſti verba:*Ego vobiſcum ſum omnibus diebus,vſque ad conſummationem ſeculi:* inducantur illa,*Tu es Petrus,& ſuper hanc petram*,hoc eſt,ſuper te,quem ad ſignificã-

dam

dam ſolidæ fidei firmitatem, cepham, id eſt,
Ioan..1. petram cognomento vocari volui, *ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam*: tollantur illa, *Quæ eſt Eccleſia Dei viui, columna & firmamentum veri-*
1.Tim.3.
2.Tim.2. *tatis*. illa denique planè extinguantur, *Sed firmum fundamentum Dei ſtat*: quæ omnia ſi nequeũt aliter eſſe, quàm ſcripta ſunt, quis dubitat, nũquam Eccleſiam neque eſſe deſiiſſe, neque deſituram? quis non videt, eam continuatâ Apoſtolicæ doctrinæ ſucceſſione, & ad nos vſque perueniſſe, & ad ſupremum tempus eſſe peruenturam? quæ ſi quãdo deſiiſſet, nunquam tamen ab auaritia, ſuperbia, cupiditate laudis, inuidia, ira, odio initiũ eius inſtaurandæ ſumi paſſus eſſet Deus. Ergo ſit hoc conſtitutum, Pariſienſes, nunquam Eccleſiæ ſuæ defuiſſe Chriſtum nunquam illam ad veteris impietatis conſentionem rediiſſe, neque neceſſarium fuiſſe bellum, niſi malis moribus indici; nouam recentium magiſtrorum diſciplinam, quæ mirificè conſentientem anteà Eccleſiam miſerandum in modum lacerarit, quæ tot, & tam atroces tragœdias excitarit; non à Deo, qui conſenſum animorum & quietem amat, ſed ab illo diſſenſionum auctore, inimico pacis, otii, & quietis perturbatore eſſe profectam. Video vos eſ-

ſe

ſe feſſos, Pariſienſes: video me horæ breuitate iã vrgeri, cupio vos ad orationes alias audiendas integros atque alacres venire. Vnam tantummodò, eámque non longam, ſed valde firmam tamen addam coniecturam per veſtram vos humanitatem oro & obteſtor, vt mihi animos ad eam cognoſcẽdam redintegretis; Februario ſuperiore nõ multis ante Ciueralia diebus Lugduno mihi Turnonem vſque Rhodano ſecundo nauigandum fuit, aduerſarij non pauci eâdem nauiculâ mecum vehebantur, eorum vnus, quem ego miniſtrum eſſe de facie ſuſpicabar, lepidus & ſalſus eſſe velle cœpit. Cùm autem ei iocandi materia deeſſet, veſtimẽta monachorum, ita vt fit, cogitãti occurrerunt. Ego inquit aliquando Romæ quoſdã vidi monachos, quos ob inſigniorẽ cucullum vulgò iam appellant cucullatos. hi habitant ad Mineruæ, amictu cæruleo vtuntur. neſcio quid ad ſuum illud acroama feſtiuum adiungere velle videbatur, cùm ego, Non te pudet, inquam, omnium mortalium mendaciſſime, tam apertè falſa loqui? an neminem, qui tam impudens mẽdacium arguere poſſit, adeſſe putas? annos ipſe paulò minus quatuor ſum Romæ cõmoratus. apud iſtos monachos non ſemel fui. atqui nec ad Mineruæ domiciliũ vllũ habẽt, nec

veſte cærulea teguntur. quid refert, inquit alius vbinam illi habitent, aut quonam colore veſtiantur? nihil admodùm fortaſſe, inquam ego. verùm eius, qui Euangelium iactet, permagni arbitror intereſſe, verè ne loquatur, an ſecus: an putas, inquit ille, quòd errauerim in domicilio, & colore cucullatorum eadem ratione me falli in Euangelio explicando? fallaris, inquam, nec ne, in præſenti non dico; illud dũtaxat cõfirmo, cuius mendacium tam manifeſtum ipſe deprehenderim, ei me nullius rei fidẽ in poſterum eſſe habiturum. At ille ſtudebat riſum aliis mouere, id agebat, vt cauillando moleſtiã nauigationis omnibus alleuaret. Tradunt autem vrbanitatis præceptores, narrationem facetam ſolere maximè rideri, ſiue habeas, verè quod narrare poſſis, módò id mendaciunculis adſpergas, ſiue fingas. Nolo durus, nolo ſeuerus nimiũ videri, Pariſienſes. Gaudeo Caluini diſcipulos quos aiebant eſſe triſti ac recondita natura, tãtò iam hilariores eſſe factos licere vt ſibi putent riſus cõcitandi gratia, quãuis malitia non careat iocus, & ſpectet ad ſanctiſſimos Eccleſiæ ritus deludendos, aliquando mẽtiri, quod cert.è ne fiat, non minùs diligẽter Euangelio cautũ eſt, quàm ne temerè iuremus. Verùm ſi oſtendero, non tantùm

Cic. 2. de Orat.

in

in iocis vnum è multis, ſed ſummos etiam iſtorum doctores frequenter in tractandis decretis diſciplinę ſuę, ſeriò mẽtiri, inficiari poterunt, omnem illam religionis vmbram nixam, eſſe mendacio? Conqueruntur, Pontificum Max. tyrannide (ſic enim modeſtiſſimi viri Pontificatum maximum appellant, qui nolunt impietatẽ à nobis religionem appellari ſuam) à Pontificibus igitur Max, conqueruntur: in communione myſteriorum populo calicem ademptum, & per Concilia Conſtantienſe, ac Baſileenſe primũ alterâ ſymboli parte multitudini interdictum eſſe. hîc quàm multa inſunt mendacia? quàm inſignia? extat Leonis I. Pont. Max. *a* ſermo in quo populum vniuerſum ad calicem ſumendum adhortatur. decretum de multitudine à calice arcẽda nullius Pontif. aduerſarii proferre poſſũt. Cõcilia Conſtantienſe, *b* & Baſileenſe inueteratam ſolùm conſuetudinem ab altera ſpecie capiendi myſteria diuina, laudarunt, approbarunt, ſine Eccleſiæ vniuerſæ auctoritate immutari vetuerunt? quod idem proximis annis Concilium Tridẽtinum *c* fecit. quòd ſi illa duo Concilia hoc inſtituiſſent, vt altera tantùm ſymboli pars in diſtribuendis myſteriis populo præberetur, tamẽ: Pontificum Max. tyrannide, calicem ere-

a *Serm.* 4. *de Quad.*

b *Seſſ.* 13. *Seſſ.* 10.

c *Seſſ.* 21. *q* 5.

ptum fuiſſe populo iure negaremus, cùm ea tam libera fuiſſe conſtet, vt Pontifices Max. coegerint pontificatu ſe abdicare. negant fidei nomen ei, quæ in ſceleratis reperitur, attribui à ſcriptoribus diuinis. non recordabantur ſcilicet, ſcripſiſſe Paulum, *Si*
1.Cor.1. *habuero omnem fidem ita vt montes transferã, caritatem autem non habuero.* Exciderant ex
Iacob.2. animo illa Iacobi verba, *Quid proderit, fratres mei ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? nunquid non poterit fides ſaluare eum?* non quærit, an ſit illa vera fides, ſed cùm pro certo ponat veram eſſe, quærit an ſatis valeat ad ſalutem? At abutuntur interdũ fidei nomine ſacri ſcriptores, vt cùm nos hominem mortuum, hominem tamen nominamus. quid, quæſo, eſt corrumpere literas diuinas, ſi hoc non eſt? Iacobus fidẽ ſiue rectè factis mortuam eſſe ſcripſit, vt ſine ſpiritu corpus, quod quidem veriſſimũ eſſe corpus omnes fatebuntur, tu ſimilitudinem Apoſtoli transfers à corpore ad hominem, quem poſt mortem non niſi abutentes nomine, hominem vocamus? multi exiſtimare nos aiunt, homines per ſacrificium ex opere operato, vt Theologi loquuntur, reconciliari Deo, etiam ſine fide. atqui ſacro ſanctum ſacrificium negamus omnes, ad vitam æternam conſequendam
cui

cuiquam poſſe prodeſſe, qui cum Chriſto, & Eccleſia non ſit fide & caritate copulatus affirmant ſcripſiſſe Paulum; ſine ſanguinis effuſione non fieri ſacrificium! omnes Pauli epiſtolas peruoluta, illud tantummodo de lege per Moſen data ſcriptum inuenies, *ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio.* hæc aut omnia, aut pleraque ſunt Caluino communia cum multis, alia nō pauca ſunt omninò propria ipſius. nō eſt in animo tamē omnia in præſentia colligere, Pariſienſes, vt ad exitum aliquādo venire poſſit oratio mea. Sint ei per mē cetera omnia libera & ſoluta mendacia, quamuis maxima & impudentiſſima. ſileatur illud, quod ſcripſit, Auguſtanæ Confeſſionis homines nihil à Tigurina ſchola diſſentire de myſterio corporis & ſanguinis Chriſti, & Phillippū ipſum ſecum facere gloriatus eſt, in quo quā fuerit verax, Ioachimum Vveſtphalū, & alios., qui tam inſignem contumeliā non tulerunt, Phillipum ipſum denique atteſtor. nulla nunc mentio fiat, quod illà, fidei diuiſionem in viuam, & mortuam, aſſerit literis diuinis aduerſari, cùm in epiſtola Iacobi fidem mortuam legamus, neceſſe vt ſit aliā viuentem confiteri; & Paulus non quamlibet commendet fidem, ſed eam, quæ per caritatem operatur, vt cogamur aliam intel-

Hebr. 9.

In ſūma Confeſ de Sacram.

In vltima admonitione ad Ioachimum Vveſtphalum.

Cap. 2.

Galat. 5.

ligere ſine caritate ceſſantem, quàm Iacobus mortuam nuncupauit, quod fidem à noſtris opinionem quandam, aut perſuaſionem exiſtimari ſignificat, prætereatur: cùm fidem omnes opinione quidem longè ſuperiorem eſſe dicant, ſcientia verò tum euidentia inferiorem, propterea quòd videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tum firmitate multò præſtātiorem, quia diuina veritate fundatur. Vnum hoc cōmemorabo, hiſce diebus Euchariſtiæ ſacris perquàm accommodatum, quod mihi tā apertum videtur, nemo vt inficiari poſſit, tā magnum, me ipſum vt puduerit videre. Poſtquam Euchariſtiæ cultum ſuperſtitioſum eſſe copioſè ſibi demōſtraſſe viſus eſt, huic malo, inquit, proculdubio voluit obuiare Nicæna Synodus, cùm vetuit nos intentos eſſe ad propoſita ſymbola, vbi Caluine Synodus Nicæna vetuit Euchariſtiam humiliter ac demiſſè coli? cur non omnia ſanctiſſimorum Patrum verba profers? cur argumentum tam firmum penè tacitùs præteriſti. Vos antiquiſſimi & ſanctiſſimi Concilij orationem integrā audite, Pariſiēſes, qua ἐκ τῶν διατυπώσεων ἐκκλησιαστικῶν hoc eſt, ex Eccleſiaſticis inſtitutis, ac decretis, quæ extant inter actorum eius Concilij fragmenta, primus Franciſcus Turrianus, vir

n lib. 4. Inſtit. cap. 17. art 36.

vir ſanè diligens & doctus, protulit in lucem. Mirabimini, certò ſcio, virum illũ, qui nihil niſi Spiritum ſanctum loqueretur, tam impudenter voluiſſe mentiri, ἐπὶ τῆς θείας τραπέζης μὴ τῷ προκειμένῳ ἄρτῳ καὶ τῷ ποτηρίῳ ταπεινῶς προσέχομεν, ἀλλ' ὑψώσαντες ἡμῶν τὴν διάνοιαν τῇ πίστει νοήσωμεν, κεῖσθαι ἐπὶ τῆς ἱερᾶς ἐκείνης τραπέζης τὸν ἀμνὸν τοῦ θεοῦ τὸν αἴροντα τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, ἀθύτως ὑπὸ τῶν ἱερέων θυόμενον, καὶ τὸ τίμιον αὐτοῦ σῶμα καὶ αἷμα ἀληθῶς λαμβάνοντας ἡμᾶς πιστεύειν, ταῦτα εἶναι τὰ τῆς ἡμετέρας σωτηρίας καὶ ἀναστάσεως σύμβολα. habetis Græca verba, ne quis in alterius fraude coarguenda me putet fraudulentũ eſſe voluiſſe; accipite Latina, vt omnes intelligant. *In diuina menſa ne ſimus in propoſitũ panẽ, & calicem intenti, ſed cogitationem noſtrã erigẽtes, fide intelligamus, in illa ſacra menſa poſitum eſſe agnum illum Dei, qui tollit peccata mundi, ſine mactatione à ſacerdotibus mactatum, ac precioſũ ipſius corpus & ſanguinem verè ſumentes, illa credamus eſſe ſymbola ſalutis & reſurrectionis noſtræ.* vetat in pane & calice, quæ videntur, defixam nos habere cogitationem. vetat credere, nihil eſſe niſi panem atque vinum. fide iubet comprehendere, quod aciem oculorum fugit. mactari Chriſtum à ſacerdotib⁹ affirmat, ſed ita, ne ei denuò nex afferatur. vbinam illud Caluine latet, quod

tam

tam grauibus tu verbis colligebas, Euchariſtiam non eſſe venerandam? non tu verba ſynodi nõ intelligebas, quem nihil omninò latere potuiſſe opinantur tui, ſed cùm veritatem ferre nequires, tenebras ei fraudibus mendaciiſque tuis offundere volebas. iam tandem mirari deſino, eſſe tot inter vos, tãtáſque pugnas, vix vt duo reperiantur qui ſentiant idem. nunc intelligo quid ſit, quáobrem ſententias quotidie tanquam teſtamenta mutetis. nimirum veritas vna eſt, & ſimplex, vt ſapienter à Gregorio Nazianzeno dictum eſt, multiplex autem variumque mendacium; vera dicendi vna tantùm ratio eſt, falſa dicendi ſibi quiſque multas atque diſſimiles, idémque alias alio tempore rationes excogitare poteſt. Et ſunt qui turpiſſimis mendaciis fundatam diſciplinam diuinam dicere audeant? ſunt qui tam malè de Deo ſentiant, illum vt credant aut fallere voluiſſe, aut potuiſſe falli? ille & ingenio & doctrinâ facilè princeps, ſuperſtitione cæcus Plato, ipſum quidem mẽdacium, hoc eſt, ignorationem in eius animo, qui falsò quid opinetur, inſidentem, omnibus & diis, & hominibus odio eſſe cenſet: mendacium autem in verbis, quod illius quaſi imitatione expreſſum ſimulacrum eſt, vtilitatis cauſsâ nonnunquam ab

In 2. de Repub.

ho

hominibus adhiberi. ſed cùm emolumenti nihil Deo mendacio poſſit accedere, nolle vnquam eum aut verbo, aut facto mentiri. prorſus ἀψευδὴς, id eſt, mendacij expers eſſe numen diuinum, animo ſimplex & verax tum verbis, tum factis, neque ipſum mutari, neque alios fallere, neque viſis obiectis, neque verbis, neque in ſomnis, neque vigilantes. hæc ille de natura diuina magnificè, vt mihi videtur, atque præclarè: nos autem monſtrum immanè, totum ex fraudibus, mendaciiſque conflatum, atq; concretum, ex Deo natum eſſe affirmare non pudebit? vnde igitur iſtam dicemus ortam eſſe diſciplinam? vnde, Pariſiéſes, niſi ab illo, qui parentem generis humani mendacio impulit in fraudem? vnde niſi ab illo, qui in veritate non ſtetit? in quo veritas nõ eſt? qui cùm mentitur tum loquitur de ſuo? qui mendax eſt, vt cœleſtis magiſter dixit, & mendacij pater? iactent iſti magnificâ magis oratione, quàm verâ diuinos inſtinctus. Sancti Spiritus reconditam abſtruſamque diſciplinam ſpecie quâdam ſimulationis oſtentẽt. nihil in ore habeant, niſi verbum Dei. ego nunquam adducar, vt credam, Deum mentiendi impudentiâ delectari. Sentio me fuiſſe longiorem, quàm volebam plura non dicam. fœtus alios iſtius religionis egregiè

Gene.3.
Ioan.8.

ſequentibus diebus cognoſcetis. nunc quæ ſunt à me tractata, ea penitùs animis veſtris mentibuſq; mandate. maneat hoc fixum in pectoribus omnium; hæreat in medullis atque in viſceribus veſtris, quæ tam multas, & tam graues, & tam calamitoſas in Eccleſia idem anteà credente diſſenſiones de ſumma religionis noſtræ cõmouerit, quę non ſolùm aliquando ludẽs mentiatur, ſed ipſa manifeſtis etiam, impudentibúſq; mendaciis fulciatur, eam nõ à Deo turbarum, & fraudis inimiciſſimo, ſed ab improbo dæmone ſatore, & altore diſcordiarum, principe, & parente mendacij, ac fraudis, exſtitiſſe doctrinam. Quò etiam diligentiùs cauendum vobis eſt, Pariſiẽſes, ne aduerſarij noſtri capti dolis in ea mala incidatis, quibus mederi poſteà non poſſitis, aut multò difficillimè poſſitis. Si quis vobis capitalis hoſtis, veſtri ſanguinis exſorbendi cupidus, multiſq; rebus iam antè cognitus, munus ornatiſſimum ſuâ ſponte mitteret, quidquid illud eſſet, quod offerret, nõ quò maiores pretij, pulchriuſq; videretur, eò ſuſpectum magis haberetis? nõ eò vehementiùs latentem fraudem pertimeſceretis? non venenis imbutũ id eſſe adſpectu ipſo vos è medio ſublatũ iri exiſtimaretis: non auferri ſubitò, & ab oculis veſtris

ali

aliquò aſportari iuberetis?ita cùm aliquem ex iſto numero ſuauiſſimè & erudiciſſimè loquentem audietis,cùm liber vobis admirabili artificio compoſitus offerretur, ſiue Pontifex maximus, & Eccleſiaſticus ordo vniuerſus facetiſſimè ridebitur ſiue obſcuriores librorum ſacrorũ loci acutiſſimè explicabũtur,ſiue difficiliora religionis Chriſtianæ capita ſubtiliter diſceptabũtur, munera eſſe cogitate ab illo inimico adornata qui nihil magis optat, quàm æterni ſupplicij ſocios nos omnes habere.quantò mirabiliora videbuntur eſſe quæ dicentur, aut legentur,tãtò celeriùs reiicite, aut ſi locus, tempus, & alia reiici non patientur,tantò ſtudioſiùs curate,ne in animum intrẽt,quæ vel auribus accepiſtis. Illam illam, vt feciſtis adhuc,conſeruate diſciplinam,Pariſienſes, quam optimus parens per filium ſuum vnicum tradidit generi humano:quam Apoſtoli poſteritati prodiderunt: quam tot hæreſes & vetuſtæ, & recẽtes nunquam labefactere potuerunt,quam Eccleſia Romana ſequitur cuius fides Chriſti promiſſione firmata neque defecit vnquam,neque deficiet:quam integram & incorruptam maiores noſtri religioſiſſimi mortales nobis poſteris ſuis reliquerunt:quam nulla vnquam vel delebit, vel obſcurabit vetuſtas, vt ad-

ueniens Ieſus Chriſtus, generis humani doctor, nos diſcipulos agnoſcat ſuos; & omnibus illis immortalibus diuiniſque bonis, quæ pro rectè factis promiſit ſuis, cumulatos & ornatos, regno ſecum frui iubeat & beato, & æterno.

PETRI IOANNIS PERPINIANI

De Retinenda veteri Religione, & falſa recentium hæreticorum doctrina reiicienda, ad Pariſienſes

ORATIO. XV.

Silentium veſtrum inopinatum, & illa modeſtia ſingularis, quâ me nudiº quintus decimus audiſtis, Pariſienſes, incredibili quâdã & lætitiâ, & ſpe meum pectus animumque compleuit. lætor enim & vos grauitatis veſtræ fructum illo die maximũ cepiſſe, & orationem meam ſine periculo ſcopulum offenſionis eſſe prætervectam. ſpero autem, quæ difficultates illas, benignitate veſtrâ ſuperarit, deinceps eam ſecundâ ſtudij veſtri aurâ poſſe curſum tenere. Nam cùm vix dum egreſſam è portu recordarer in tam aduerſas tempeſtates inci-diſſe, vt non longè à naufragio abfuiſſe vide

deretur, tametſi humanitati veſtræ non diffidebam, nonnihil tamen verebar interdum, ne poſtquam eſſet in altum prouecta, procellæ tam immanes, ac tam cæci turbines cooritentur, vt antè inuidiæ fluctibus frangeretur, quàm portum optatum conſpicere poſſet. Nunc incredibiliter gaudeo, tantò rem ſecus eueniſſe, quàm verebar, & qui turbas illas alienæ inuidiæ fuiſſe re ipsâ didicerim, non eorum, qui fecerunt, magnã ſpem habeo primùm in bonorum omnium parente Deo, deinde in omnium veſtrûm moderatione, & comitati iunctâ grauitate, omnia mihi non quieta & pacata modò, verùm beneuola etiam atque amica in poſterum futura. Gratias vobis quantas maximas vel oratione, vel animo complecti poſſum, & ago, & habeo, Pariſienſes, qui me non merentem, licèt oratio nonnunquam valetudine, quæ mihi ſi vnquam anteà, illo die maximè fuit aduerſa, debilitaretur, pro naturæ veſtræ bonitate ſtudiis tantis proſecuti eſtis, quanta non dico ſperãda, ſed ne optanda quidem mihi eſſe arbitrabar. Ego viciſſim, etſi me nihil dixiſſe memini, quod debuerit quempiam permouere, tamẽ promitto ac recipio, diligentiùs operam daturum, ne cuiuſquam animum offendam, neque dicam aliquid præter ea, quæ de rebus ipſis

ipſis dici neceſſe eſt: quibus profectò lędi ſe non magis exiſtimare debent qui diſſentiũt à nobis, quàm nos eorũ verbis, vbi quid ab ipſis contra noſtram ſententiam diſputatur. Vos oro & obſecro, Pariſiẽſes, vt hãc alacritatem animorũ, hãc attẽtionem tãtam, hoc ſilẽtium veſtrâ moderatione dignũ, ad extremã orationem cõſeruetis. Nam mihi antequã aggrediar ad ea tractãda, quæ reſtant hodierno die quàm breuiſſimè quædã à me propè iuſta multorum querimonia deteſtãda ac deprecãda eſt, quæ ad me delata ſerò, ne veſtras à nobis voluntates alienet, non mediocriter pertimeſco, non quò mihi potior eſſe debeat hoc tempore veſtra de me exiſtimatio, quam religionis dignitas & amplitudo, ſed vt, conſilio meo atque facto omnibus probato, maiore apud vos & fide, & auctoritate poſſim priſcam illam populi Chriſtiani pietatẽ ab omni nouitatis iniuria tueri. Ac primùm quidẽ politiſſimis philoſophis reſpõdebo, qui diligẽtiùs examinant põdera officiorũ omniũ, ac nihil prorſus fieri volũt præter decorũ, negãt peregrinũ atque incolã decere, tã liberè de repub. in Gallia loqui: quorum reprehẽſio & querela eò me vehemẽtiùs mouet, quòd nefas & vitiũ videtur eſſe, ab inſtitutis ac præceptis beneviuendi, vllo nõ modò

fa

facto aut dicto,ſed etiã cogitato diſcrepare. Scio externorũ atque hoſpitũ illas eſſe partes,quas apud M. Tulliũ vitæ magiſtra philoſophia definit,nihil præter ſuũ negotium agere,nihil de alieno inquirere , miniméq; eſſe in aliena repub. curioſum. non ignoro, ad conſiliũ de republ. dandũ caput eſſe,noſſe rẽpub. vt optimi dicendi magiſtri ſcriptũ reliquerũt,neque homini paulò antè ab vltimis terris aduecto notã illã eſſe poſſe,qui aliena in ciuitate de ſumma reipub. ſuum audeat explicare cõſilium non rogatus, vel eum ad agnatos & gentiles eſſe deducendum,vel omni ſuppliciorũ acerbitate coërcendum puto. Sed videte etiam atque etiã, Pariſienſes,ne falsò me dicãt meam publicis de rebus,nullius rogatu ſentẽtiam interpoſuiſſe. Quando enim Galliæ cõſilium, vt de ſumma rerum ſtatueretur,aduocatũ eſt? quis ei conſilio præfuit? quis ſententias rogauit? quando ipſe illud in conſiliũ nullius vocatu veni? quãdo de quo deliberatur,quid mihi videretur vltrò impudenter expoſui? an peregrinus de repub. ſententiam dicere potuit,qui publicum in Gallia cõſilium nullum vidit? Dixi de veteri religione retinẽda , quæ iudicabam huic tempori conuenire,& dicam,Deo iuuante,eadem de re multa. Sed oratio mea hûc in priuata concione

In lib. 1. de Officiis.

Ariſt. 1. Rhet. c. 8.

Cic. 2. de Orat.

verſa.

verſatur, apud eos, qui licèt de ſe quiſque, ſuiſque rebus poteſtatem habeāt ſtatuendi quod velint, de vniuerſo regno tamē cōſultare, & controuerſias ad imperij ſummam pertinentes diſceptare non poſſunt. Nō hoc quærimus, dicat quis, vbi, aut ad quos verba facias: illud quærimus, qua de re dicas. Etenim ita coniuncta eſt religionis cauſſa cum reipubl. ſtatu, nulla vt res hoc tempore maiores poſſint efficere, aut in hac ciuitate, aut in toto regno commutationes. Si quicūque in cœtu populi de religione diſſerunt, huic affines crimini, quod mihi intenditur habendi ſunt, omnes cōcionatores in cuſtodiam publicam tradantur, non illi ſolummodò, qui priſcam Eccleſiæ tuentur fidem, verùm illi etiā, qui multitudinis auribus inculcāt nouam, omnes in vincula detrudantur, qui ne cōuiuia quidem huiuſmodi ſermonibus vacua eſſe patiuntur: niſi hoc dicturi ſunt, licere aliis, aduenæ non licere. Ego verò, Pariſienſes, an omnes alij ſint ciues, nolo quærere. illud dico, de Chriſtiana pietate, quemadmodum ego diſputo, ſi Eccleſiaſtica iura quæramus, omnibus & ciuibus, & externis, quibus legitima poteſtas conceſſa ſit; ſi ſpectemus huiuſce regni leges, noſtris quidē omnib. etiā alienigenis noui autē Euangelij miniſtris non niſi Gal-

lis

lis in Gallia diſſerere permiſſum eſſe, cùm externi miniſtri regiæ maieſtatis edicto id facere prohibeantur. Ac mihi certè duo videntur eſſe genera de religione quærendi & diſceptãdi: quorum vnum ita cum publico ſtatu rerum omnium copulatum eſt; nemo vt de eo loqui poſſit, quin omni de republ. ſimul dicat, alterũ à regni ratione diſiunctum & auulſum, priuatim pertinet ad vnumquemque noſtrûm. Sint ne in Gallia ferendæ duæ, aut plures diuerſæ, & contrariæ religionis diſciplinæ, an alterutra, vel omnes præter vnã, aut duas penitus exterminandæ, vniuerſo de regno mihi videtur eſſe contentio, aut eiuſmodi certè, vt ex ea pendeat totius regni ſalus. vtra de duabus, aut quæ potiſſimũ de multis religionis diſciplina ſequenda ſit, vnicuiq; noſtrûm, priuatã ego cõtrouerſiam eſſe duco, propriam cuiuſq; ciuis, nihil ad reipub. ſtatũ attinere. Quare grauiores illas cauſſas, regiæ ſapientiæ ac prudẽtiæ eorum, quos rex ætate minor, indole animi, ſuis maioribus ęqualis, in cõſilium omni de repub. ſolet adhibere, diſceptandas relinquo. illi conſilium de toto regni ſtatu capiant, illi inquirant & conſulent, quid vniuerſæ Galliæ maximè videatur ad vitæ tranquillitatem, ad incolumitatem ciuitatũ, atque ad imperij diuturnitatem

tem expedire. Non huius illa ſunt temporis, non huius loci, nō harum quas inſtituimus orationum, Pariſienſes. non eſt meum tantis de rebus verba facere, non veſtrū audire, non huiuſce repētinæ cōcionis aut vetare quidquam, aut iubere. ſi quid attigi de ſuppliciis, nō hæc ego ſupplicia, quæ vt ſint acerbiſſima, morte finiuntur; ſed illa ſempiterna ſignificabam, tantò horribiliora, quātò diuturniora, quæ ſunt improbis poſt mortem apud inferos cōſtituta. quorū ipſorum, ita mihi Deum propitium eſſe velim, vt mētionem nullam feciſſem, niſi eos, qui ſe nobis inimicos eſſe profitentur, tam illa cuperē effugere, quàm me ipſum. Totum igitur illud genus, longè abhorrens à tenuitate mea, ſi homo aduena coner attingere, & in hanc rempublicam curioſiùs inquirā, optimo ſanè iure reprehendar. hanc autem priuatā de religione deliberationem, ad ſalutem cuiuſque noſtrûm accommodatam, noſtro iure nobis aſſumimus. in tanta perturbatione religionis, eſt veſtræ prudentiæ videre, vtra ſit verior, aut quæ veriſſima diſciplina: eſt officij mei, & eius, quā erga vos habeo, beneuolentiæ, palàm teſtari, quid ſentiam, & monendo, hortando, ſuadendo, quantum in me ſitum erit, perficere, ne vllam in partē de recta via deflectatis. Quāquam,

quam enim ſum ortu alienus, animo tamē ac religione omnes cuiuſuis gentis Chriſtiani fratres inter nos ſumus, & eiuſdem corporis vnâ fide,ſpe, caritate, iuncta mēbra; neque hæc de religione quæſtio, ciuiū magis propria,quam externorū, exiſtimari debet. & ſi monitores, & hortatores vobis in tanta doctiſſimorum hominū frequentia deeſſe non poſſunt, nihil tamen oberit ad eos,quos iam habetis,monitorē, & hortatorem vnum acceſſiſſe. Itaque in iis, quæ ſunt regię conſultationis, tātum à Deo deprecabor, vt omnia regis Chriſtianiſſimi conſilia moderetur & regat.neq; fieri quidquam aut decerni ſinat contra publicam incolumitatem & ſalutem :quod autē ſtatuetur, quod imperabitur, quod edicetur,dum in eius ero regno,quàm potero diligentiſſimè obſeruabo. at verò in his quæ priuatò vniuſcuiuſque noſtrûm cōſilio cōtinentur, nec preces & vota ſolùm adhibebo,ſed vocem etiā,& latera, & quidquid dicendo cōſequi potero,ad preces adiūgam, vôſque vt in religione maiorum,quam ſolam eſſe veram credo,conſtanter permaneatis, cohortabor: neque patiar eſſe tam multos, qui eloquentiæ ſuæ vires conuertant ad Eccleſiæ Catholicæ ſtatum euertēdum me communi parenti omnium noſtrûm non optanti

modò, verùm etiam poſcenti & efflagitāti, ſi quam fortè poſſum, opem ratione non afferre: neque enim verendum eſt, ne quis à communi cauſſa omnium nationum peregrinum hominem, ſiue Hiſpanus ille ſit, ſiue Italus, ſiue vt longiùs progrediar, Scytha, repellendum putet. Sed me, Pariſiẽſes, multò etiam magis illa Theologorum elegantium querela, quàm philoſophorum accuſātio commouit, qui moleſtiſſimè ferre dicũtur, in vno verbo ita me fuiſſe lapſum, vt & inſcitiam ſimul, & acerbitatem animi indignam homine Chriſtiano declararim. Sit, inquiunt, omnium gentium religionis cauſſa communis: ſint cuiuſuis etiam peregrini partes defendere pietatem à maioribus acceptam: liceat cuicũque aperire de fide quid ſentiat, & quod verum rectùmque cenſeat ad id impellere populũ vniuerſum adhortando an impios tamen eos, qui aliter, ac tu, ſentiũt, dicere non debuiſti, neque diſciplinam eorum impietatis appellare diſciplinā. Impius enim, & ἀσεβὴς vnus is eſt quem ἄθεον alio nomine vocant Græci, hoc eſt qui vim omnem poteſtatémque diuinam funditùs tollit. quocirca nec hæreticos quidem, nec omninò eos, qui religionem vllam colerent, qualis illa cumque demum eſſet, aut ἀσεβεῖς, aut impios maiores noſtri

no-

nominauerunt. Quid ſi ipſi nos idololatras appellent, non par pari referemus, eóſque viciſſim nos impios dicemus? hoc eſt inquiunt, accuſatoriè non Chriſtianè loqui. Quid faciam; quò me vertam, Pariſienſes? quò orationis meæ conferam rationem? ſi oſtendam recentem iſtam fidei doctrinam rectè impietatem nuncupari, multorum voluntates offendam, qui eã pro cœleſti atque diuina cupidè arripuerunt. nam ſi ferre minimè potuerunt impietatis nomen, longiorem hoc de nomine diſputationem quis æquis eos animis accepturos credat? ſin relinquam hoc totum ac negligam, illoq; me verbo temerè abuſum eſſe confitear, magnã à noſtris aduerſariis fortaſſe gratiã inibo: verùm quam apud vos fidem habeam in poſterum, qui ne propriam quidem verborum vim exiſtimer tenere, neque tam noſtra verè defendere velle videar, quàm inuidiosè & inimicè accuſare aliena? Quid igitur eſt, quod fieri poſſit? hoc vnum, opinor: de iſta noua diſciplina nihil in præſentia dicamus: veréne impietas illa dici poſſit an non poſſit, omittamus. vim verbi propriam paucis explicem⁹. Hæreticos à maioribus noſtris impios vocari ſolitos demonſtremus cùm hæreticos dico, nemo ſuſpicetur eos à me ſignificari, qui nunc diſſident à

nobis hos ipſe neque hæreticos eſſe dico neque dicam. illos intelligi volo Valentinianos, Marcioniſtas, Arianos, Manichæos & alios, quos ipſi nobiſcũ hęreticos eſſe cõfitentur, eos à maioribus noſtris impios vocari ſolitos demonſtrabo. ita fiet, vt & veritas illuſtretur, & nos crimine ſoluamur, & nullius à nobis voluntas abalienetur. precor à vobis, quicunque diuerſas religionis perſequimini ſectas atque rationes, vt Euãgelicæ modeſtiæ memores, me ſine cuiuſquam iniuria meũ factum purgare patiamini; nec hæreticorum, aut impietatis nomine permoueamini, nec priùs incipiatis tumultuari, quàm ſit à me totus hic locus pertractatus. Ego enim diſciplinam nullã nominabo, niſi veſtro etiam iudicio condemnatã, de genere tantùm hæreticorũ vniuerſo dicam ea, quæ vos ipſi, ſpero, mihi facilè concedetis, nemo vt mihi poſſit iraſci, niſi qui ſe hæreticum eſſe voluerit anteà confiteri. ſinite me quæſo, venire ad extremum. vbi perorauero, tum ſi quid à me contumelioſiùs in vos dictum eſſe iudicabitis, non recuſo quo minus hîc in ſuggeſtu me, ſi ita vobis videbitur, opprimatis. Impius & ἀσεβής, ille nominatur, qui expers eſt pietatis; qui parum ſanctè pietatẽ colit, qui cogitatione, voce, facto pietatis iura reſcindit, &

quo

quoniam philoſophi Latini pietatem, Græci εὐσέβειαν non ſimplicẽ eſſe dicũt, ſed partim aduerſus conſanguineos, partim aduerſus patriam, partim aduerſus Deum adhiberi, omnes impij ſunt & ἀσεβεῖς, à quibus quoduis horũ trium pietatis genus vllo modo violatur. Superſedeo exemplis, ne in hoc eruditiſſimorum hominum cœtu repetere videar ab incunabulis puerilis doctrinę verbi ſatis aperti ſignificationem. nolo in re tam illuſtri nimius videri. nemo hoc negabit, qui vel Græcos Latinóſque ſcriptores vnquã attigerit, vel inſpexerit collectiones verborum vtriuſque linguæ. Quod ſi non omnes, qui vel in patriam, vel in parentes inexpiabiles fraudes conceperunt, continuò Deum omninò nullum eſſe putauerunt, vbinam illi ſunt, qui neminem impiũ arbitrantur eſſe, niſi qui Deum vllum eſſe prorſus inficietur? an illud ſibi volunt? etiam ſi & in patriam, & in parentes impij multi ſint, non omnium religionum penitùs expertes, in Deum tamen impios dici non ſolere, niſi qui diuinum principatum funditùs euertãt? quid ergo eſt, quod M. Tullius Verrem ait deorum, quos veneraretur, templis ac religionibus, bellum ſacrilegum & impium indictum ſemper habuiſſe? quòd priſcos illos Galliæ incolas, qui non omninò

Ariſt. in lib. de virtutibus.
Cic. 2. de Inuẽtione

Lib. 7. Accuſat. pro Fonteio.

tollebant vim deorum, ſed eos humanis hoſtiis credebant facillimè poſſe placari, & aliarum gentium religiones, direptis incēſſiſq; templis propè deleuerãt, impios appellat? quid poetæ veronenſi dicemus, qui Perſarum religionem impiam vſurpat? quid ſi nullam prorſus religionem reliquerunt, ne impiam quidem religionem habere potuerunt. Quid tot Græcorum, tot Latinorum ſcriptoribus ornatiſſimis faciemus, qui ſæpiſſimè impiè quid in deos dixiſſe, aut feciſſe aiunt illos ipſos, qui deos eſſe fatebantur? nihilne Græcè illos, nihil Latinè ſciſſe credemus? & ſermonē reprehendemus eorum, à quibus initia Græcè Latinéq; loquendi ſumere debemus? an illus potius putabimus errare, qui eundũ eſſe ἀσεβῆ, id eſt, impium, & ἄθεον affirmant, atque ad antiquam illam conſuetudinem loquendi conformabimus orationem noſtram? etenim ſi liberos erga parẽtes impios eſſe cõfitemur, non ſolùm qui parentes illos eſſe negant ſuos, quos eſſe conſtat, ſed eitam qui ſcelerate quid faciunt aut dicunt in eos, quos parentes eſſe ſuos non diffitentur, cur non aduerſus Deũ pari ratione nõ illos modò impios exiſtimemus, qui tollunt è medio ſupremam illam immortalémque naturam, & beatam. verùm eos etiam, qui vllo aut

Catull. in Gellium epigrammat. 22. poſt elegias.

verbo, aut facto violant ampliſſimam illius quam non negant eſſe, naturæ diuinæ dignitatem? ille quidem elegantiſſimus poeta, qui dicta ſibi negat impia verba in ſanctos deos, alióque in loco magnos deos inficiatur impiâ ſibi linguâ læſos, non aliâ mihi mente videtur; & ſententiâ fuiſſe: nõ aliâ Aficæ, quódam lumen Arnobius, qui toties Gentes à veritate abhorrentes impias eſſe veréque in impietate iacere confirmat, non quòd eas omninò nullam, ſed quòd falſam colere religionẽ arbitraretur, toties Chriſtianos oſtendit impios habitos eſſe vulgò, qui certè non omnem funditùs religionem extinguunt, ſed veram introducũt in falſæ locum. Quamobrem non ſine cauſſa maiores noſtri, ſapientiſſimi mortales hæreſim non *ματαιότητα* modò, id eſt, ſtultitiam, & *δεισιδαιμονίαν*, id eſt, ſuperſtitionẽ, & *δεισιδαίμονα ἄνοιαν*: hoc eſt ſuperſtitionem amentiam perhibuerunt, vt *a* Conſtantinus ille Magnus in ea epiſtola quam ad omnes hæreticos dedit: aut ineptias, inſaniam, peſtem. vt *b* Cyprianus aliquando; aut profanam peruerſitatem, vt idem ſcribẽs ad Cornelium Põtificem Romanum: ſed quoniã hæreſis nulla eſt quæ non cum diuina veritate pugnet, illis etiam vocabulis eam crebrò deſignauerunt, quibus omnia dicta at-

Lib. 1. eleg. 3.
Lib. 3. eleg. 4.
Lib. 1. cõtra Gentes.

a *Apud Euſeb. lib. 3. de vita Conſtan. ad Iubaian. de hæret baptiz.*
b *Lib. 1. epiſt. 3.*

que facta diuinam maieſtatem minuentiæ ſignificantur. quàm ſæpe βλασφημίαν, id eſt, impiè dictum in Deum vocat *a* Iuſtinus, *b* Irenęus, *c* Cyprianus, ceteri? quàm frequentia illa ſunt apud Cyprianum verba, *d* ſacrilega prauitas; ſacrilegi, in hæreſi, hæreticiſque declarandis? quantâ interdum grauitate hoſtes eos, & oppugnatores Dei idem *e* ſcriptor vſurpat? atqui nemo quidem certè aut impium hæreticum, aut hæreſim dixit impietatem. Scilicet pios illi, ac religioſos opinabantur eſſe blaſphemos, ſacrilegos, hoſtes, & oppugnatores Dei. quis non cernit, his ipſis in verbis deliteſcere quodammodo impietatis nomen? verùm age, hoc ipſum verbum ſuis literis, & ſyllabis expreſſum inueſtigemus. non enim fieri poteſt, vt vocabulum hoc omninò fugerint, qui tot ei finitima, & quaſi cognata ſtudioſiùs affectarint, ne dum declinarint, vnde vultis ordiamur? ab antiquiſſimis, opinor. Floruit altero Eccleſiæ ſeculo Iuſtin⁹ *f* Apoſtolorū temporibus vicinus, & philoſophiæ doctrinâ, & martyrij gloriâ clarus. an non is hæreticos ἀσεβεῖς, hoc eſt impios appellat? Floruit eâdē ætate Irenæus Epiſcopus Lugdunenſis ex Polycarpi diſciplina. non apud eū hæc oratio ſæpè vſurpata eſt, vt hæreticorum ſententiæ & dogmata impia dicantur

&

a *In dial. cū tryph.*
b *In præf. lib.* 1. & 4.
c *Ad Iubaianum.*
d *Ad Iubaianum. & lib.* 1. *epiſt.* 8. & 12.
e *Lib.* 1. *epiſt.* 3. & *de ſimplicitate præ lie.*
f *in dia cū Tryph.*

& irreligioſa? vixit tertio ſeculo Dionyſius Alexandrinus,& Cyprianus Carthagineſis, ille apud Euſebiũ *a* in iis literis,quas de baptiſmate miſit ad Xyſtum Pont. Rom. Sabellij doctrinam impietatis verbo notat; & in epiſtola ad Dionyſium Romanum, tum quidem presbyterũ, pòſt paulò Pont. multos fratres à Nouatiano fuiſſe ſcribit attractos ad impietatem: hic *b* de ſchiſmaticis quibuſdam ſcribens ad plebem vniuerſam, adulterum, impium, ſacrilegum vociferatur eſſe, quidquid humano furore inſtituitur, vt diſpoſitio diuina violetur:& aliis in locis *c* nõ raro hæreticis impietatis nomen imponit. Aetate proximâ vberrimus præſtantium virorũ fœtus fuit, ex quibus Alexander ille, qui Arij furorem pauliſper repreſſit,in ea epiſtola, quã ſcripſit ad omnes Epiſcopos ante Synodum *d* Nicænã, Arianam hæreſim impietatis nomine ſignauit. Euſebius Cæſarienſis omnes illas hæreſes vetuſtiſſimas *e* quas Conſtantinus penitus extinxit, δυσσέβειαν, id eſt, impietatem vocat. Nicæna Synodus in literis ad Alexãdrinos, Aegyptios, Libycos, & Pentapoſitanos datis,& Arij impietatem,& impiam Arij opinionem ſæpenumerò appellat, *f* Conſtãtinus Magnus poſt Nicænæ Synodi decretum,ſcribẽs Alexãdrinis,ab Ario memorat.

a *Lib.* 7. *hiſt. Eccl. c.* 6. & 7.

b *Lib.* 1. *epiſt,* 8.

c *Ad Iubaianum de haret. bapt,*

d *Apud Soc. ſchol. lib.* 1. *hiſt. Eccleſ.*

e *Lib.* 3. *de vita Cõſtãtini*

f *ibidem.*

illud malum impio animo fuiſſe diſſeminatum *a* Athanaſius, *b* Baſilius, Chryſoſtomus, *c* Ambroſius, *d* Hieronymus, *e* Auguſtinus, *f* Optatus, Victor eodem verbo frequenter vti ſolent. vox me citiùs & vires, quàm auctorum nomina deficiant, ſi percēſere velim oēs, qui hęreticos hoc elogio decorare voluerūt. Sed ego & quos adhuc nominaui, & quos nominare poſſem, omnes prętermitto, nemo eorum neque hæreſim impietatē, neque hæreticos impios aliquando dixerit. Apoſtolorū teſtimonia eiuſmodi habemus, vt alia quærere ſuperuacaneum videri poſſit, quid enim cenſetis, Pariſienſes, de hæreticis exiſtimaſſe Ioannem Euangeliſtam? an pios, ac religioſos illos eſſe quos non ſemel nuncuparit Antichriſtos? quid verò Petrum? quid Paulum? quorū ille βλασφημεῖν, hoc eſt, vt poëtæ more loquar, impia in Deum verba dicere hæreticos affirmat, hic μόρφωσιν quidem id eſt, informatam quandam & primis lineis adumbratam ſpeciem eos ait habere pietatis, virtutē autē eius abnegare & veræ pietatis naturalem faciem à ſe longè remouere, &, quo nihil illuſtrius dici poteſt, profanas eorum κενοφωνίας id eſt, à religione vacuam orationis vanitatē proficere multùm ad impietatem. Quid ad hæc reſpondere poſſunt, qui hæreſim, ἀσέ-

a Lib. 1. de fide ad Gratianū ca. 1. & 8.
d In Iouinianum, in Pelagiam
e 1. Cont. .ii. Petili.
e 8. epiſt.
L 8. & 2. cont. epiſt. Parmen cae. 23.
f Lib. 1. cont. Donatiſt.
Lib. 1. perſecut. Afrid.
g 1. Pet. 2.
h 2. Tim. 3.

ϐειαν & impietatem dici non poſſe contendunt? audebunt tot ſcriptoribus Græcis, ac Latinis elegantiâ exquiſitâ, reconditâque doctrinâ repugnare? contemnent diuinam trium nobiliſſimorum Apoſtolorũ auctoritatẽ? Quod ſi tantum apud eos, quæ ſunt à me cõmemorata valent, quantum debẽt valere, libenter equidem illud ipſis tribuã & dabo quódq; volunt: idem eſſe ἀσεϐὴ hoc eſt, impium, & ἄθεον confitebor. Videte quam ad conditionem deſcendam ſponte meâ Pariſienſes. Sit apud eos modò ſanctũ illorum, quos teſtes laudaui, nomẽ niſi demonſtraro & hæreſim, & hæreticos ἀθέους ab illis nominari, ne ἀσεβεῖς quidẽ, & impios eos dici poſſe concedam. ſin autem verbum illi omnium atrociſſimum non refugerunt, nihil eſſe fateantur, quare nos quod multò leuius, formidemus. Vnde igitur probari poteſt, ne ab hoc quidem illos verbo refugiſſe? Euſebius *a* Nouatianos, Valentinianos, Marcioniſtas, Paulianos, & alios hæreticos, quos Conſtantinus *b* vno edicto ſuſtulit, ἀθέους ad ſuos autem Cæſarienſes, poſt Nicæni Concilii decretum ſcribens, Arianam hæreſim ἄθεον vocat. Iuſtinus *c* Euſebio multò antiquior, Marcianos, Valentianos Baſilidianos, Saturnellianos, & alios hereticos ἀθέους nominás, eos aſſerit ἄθεα & βλασφημη

a *In lib. 3 de vita Conſtantini*

b *Apud Soc. ſchol. 1. hiſtor. Eccl.*

a *In præ-* σφημα dicere, ac facere multa docuiſſe: qui
fat. lib. 1. cùm illa duo verba cõiungat, ἀθέυς & ἀσεβῆς
& 4. *ad-* quoties ab Irenæo *a* impia & irreligioſa
uerſus dogmata vſurpantur, eadem verba Græca
hær. intelligi ſuſpicor oportere, & dogmata ἄθεα
καὶ ἀσεβῆ ſcripſiſſe illũ, interpretẽ ἄθεα impia,
c *in præf.* ἀσεβῆ irreligioſa Latinè dixiſſe. non enim
li 18. *com* illis aſsentior, qui Latinè arbitrantur ſcri-
mentar. pſiſſe Irenæum; cùm *b* Hieronymus illum
in Eſai. manifeſto Græcorum ſcriptorum in numero collocarit. Sed, vt ille ſcripſit, cùm appellationis huius grauiſſimos habeamus auctores, Euſebium, atque Iuſtinum, videãt orationis noſtræ reprehenſores, ne religioſè nimiũ ἀσεβεῖς id eſt impios dicere reformident, quos ἀθέυς illi perhibere non dubitauerunt: quibus ſi tot ac tales viri lumina orbis terrę parum Chriſtianè videntur eſſe locuti, ſint ipſi per me Chriſtiani quibuſcum velint, ego cum his hominibus Chriſtianus eſſe malo. nemo ſibilet, nemo admurmuret, nemo tumultuetur. quæſo ab omnibus, qui à nobis diſſidetis, ne hoc ipſi cogitationi veſtræ taciti ſubiiciatis: hęreticos non eſſe clamat, ideò impios rectè nominatos eſſe contendit. ego vos, vt ſum ab initio teſtatus, neq; hęreticos eſſe dico, neq; dicam. occurram his tacitis cogitationibus veſtris ad extremũ, & ita occurrã, vt vobis

ipſis facile probatũ iri confidam oratione meam nunc illud modò colligo cùm hæreticos ἀθέους maiores noſtri appellarint, nihil eſſe cauſſæ, cur homines docti negent, eos ἀσεβεῖς & impios poſſe vocari. At enim hæretici Chriſtiani ſunt, non Ioanni Euangeliſtæ *a* quidem certè, qui nunquam Antichriſtos dixiſſet, quos Chriſtianos eſſe putauiſſet. non Tertulliano, *b* qui hæreticis quidquam eſſe negat cum Chriſtianis; & ſint hæretici, Chriſtianos eos contendit eſſe non poſſe non Cypriano, *c* qui cõſtanter ſeiungit ab hæreticis Chriſtianos; ac de Nouatiano ſcribens, Chriſtianũ eſſe negat, qui in Eccleſia non eſſet; & quod anteà fuerat, amiſiſſe contendit, qui nec fraternam caritatem, nec Eccleſiaſticam vnitatem tenuiſſet. non Hieronymo *d* qui eam in partẽ interdum diſputando fertur vt inficietur hæreticum vllum eſſe Chriſtianum. nõ Auguſtino, *e* qui perſpicuè ſcripſit hæreſes à regula eſſe Chriſtianitatis auerſas, ab hæreticis animos decipi nomine Chriſtiano, & dũ Chamo, medio inter filios Nochi ab vtroque ſe diuidente, & inter vtrumque remanẽte nec in primitiuis Iſraelitarum, nec in plenitudine Gentium, hæreticorum genus iudicari contẽdit, apertè ſegregat hæreticos à populo Chriſtiano ex Iſraelitis Gẽtibuſque

a 1. *Ioan.* 2. 4.
b *De præſ. hæretic.*
c *Lib. 1. epiſt. 3. & ad Pompeiũ cõtra Stephan. epiſt. li. 4. ep. 2.*
d *Principio dial. aduerſus Lucifer.*
e *De vera relig. ca. 5 lib. 6. de ciuitate Dei, c. 21 de ſerm. Domini in monte, non longè à princi pio.*

a In dial-cũ Triph. que conflato. At ipſi tamen ſe Chriſtianos eſſe profitentur. audi Iuſtinum: (a *Chriſtianos ſe ipſi dicunt, non ſecus atque ij qui in Gentibus nomen Dei rebus manufactis attribuunt, & illicita atque impia ſacra participãt.)* b In libro de ſimplicitate prælat audi Cyprianum: (b *ſic ſe Chriſtianum eſſe profitetur, quomodo & Chriſtum diabolus ſæpe mentitur, ipſo Domino præmonente & dicente* c Mat. 24. c *Multi venient in nomine meo dicentes, ego ſum Chriſtus & multos fallent. Sicut ille Chriſtus non eſt, quamuis fallat in nomine illius, ita nec Chriſtianus videri poteſt qui non permanet in Euangelij eius, & fidei veritate* (audi rurſus eundem:) *Rapit de ipſa Eccleſia homines, & dum ſibi apropinquaſſe iam lumini, atque euaſiſſe ſeculi noctem videntur, alias neſcientibus tenebras rurſus infundit, vt cum Euangelio Chriſti, & cum obſeruatione eius, & lege non ſtantes Chriſtianos ſe vocent, & ambulantes in tenebris habere ſe lumen exiſtiment, blandiente aduerſario atque fallente, qui ſecundum Apo-* d 2. Co 11. *ſtoli* d *vocem transfigurat ſe velut angelũ lucis, & miniſtros ſubornat ſuos, velut miniſtros iuſtitiæ, aſſerentes noctem pro die, interitum pro ſalute, deſperationem ſub obtentu ſpei, perfidiam ſub prætextu fidei, Antichriſtum ſub vocabulo Chriſti, vt dum veriſimilia mentiuntur, veritatem ſublimitate fruſtrẽtur.* (Chriſtiani ne ſint hæretici, annon ſint, miſſum nunc facio. cer-

tè

tè fideles eos eſſe, dici non poteſt. Precor iterum ab iis, qui à noſtra religione diſcrepant, vt meum me dicendi ordinem tenere patiantur. ego de ipſis nondum loquor: vbi ad eum locum peruenero, ſpero me ſatis omnibus eſſe facturum. Nunc de hæreticis infinita quæſtio eſt, de qua mihi dubium non eſt, quin ſentiant ipſi nobiſcum. Tertulliano *a* enim hæretici, & Valentiniani, fideles non ſunt, qui poſtquam oſtendit, eorum qui ab Eccleſiæ conſenſione diſcedunt, vel doctrina, vel dignitate neminem debere commoueri, negat ſapientem eſſe quemquam niſi fidelem, maiorē, niſi Chriſtianum, non obſcurè ſignificans; quicunque hæreticus eſſe cœperit, eum continuò & fidelem eſſe deſinere, & Chriſtianū. Cypriano *b* & Ambroſio *c* multò minùs, qui hæreſim perfidiā, hæreticos autē ipſos profanos ac perfidos appellant. Quid de Optato *d* dicam? ille quidem, quos Donatiſtæ fefellerant, ex ouibus vulpes, ex fidelibus perfidos factos ait, & explicans illa verba fallentium, quamdiu te tenes? hoc, inquit, eſt dicere, imitare lapſus meos, imitare tranſitus turpes quamdiu fidelis, vocatis, iam fidem deſere, neque ſanè fieri vllo modo poteſt, vt ſit fidelis, qui deſiit eſſe Chriſtianus, at qui literas diuinas accipiūt;

a *De praeſ hær.*

b *Lib. 1. ep. 3. ri. 2.*

c *l. 1. 2. de ſimplic. dubianum,*

c *In praef. lib. 1 de fide ad Gratianum Aug.*

d *Lib. 6.*

ſed

ſed ſuâ interpretatione deprauatas. at habent multa communia nobiſcum? ſed dum alia reiiciunt, nec Eccleſiam habere magiſtram volunt, fidem *a* quæ Dei donum eſt,
a Epheſ. 2 amittunt, opinionem tantùm quandam retinent eorũ, quæ credere videntur. Et quia Thomæ Aquinatis *b* eximii viri nomine ad
b 2. 2. *q.* 5 me arguendum abuſi ſunt quidam, dico pri-
& q. 10. mùm me vnius auctoritati multorum au-
art. 5. *&* ctoritatem opponere, quæ prolata ſunt
q. 11. *ar.* 1. à nobis ex antiquiſſimis & certiſſimis Græcorum, Latinorumque monumentis, ea velle à noſtris reprehenſoribus infirmari. deinde nuſquam illum docuiſſe aio, inter impiũ & hæreticũ quid interſit. poſtremò hoc addo, non vno eum in loco demonſtraſſe copioſè hæreticos diuinâ fide omninò carere, hæreſim partem eſſe quandam infidelitatis: quæ duo mirum in modum valent ad noſtram ſententiam confirmadã. Quare ſit illud ratum atque fixum quod nõ æquidem video, quibus machinis labefactari queat, ἀσεβεῖς & impios omnes illos eſſe, qui aliquo ſcelere violant vel religionem aduerſus Deum vel aduerſus patriam & ſanguine iunctos caritatem. hos inter & hæreticos non aliud eſſe diſcrimen, quàm inter virtutem & magnanimitatem, vt cùm impij ſint omnes hæretici multi tamen impij

reperian

reperiantur ab hæreſi remoti, idem inte[r] ἀσεβῆ, hoc eſt impium, & ἄθεον intereſſe. nam cùm ἄθεος proprio nomine vocetur, qui numen diuinum ait eſſe nullum, abutuntur antiqui ſcriptores vſitatè iam in hoc verbo ad impietaté quáuis in Deũ ſignificandã, ex quo etiam hæreticos, ἀθέους aliquando maiores noſtri, tanquam proprio vocabulo, nominauerunt. ſed multò latiùs patet impietatis nomen, quippe quòd illos etiã, qui ſcelerate quid dicunt aut faciunt vel in patriam, vel conſanguineos, comprehendat. Dicet aliquis eorum, qui non ſecus, ac filiolam, religionis formam amplectuntur, fouent, oſculantur nouam. quorſum hæc tam longa, & tam altè repetita ſpectat oratio? quid hæc attinent ad illam reprehẽſionem orationis tuæ? dicantur hæretici ἀσεβεῖς, & impii dicantur etiam ἄθεοι, ſi placet: tu reprehenderis, non quòd hæreticorum, ſed quòd noſtrã appellaris impietatis diſciplinam: num hæreticorum loco nos duci vis, vt quæ in illos conferuntur verba digna ſcelere ipſorum, eadem in nos exiſtimentur aptè conuenire? Ego de vobis, quocunque vos nomine mauultis compellari, ego de vobis, deque veſtra diſciplina profeſſus initio ſum, nihil hodierno die me velle dicere, ſed ad illud ſolũ breuiter eſſe:

N N.

reſponſurum quod nonnulli conſtanter negant, hæreticos ἀσεβεῖς, & impios poſſe vocari: quibus ſi ita ſatisfactum eſt, vt veſtro etiam iudicio obmuteſcere cogantur: ſi planum feci hæreſim quidem, ſtultitiam, ſuperſtitionem, ſuperſtitioſam amentiam, ineptias, inſaniam, peſtem, prophanam peruerſitatem, blaſphemiam, ſacrilegam prauitatem; perfidiam ἀσέβειαν vel δυσσέβειαν id eſt, impietatem, hæreticos autem ſacrilegos, hoſtes, & oppugnatores Dei, ἀσεβῆς vel ἀθέους hoc eſt impios, perfidos, Antichriſtos vocitari; neque aut Chriſtianorum, aut fidelium in numero reponi: ſi hæc omnia ſic à me patefacta & illuſtrata ſunt, neminem vt tam impudētem futurum putem, qui reſiſtere & repugnare audeat contra manifeſtam veritatem, nihil eſt præterea, quod à me requiratis. atqui vel hæreticos nos eſſe fatearis, neceſſe eſt, vel illa tibi reprehenſio ſemper hærebit, idem in nos à te, quod in hæreticos dici ſoleat, paulò acerbiùs eſſe collatum. Non eſt huius tenuitatis & obſcuritatis, meum de re tanta interponere iudicium. non tantū ipſe mihi ſumo atque arrogo, tam grauem vt controuerſiam eſſe credam diſceptationis, & cognitionis meæ, verùm omnes vobis quàm longiſſimè à vera pietate videmur

abeſſe

abeſſe, Capernaïtas nos, & hæreticos, & impios, & idololatras nũcupatis, nihil propemodùm apud nos integri; nihil ſinceri reliquum eſſe contenditis. cùm nos dico, maximam dico partem eorum, qui Chriſtiani vulgò nominantur. veram Eccleſiam, illam, inquam, Eccleſiam ab Apoſtolis inſtitutam, perangustis regionibus veſtro nimirum cœtu definitis. ego contrà ſequor iudicium orbis terræ: ſequor omnium veterũ ſcriptorum auctoritatem. quos fruſtrà (mihi credite, qui vidi) fruſtrà veſtri magiſtri obtortâ gulâ ad ſe arripere conantur. ſequor Tridentinæ ſynodi frequentiſſimã celebritatem, à qua neſcio quam ob cauſſam diuini iſti doctores tantoperè refugerunt, cùm & fides eis publica daretur, eiuſmodi concepta verbis, nihil vt videretur eſſe timendum, & homines cœleſti Spiritu afflatos, pro veritate vltrò adire pericula, & ſupplicia etiam extrema ſibi depoſcere decceret. hæc verò cùm à me ſtent, Chatolicam & Apoſtolicam Eccleſiam ſequi me ducem puto, vos me falli & errare dicitis; ego vos affirmo errore labi. vos pro fide veſtra nullũ credo recuſabitis mortis genus; ego pro mea religione diuino munere paratus ſum, ſi res feret, ſanguinem vitamq; profundere. hîc vos ipſos ego iam (quoniam familia-

riùs vobiſcum loqui cœpi (diſceptatores & iudices eſſe volo. non enim mihi venit in dubium moderatio æquitaſque veſtra, quã hæc ipſa taciturnitas tãta declarat. Sic affectis animis vtriusque partis, quid vobis videtur eſſe reliquũ? quid? nihil aliud profectò dicetis, niſi vt liceat vtriſque noſtrûm animi ſui iudiciũ ſequi vt liceat, quẽadmodũ quiſque ſentiat, ita de ſua cuiq; deque cõtraria diſciplina loqui: neque aut nos miremur, idololatras à vobis appellari noſtros, aut vobis durũ videatur, à nobis impios vocitari veſtros, conuicia tantùm illiberalia, verborũque contumeliæ indignæ, noſtro pudore remoueantur, quod & rex Chriſtianiſſimus ſapienter edixit, & ego ſedulò adhuc feci, cùm nihil à me, vel in Lutherũ, vel in Caluinũ, vel in alios paulò aſperiùs dictum videri poſſit, quod nõ ipſi laudi ſibi ducant eſſe oportere, nam orationem, à dicentis animo diſcrepantem, & aliud promẽrẽ linguâ, aliud pectore tegentem, ne vobis quidem ipſis arbitror probabilem videri. Atque in ipſo eo verbo, quod reprehenditur, attẽdite quæſo, verecundiã orationis meæ. non enim vos impios eſſe dixi, nõ diſciplinam veſtram impietatẽ nominaui, ſed cùm ei ſanctiſſimum religionis nomen de ſententia veſtra tribuiſſem, meũ
iu-

iudicium, veſtro iudicio contrarium ſubieci. Quæ cùm ita, ſint, vos quicunque diuerſis ex diſciplinis ad me audiendum conueniſtis, quoniam mihi ad vos dicenti ſingularem oſtẽdiſtis humanitatis veſtræ lucem, moneo & hortor, ac ſi veſtra comitas hoc patitur, etiã oro, obſecro, obteſtor, vt verbis illis peregrinus eſt, Hiſpanus eſt, quæ ſunt plebeiæ leuitatis magis, quàm Chriſtianæ grauitatis, omninò neglectis, me tanquam veſtrum ciuem audiatis, neque poſthac, quemadmodũ me loqui velitis, ſed quẽadmodũ me loqui conueniat, cõſideretis. nam nec apud Chriſtianos vllum eſſe debet Hiſpani Gallique diſcrimen: nec peregrinitatem hominis veritati orationis officere, par eſt apud ſapientes viros: nec ſi quid vobis propter opinioné præiudicatã aut in verbis aſperè, aut in ſententiis falsò dictum eſſe videbitur, id animis continuò repudiãdum, ſed omni perturbatione ſedatâ, quàm ſint rebus ipſis, & perſonis apta verba & ſententiæ, quibus quidque rationibus confirmetur, aut refellatur, perpendendum eſt. tum demùm, ſi quid vobis contrariam rationem & inſtituta perſequentibus diſplicebit, tamen animum erga vos meum non probare vos, & laudare modò, verùm amare etiam oportebit. An me vllo veſtri odio adductũ,

cenſetis hunc laborem tãtum ſuſcepiſſe? an ſtudio nocendi vobis hæc dicere,quæ dico? Chriſtianum me ipſe non eſſe ducerem , ſi hoc modo eſſem animatus. odi equidem quam falſam & commẽtitiam eſſe puto diſciplinam,ſed homines amo ſic,vt neſciam, an ipſi ſe ſaluos eſſe malint, quàm ego. deteſtor errores, eosque cupio penitus extinctos:ſed errantes,quâ dei eo caritate, complector,neque perditos,ſed ab erroribus liberatos velim. vtinã intimos pectoris mei ſinus ac receſſus poſſetis oculis intueri. vtinã perſpiceretis omnes occultiſſimos meæ voluntatis motus.etiamſi falli me & errare putaretis, nemini tamen cariorem eſſe fateremini ſalutem incolumitatémque veſtram. Cupio vos diſcuſsâ mentis caligine rurſus purâ frui veritatis lucè:cupio vos ad Eccleſiæ ſepta, vnde abrepti eſtis,ope diuinâ reuocari:cupio vos ab ea diſciplinâ,quã pernicioſam arbitror,abductos, magnâque omnium lætitiâ communis parentis complexu,& oſculo acceptos, imbui ſalutaribus præceptis & inſtitutis : cupio denique vos id,quod caput eſt,ex anguſto huius ærũnoſæ vitæ curriculo in illa æternitatis immẽſa ſpatia eductos, iucundè ac beatè viuere cum Chriſto.Teſtor noctis tenebras, & aſſiduas vigilias meas. teſtor conclaue illud,

conſcium mearum & diurnarum,& nocturnarum commentationum. teſtor illum Angelum, quem Ioannes diuino ſpiritu excitatus, aureum thuribulum manu tenentem vidit, & preces noſtras veluti ſuauiſſimos odores incendentem Deo. teſtor rectorem ipſum vniuerſitatis Deum optimum maximum, quem ſine intermiſſione humiliter ac demiſsè deprecor, ne vos oues ſuas, ipſius ſiguo obſignatas, miſerabiliter interire patiatur: quæ mea vota etſi pro comperto habeo videri vobis ab errore profecta, quo tamen apud me loco ſitis, oſtendunt, cùm eadem, quæ mihi poſco, ſumma & immortalia bona, vobis optem, ac deprecer à Deo. dabit illa ſpero; nobis omnibus aliquando Ieſus Chriſtus, dux & auctor ſalutis noſtrę, ſi & eodem ipſe animo, quo cœpi, vos monere pergam, & vos me deinceps vt amicũ, minùs prudenter fortaſſe, ac beneuolè tamen conſilium dantem, audietis,

Apocalip 8.

PETRI IOANNIS PERPINIANI

De Retinenda veteri Religione, & falſa recẽtiũ hæreticorũ doctrina reiicienda, ad Pariſienſes

ORATIO XVI.

SEriùs omninò quàm volebam, & quàm vos exſpectabatis, conuenimus,

Pariſiẽſes, nõ vllâ quidẽ meâ negligentiâ, ſed partim valetudinis imbecillitate, partim (dicam enim quod verum eſt) nonnullo metu, ne eximiæ humanitati veſtræ, nimiâ aſſiduitate moleſtiam aliquam exhiberem. tametſi cauſſa ea eſt, graue vt videri nemini deberet, ſi multis continuis diebus conuocaremur. Omnibus enim hominibus, qui ſe ſtudent placere Deo, cùm nihil magis expedit, quàm fugere prauam de religione doctrinam, tum nulla res eſt difficilior, quàm internoſcere rectam, prauamque diſciplinam. Nam & in religionis prauitate ſpes nulla reſidere poteſt diuinæ gratiæ conciliandæ, & tãta eſt in rebus ipſis obſcuritas, tantæ in hominum animis latebræ, tantique receſſus, falſitas vt interdum veritatem, ſimulatione & inani oſtentatione vincat. Ac mihi diuinam in voluntatem intuenti, cui nihil eſt odioſius, quàm vitia atq; peccata, etſi vitæ improbitas omni ope fugiẽda videri ſolet, multò ſtudioſiùs ac diligentiùs tamen peruerſa doctrina, quàm vita corrupta, videtur eſſe vitãda: propereà quòd qui rectè inſtitutus eſt, is, vt ſapiẽter ſcripſit Aurelius Auguſtinus, & malus eſſe poteſt, ſi nolit præcepta ſequi, quæ didicit; & bonus ſi omnes vitæ ſuę rationes dirigere velit ad inſtituta rectæ ſalutarisq; diſci-

n libr. de le & o- rib. ca. 7.

pli

plinæ qui verò falſis opinionibus deprauatus eſt, ſiue à doctrina vita diſcrepet, improbus in eo eſt, quòd veram illam eſſe credit; ſiue ex præceptis illius vitam agat, eo ipſo fit longè deterior, quòd non malè modò ſentit, verùm cõtrà quàm fas eſt, etiam viuit. Vt enim qui viam aliquã ingreſſus nuſquam deflexit iter, etiamſi reſiſtat nonnũquam, aut referat etiam aliquando pedem, multò faciliùs poteſt, quò intendit, peruenire, quàm qui relictâ viâ longiùs aberrat: ſic qui veram rectámque fidem conſtanter perſequitur, neq; diuerticula flexionéſque falſitatis quærit, quamuis cõtentus ille curſus offenſionibus vitæ ſæpe retardetur, interdum etiam cõuertatur retrò, minori negotio cœleſtem Hieroſolymam, quò properamus omnes, ingredietur, quã qui falsâ opinione velut errore viæ, cũ recta ſe credat, gradi quò velit, diuerſam in partem feſtinat imprudens. Atque ego quidem neminem tam parum intelligẽtem eſſe arbitror, qui non videat, rectè de religione ſentientem, Deo gratum eſſe poſſe, ſi facta cum fide congruant, ſecus quàm oportet. opinantem, vtcunque viuat, Deo acceptum eſſe non poſſe. Verum multi ſpecie veri rectique falluntur: qui non ſperant illi quidem, contra B. Pauli ſententiam, ſine fide ſe pro- *Hebr.* 11.

bari Deo,ſed alios omnes errare putant, ſe ſolos fidem integram conſeruare. Etenim falſæ diſciplinæ eiuſmodi verbis, & ſententiis à ſuis auctoribus adornātur,ita quibuſdam pietatis quaſi pigmentis infucantur, vt imitatione fallaci, ſpeciem illam diuinam adulterent religionis veræ. Præclarè ſanè magiſter,humano generi diuino munere donatus zizaniorum,hoc eſt, lolij nomine ſignificauit doctrinæ prauitatem:prę- *Matth.*13 terquam enim quòd vt lolium ſenſibus, ſic illa mentibus non diſſimilem vinolentiæ ſtuporem affert:& vt lolium oculorum, ſic illa mentis aciem hebetiorem reddit: ex bona diſciplina deprauata cupiditatibus, oritur mala, vt lolium ex tritico, vel hordeo ſeminibus vligine corruptis: atque vt integris frugibus lolium, ſic illa perſimilis eſt veritati. diuinitùs idem ille magiſter cœleſtis, & Apoſtoli magiſtrum imitati, pſeudoprophetas, & pſeudos apoſtolos, & pſeudodidaſcalos nominauerunt omnes inuentores,ac principes alicuius nouæ falſæque doctrinæ. videlicet, vt pſeudonardus falſam quandam veræ nardi ſpeciem præfert,ſic illi veritatis,à qua lōgiſſimè abſunt, videntur eſſe doctores. admirabili ſapientiâ idem diuinus corrector humanæ vitæ, cùm lupos eos appellaſſet, addidit, pellibus ouium

Chryſ.homil.47.in Matth.
*Matth.*7.
1.*Cor.*11
2.*Pet.*2.

ouium tectos ad nos eſſe venturos. non ſine cauſſa ſuos adhortans. vt eorum fallacias cauerent, eo verbo eſt vſus, quo diſcipulorum cura vehementiùs intenderent. (*Attendite*,) inquit, magna cautione opus eſt, facilè vobis illi fucum facient, niſi omnes ingenij contendatis vires. Nihil profectò, Pariſienſes, nihil eſt magis arduum, quàm in tanta ſimilitudine falſa à veris, à rectis praua, ab integris corrupta, ſimulata à ſinceris, à natiuis fucata ſecernere. Sed gratia doctori noſtro Ieſu Chriſto, qui non difficultatem ſolùm indicauit, non ſollicitudinem tantùm noſtram ad cauendum excitauit, ſed docuit etiam quo modo noxiæ arbores, quamuis eximiâ ſpecie ac figurâ, agnoſcantur, ne tam facilè ſimilitudine boni caperemur. *à fructibus*, inquit, *eorum cognoſcetis eos.* vt arbores peſtiferæ ſæpe viriditate atque vmbrâ ſalutares, ita pernicioſi doctores imagine veritatis & ſanctitatis adũbratâ vtiles vincunt. vos quid quiſque ferat intuemini: arborem fructus indicant, quæ ex diſciplina proueniunt bona vel mala, doctorem. Quanquam hic diligēter videndum eſt, ne fallamur, non enim vita moréſque doctorum ſpectandi ſunt. non his ex fructibus iudicium fieri de doctrina debet: ſiquidem ſæpenumerò vſu venit, &

Matth. 7.

Ibidem.

vt falſa doceãt ij quorũ ne leuiſſimũ quid
Matt.23. peccatum reprehendas, & vt doctrinam qu
veram afferant, turpiter ac flagitiosè viuai
Ex hoc genere fuerunt Iudæorum quõdan
Scribæ, ex hoc Phariſæi, quorum monita
& præcepta vt ſequeretur, facta vitaret
nunquam populum vniuerſum fuiſſet Liberator noſter adhortatus, niſi iudicaſſet cum improbis moribus probã ſalutarémque doctrinam poſſe eſſe coniunctam. illud quærẽdum eſt, quoſnã ex ſe propriè fructus efferat ipſa diſciplina: qui ſint non damnatæ vitæ, ſed præpoſteræ ac peruerſæ inſtitutionis fœtus. hi nobis oſtendunt, quam vnaquæque doctrina vim habeat vel ad perniciem, vel ad ſalutem. Quare colligant aduerſarij noſtri multa hominum ſcelerate facta, coaceruent omnes malæ conſuetudinis corruptelas, flagitia Eccleſiaſtici ordinis accumulent, dedecora Romanæ vrbis, quæ fuerunt, ſunt, erunt, verbis amplificent, addant etiam, quandoquidem ita libet, quæcunque malitia voluit, ingenium potuit, impudentia auſa eſt fingere. cùm hæc mala nata nõ ſint ex inſtitutis religionis noſtræ, ſed ex deprauatione diſciplinæ, non eſt quòd exiſtimẽtur illi obeſſe debere. Ego verò Pariſiẽſes, in hac quæ paſſim ac liberè volitat, & arceſſitam quã iam

pul

pulchritudinem oſtẽtat, nouitate nõ quęro: quid ſceleratè ac flagitiosè aut fecerint, aut faciãt, quicunque eã vetuſtati anteponunt. ſi quid aliquando priuatim ſuo cuiuſque vitio commiſſum eſt, quod cum eorum inſtitutis omninò pugnet, totum id eis remitto atque condono, ſicut nobis cõdonari volo, quæcunque fiunt à noſtris contra diſciplinæ noſtræ rationem: illud quæro, cuiuſmodi ipſa per ſe ediderit fœtus, quę populo Chriſtiano pepererit bona. Peto à vobis, quorũ diuerſa eſt à noſtra de religione ſententia, vt me ſine contumelia cuiuſquam reliquos veſtræ rationis atque ſectę fructus explicantem, pro veſtra humanitate bona cum venia audiatis. nam ſi verſus ego mali de veſtro numero poëtæ non bonos, in me ſcriptos, neque verbis, neque ſententiis, neque numeris probabiles, conuiciorum è triuio plenos, tam æquo legi animo, nihil vt inepto cõuiciatori reſpondẽdum exiſtimarim; planè vos decet orationi meæ, non elegăti fortaſſe, at non malæ, ſpero; nec ineptæ, maledictis quidem certè carenti, & ab amore veſtri profectæ, non patientes modò, verum beneuolas etiam & amicas aures accommodare. Atque vt inde ducatur oratio mea, vnde nata eſt religio Chriſtiana, ego, Pariſiẽſes, neque vindicẽ generis hu-
ma-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

mani, neque Apoſtolos in omnes partes ab illo dimiſſos, neque Apoſtolorum ſucceſſores animis aut fundaſſe, aut propagaſſe video, quam poſteritati tradiderunt diſciplinam. multa illos cùm Eccleſiæ prima fundamenta iacerent, legi fuiſſe perpeſſos; ſcio cõtumeliis affectos, crudeliter excruciatos audiui: bonis, exſilio, morte mulctatos accepi: exercitu & caſtris obſeſſos, atque ad internecioné cæſos cognoui: aliquid ipſos eodem ex genere feciſſe nuſquam reperi. ſiue idololatræ, ſiue hæretici eſſent principes, quorum illa iuſſu fierent, ſemper eorum quamuis iniquis imperiis exiſtimarunt ſibi eſſe parendum. non illi animi ferociâ, ſed ſubmiſſione; non minis ac terrore, ſed lenitate & beneuolentiæ ſignificatione; non inſtructis copiis, ſed à Deo imploratis auxiliis; non armis, ſed animis; non feriẽdo, ſed ferendo; non occidendo, ſed moriendo dimicauerũt. quo nouo & inuſitato pugnę genere quantum profecerint, opulentiſſima regna & imperia per homines fermè nudos victa declarant, & terrarum orbis ſub Chriſti ditionem poteſtatémque ſubiectus. ceſſit incõditæ indoctorum hominũ voci cõpta philoſophorum eloquẽtia. ceſſerunt innumerabiles copiæ propè nudæ paucitati. gladij baculis, haſtæ contis, piſcatoriis nauiculis

uiculis claſſes ornatiſſimæ ceſſerũt. qui verò ab Apoſtolica doctrina quacumque de cauſſa diſceſſerunt, eorum longè aliam intelligo fuiſſe rationē, atque viam. nam cùm ſpecies illa ſimulationis parum valeret cōtra veritatem, arma illi, arma & omnia crudelitatis auxilia ſibi adhibenda eſſe duxerunt. Quæ gens vſpiā fera & immanis atrociora ſupplicia in Chriſtianos excogitauit, quàm Valentis imperio per vltimas orientis Solis, Auſtrique partes in veros diuinitatis cultores Ariani cōſumpſerunt? qui Nero, qui Domitianus, qui Decius, qui Diocletianus tam inhumanus in noſtros, tam ſæuus, tam dirus fuit, vt VVandalorū Arianam impietatem ſequētium furor. non omnem illam barbaram atrocitatem longo interuallo ſuperarit? quam vel hiſtoriis omnium Gentium, vel fictis poëtarum fabulis memoriæ proditā ſcelerum immanitatem infinitis partibus Donatiſtarum tempora non vicerunt? teſtis eſt Perinthus, *a* quæ Lampſacenæ Synodi legatos Valenti ſupplices in exilium miſſos, & eorum Eccleſias Arianis Epiſcopis attributas vidit, teſtis Antiochia *b* vrbs Syriæ clariſſima. quæ & ſuarum, & finitimarum Eccleſiarum rectores cum optimatibus fortunis omnibus euerſos, partim omni ſupplicio cruciatos & neca

a *Nicep. lib.* 11. *cap.* 3.

b *Ibid. & ca.* 21. 24. 25.

necatos, partim in profluentem deiectos, partim per agros, & Orontis ripas abſque lare familiari vagantes adſpexit, cùm eis eſſet pro domo mundus, pro tecto cœlum, pro lecto ſolum; pro pane fructus agreſtes, fluuialis aqua pro vino. Teſtes *a* maris gurgites, & gurgitibus vicina litora, vbi diſtãtibus in locis *b* omnium ordinum delecti viri cum nauibus, in quas impoſiti fuerant, miſerabili incendio cõflagrarunt, contrariis naturis inimicorum arte conſpirantibus ad piorum pœnas. teſtis Ægyptus, *c* quæ Petro Alexandrinorum Epiſcopo primùm in vincla coniecto, deinde exterminato, multitudinem bene de Deo ſentiẽtem, omnibus iis malis luxit oppreſſam, quæ vrbe per vim captâ euenire ſolent. Luxit Iudæorum, & idololatrarum manum in Eccleſiam irrumpentem; ſanctiſſimam Domini menſam nudi ſaltatoris obſcœno motu, & voce pollutam; ſacras virgines conſtupratas; cuſtodias ciuibus confertas; optimos quoſque cæſos; Monachos in vaſta ſolitudine bello territos, & in exſilium deportatos, cadauera inſepulta obiecta feris; Luciũ Arianum, ſuppoſitum in Petri locũ, ſeptum hominibus armatis, in bonorum cæde bacchantem cum amicis, propinquis, parentibus ne deplorare quidem calamitatem ſuã, &c.

a *Niceph. lib.* 11. *cap* 10.
b *Grego. Nazian. ad Heronem.*
c *Theo. li.* 4. *ca.* 24.

& acerbiſſimum dolorem lamẽtatione minuere per crudelitatem hoſtiũ liceret. Teſtis Africa, quæ Genſerici VVandali tyrannide, cùm in miſerando cinere deflagratarum vrbium ſepulta iaceret, non aliud ob crimen, niſi quod veram diuinitatis fidẽ à maioribus traditam cõſtantiſſimè teneret, ſæuitiam illam miſera ſuſtinuit, quam niſi Victor, a qui funeſtæ tragediæ ſpectator fuit, literis mandaſſet, fictam crederemus. teſtis Italia, teſtes verò iam omnes inter Italiam, Hiſpaniam, & Africam interiacẽtes inſulæ, quæ vno impetu illius beſtiæ ſanguinariæ omnem priſtinam dignitatem perdiderunt, teſtis b iterum Africa, quæ Iuliano religionis deſertore regnãte, cùm baſilicas Donatiſtæ recepiſſent, ciuium rectè ſentientium ſtrage confectã, Gildonianorum c temporum acerbitatem ſenſit, & cum gemitu luctúque pertulit Circumcellionũ omnib. latrociniis formidabiliores excurſiones. Non eſt neceſſe omnia conſectari. hæc ſola tam ab humanitate remota, tam lõgè à diuina Saluatoris noſtri, & Apoſtolorum ratione abhorrentia, fidem nobis facere poſſunt, Pariſienſes, vnde natæ fuerint, quæ tam exitiabiles tulerunt fructus, diſciplinæ: à Deo ne, qui nihil magis odit, quàm crudelitatem? an ab illo, cuius facinoſæ e-

a *Vide lib. eiuſde perſecut. Afric.*

b *Auguſt. 2. contra literas Petil. cap. 83.*

c *Auguſt. lib. 2. contra duas epiſ. Gaudẽn. c. 2c. & 3. cõtra Creſcon. Gramm. ca. 42. & 48. & ep. 48. & 50.*

crudelitatem; an ab illo, cuius facinora egregia cædes eſſe pronunciauit Chriſtus; a quem homicidam ab initio fuiſſe dixit;& hominum ſanguine delectari? Nunc vtram ad rationem propiùs acceſſerint noui religionis interpretes, & Euangelicæ libertatis importuni buccinatores, nolo ipſe dicere, ne qui abſunt ab eorũ ſchola, iniuriam ſibi à me fieri vociferétur. ipſorum ero ſententiis verbíſque contentus. nolo vos exiſtimare ſecus, quàm quemadmodum ipſe exiſtimãdum eſſe iudicarint. an de Sacramentariorum genere vniuerſo, quos à bello nefario contra ſacras imagines ſuſcepto, iconomachos ille vocat, obſcurũ eſt iudicium Lutheri? qui principum & magiſtratuum animos accẽdens ad eorum impetum comprimendum, ab imaginum demolitione veniri dixit ad cædem, & quid illis propoſitum ſit, quò ſpectent eorum conatus, vt mihi videtur, verè magis, quàm elegãter explicauit. (b *Nõ hic eſt*, inquit, *diaboli ſcopus vt oppugnentur imagines.*) aduertite, quæſo, diligenter, Pariſienſes, conſiderate ſingula Martini verba. nos Diaboli conſuetudinis ignari, quod videmus, hoc illum agere voluiſſe putaremus; vt ſacris imaginibus euerſis, tantum de animorum pietate diminueret, quantum de externo cultu Eccleſiarum

a *Ioan.* 8.

b *Lib.* 2. *conte. cæleſt. prophet.*

ſiarum à maioribus noſtris ex Apoſtolica diſciplina conſtituta detraxiſſet. ille verò, qui ſe multos cum ſcelerato dęmone ſalis modios eſſe gloriatur, ſenſus eius omnes pulchrè callens, hoc nos errore liberat, ne inquit, erretis. mali dæmonis conſilia non eò pertinent, non id agit per ſacrarum imaginũ oppugnatores: aliud ille machinatur, quod intelligit Deo maximè diſplicere, quod hominum generi exitio futurum non ignorat. Quid illud eſt, Martine? dic, obſecro te, ne nos diutius celes. (*Volo*, inquit, *ſibi foramen fieri per quod ſanguinem profundat, & cædes faciat in orbe terrarum*) Quî fieri poteſt, Martine, vt ad ferrũ atque ad flammam ſpectent iſtorum hominum cogitationes? nihil eorum exit ex ore, niſi religioſum, pium, diuinum: ſancti Spiritus inſtinctu ducuntur: cœleſtis Patris admonitu docentur. (*Falleris*, inquit, *ſpiritus icenomachorum non eſt bonus.*) atqui tollunt idololâtriam, Martine: reſtituunt veram pietatem; lõgo interuallo renouant perfectum illum naturæ diuinæ, verúmque cultum, qui non corpore, ſed animo continetur. (*Inanis*, inquit, *eſt hic ſonitus verborum, ſpirant enim cædes & ſeditiones*) at vultu, motu corporis, verbis nihil niſi moderatum præ ſe ferunt, parum, inquit, intelligis. (*Celant, & diſſi-*

OO 2

mulant ad tempus, quamdiu non vident opportunitatem.) O graue iudicium hominis inimiciſſimi religionis noſtræ! quis noſtrûm ſeueriorem ſententiam in Sacramentarios tuliſſet? clamabunt iſti, credo, non æquum eſſe Lutheri nos de ſe iudicium ſequi. inuidiæ, iræ, odio præter decorum illum indulſiſſe, vmbram Euangelij quandam hominum animis obieciſſe, Euangelium ipſum ne ſuſpicione quidem attigiſſe. quibus ego ſi reſponderem; cùm ipſi ſuæ de Luthero ſententiæ fidem & auctoritatē à nobis tribui poſtulent, nihil me videre cauſſæ, quãobrem Luthero de ipſis credere non debeamus, quis non ſtultus exiſtimator, improbaret hanc reſponſionem meam? ſed ego Lutherum dimitto, Pariſienſes nolo ſe quiſquam iniquo iudicio dicat oppreſſum. Quē me iudicem vobis ferre vultis? vobis dico, qui neſcio quo in angulo latentem pietatem inueniſtis, quem æquiſſimum veſtræ cauſſæ iudicem fore cēſetis? vnum aliquem ex eodem grege? tametſi mihi contra iniquum illum futurum, omnibus approbãtibus & aſſentientibus, reſpondére poſſum, nō faciam tamē, & in tali cauſſa vel inſenſiſſimo diſceptatore vobiſcū confligere nō verebor. Turnonia illa nauigatio, de qua alio die dixi, multas ad res vtilia nobis exē-

pla

pla ſuppeditabit:de qua & quæ ſunt à me tum commemorata, & quæ poſthac commemorabũtur, ſic à vobis accipi volo, vt ſi quid vnquam finxiſſe me, ſi qua in re mentiri voluiſſe deprehẽſum erit, omnis orationi meæ fides in poſterum abrogetur. non ſum illius miniſtri veſtri ſimilis, qui ſe frequentem apud eos Romæ fuiſſe affirmabat quorũ neque domicilium, neque veſtimentorũ colorẽ teneret. Cùm igitur ineũte vere Lugduno Turnonem nauigarẽ, erat in eâdem naui quidam tribunus militum benè valens & robuſtus, oblitus Lacus Lemani cœno, cuius audacia, vt ex nautarũ narratione cognoui, in illa perturbatione reipub. fuit inſignis. is in contentione de religione intueri me iubebat in Petri Vireti & aliorũ miniſtrorum vitam. ego autem multa me de illis Lugduni didiciſſe profitebar, quæ ſcribere ſi vellem, bene longam hiſtoriam aiebam me poſſe cõficere. ferre non potuit homo magni & excelſi animi, huius reſpõſi grauitatem. ardentibus oculis, geſtu omni imminente, vt impetum in me facturus eſſe videretur, *Vſque ad necem*, inquit, *cum eo depugnabo, quicunque aliquã Vireti maculam & labem auſus erit proferre.* O defenſionem egregiam! ô nouam & ſingularem alienæ vitæ ſordes eluendi rationem, ex mediis

Euangelij viſceribus depromptam! Quærebat ex me idem ille Gnato, qui cum hoc Thraſone nauigabat, ecquem Apoſtoli ad ſuos pedes abiectum, eos oſculari paſſi eſſent? ecquando Iacobus armatus equitaſſet, vt in Hiſpania equitum ordo, eius nomine inſtitueretur? ipſe viciſſim à vobis, qui adeſtis ex eadem ſchola, percontor, ecquando Chriſtus fuerit vſus hoc genere ſermonis? ecquis Apoſtolorum, ecquis eorum, qui Apoſtolis ſucceſſerũt, vel Euãgelij veritatem vel innocẽtiam aut magiſtri, aut ſuam, hoc modo defenderit, vt contrà ſentientes ac loquentes ad certamen prouocarit? illi quidem non ſolùm grauiſſimas pro Euangelio pœnas, verùm mortem etiam illatam ab impiis alacriter ſubierunt: multi quoque pro interfectoribus Deum clarâ voce deprecati ſunt; vocem autem illam, *depugnabo*, nunquam emiſerunt; quam qui multis audientibus vſurpauit, is prorſus declarauit diſciplinam ſuam non tam argumẽtis niti, quàm armis; nec ad tollerandum, firmum animi robur quærere, ſed promptam audaciam ad dimicandum. At hominem militarem paulò ferocius eſſe locutum, nemini mirum videri debet. non reluctabor vobiſcum hoc illi peccatum ignoſcamus, modò ſe peccaſſe velit ipſe conſiteri. Quid? veſtri

iſti clamatores, cùm illa nobis frequenter inculcāt, *Non veni pacem mittere, ſed gladium!* hunc eſſe diuini verbi quendam quaſi genium, vt nunquam emergat quieto ac dormiente Satanâ, cùm libellos clàm ſpargunt ad minuendum principum, vt vos dicere ſoletis, Euangelio aduerſantium ius & auctoritatem; videntúrne vobis ad concordiam hortari, an impellere ad ſeditionem? De Lutheranis verò quid Sacramentarij ſentiant, difficile ſcilicet eſt atque arduum videre quibus enim furioſum impetum attribuunt, quos omni humanitate ſpoliant, quos tyrannos, Cyclopes, factionem ſuperbam gygantum appellant, eorum, credo, conſilia minimè turbulenta volunt videri. At ſunt inimici. dicunt irati nullam in teſtimonio dicendo, vel ferēdâ ſententiâ auctoritatem eos habere par eſt. Ergo Euangelium Euangelio inimicum eſt. pietas eſt aduerſa pietati. veritas cùm veritate certat. quanquam in re manifeſta, quid inimicorum vel teſtimoniis, vel ſententiis opus eius. Exſiſtat nunc ab inferis Lutherus interrogetur, an illa ſcripſerit cùm ruſticorum coniurationes Muntzero duce, paſſim per Germaniam fieri cœpiſſent: gladium cerui-cibus principum imminere, poſtulata ruſticorum eſſe tam æqua, patronis vt iniicerent

ruborem,effudiſſe Deum in principes iram ſuam:illos auctores eſſe diuini furoris,nihil ipſis ex animi ſententia euenturum:cliẽtes nec poſſe iam,nec velle tyrannidem eorum pati: niſi illi facerent,alios fuiſſe facturos: ſi delerentur omnes armis, alios à Deo excitatum iri:non ruſticos ipſis reſiſtere, ſed Deum: Chriſtianum hominem dummodò credat, non poſſe damnari: liberos prorſus eſſe Chriſtianos: nulli eos humanis legibus teneri, Euangelium vi quâdam atque diſcordiâ inſtaurari oportere, cùm ſe Chriſtus veniſſe fateatur, non vt pacem hominibus afferret, ſed vt gladium immitteret in terras,neq; ſpem vllam eſſe reliquam, id ſine grauiſſima ſeditione perfici poſſe, quibuſcunque principes intercedant, corũ inſtitutũ à Deo eſſe profectum. Si hæc à ſe ſcripta negauerit, codicibus in mediũ prolatis conuincetur,eadem ſæpe illũ pro concione dixiſſe,aſſidui quondam eius auditores,reuiuiſcere ſi poſſent, teſtarentur.quantum autem in his momenti fuerit ad labefactandũ ciuitatum Germaniæ ſtatum qui non videat, cæcum eſſe illum, neceſſe eſt.

In libr.de captiuitate Babyl.

Iam de Anabaptiſtis & Sacramentarij, & Lutherani pariter fatebuntur. nam à Deo ſe mandata accepiſſe dictitabant, vt omnes reges ac principes bello ſubactos necarent, impios

impios è medio tollerent, ſi qui amãtes æquitatis in multitudine reperirentur, illis parcerent, Dauidis regnum toto orbe renouarent, in quo nemini impio futurus eſſet locus. Verùm quid ego ſingula conquiro, cùm vno argumento liceat probare vniuerſa? Repetite memoriâ, Pariſienſes, ex quo tempore Lutherus in Germania ſignum ſuſtulit ad Eccleſiæ Romanæ principatum à Chriſto inſtitutum, ab Apoſtolis confirmatum, ab omnibus antiquis rerum diuinarũ ſcriptoribus prædicatum, euertendum, qui mot⁹, qui tumultus, quę bella fuerint exorta, non illa dico, quibus duo ſummi reges inter ſe de imperio contenderunt; hæc tãtùm bella ſignifico ſolâ de religione diſſenſione conflata nunquam dubitabitis, quorſum pertineant recentes iſtæ diſciplinæ, ſi modò earum euentus animo eritis & cogitatione complexi. Et ſingulæ quidem Germanię ciuitates, quoties fuerint in armis, cũ ciues à ciuibus pellerentur, miſeris modis acciperentur, proſcriberentur, cõmemorare lõgũ eſſet. quæ latiùs patuerũt bella, quàm multa, quàm cruẽta, quàm attrocia fuerunt? quid miſerabilius vnquam vidimus, audiuimus, legim⁹ illâ infinitâ ſtrage ruſticorum? quorum qui numerum poſteritati prodere voluerunt, coguntur ſæpe fateri, numerum

iniri nequaquã potuiſſe. Quæ prælia acerbioribus odiis cõmiſſa Heluetij viderunt, quàm vbi ſtratis cadaueribus impiorum, cũ ipso impietatis auctore quinque benè ſentientes pagi perpetuã ſibi vitæ tranquillitatem virtute pepererunt? Quis in omni barbaria tyrãnus immanior vnquã exſtitit, quã Monaſterij VVeſt. Ioannes Leydanus Anabaptiſta, à forficibus, acu, linis ad imperiũ repentè per vaniſſima ſomnia trãſlatus? aut quod bellũ obſtinatis magis animis aliquando geſtũ, quàm à Monaſterienſibus illius circulatoris præſtigiis miſerè deceptis, contra veterem patronum ciuitatis, quãdo maioribus in Germania viribus certatũ eſt; quæ luctuoſior clades accepta, quàm cùm opulentiſſimi principes coniurarunt aduerſus Carolum V. Imperatorem inuictũ? horret etiam nunc ac refugit animus, cùm illa recordor. quæ ſi cum Arianorum factis cõtendere voletis, tãtò hæc eſſe grauiora reperietis, quantò deteſtabilius eſt, imperiũ qui iure obtinẽt, ab iis oppugnari, qui parere debuerũt, quàm quos audientes eſſe dicto neceſſe eſt, vim eis à regibus & principibus inhumaniter afferri. taceo de Gallia, ne refricare videar vixdum obductam antiquiſſimi fideliſſimique regni cicatricem. memoriâ tenetis, quàm turbulenta tẽpeſtas

per

per omnes eius partes peruaſerit, quæ cùm cæteris nationibus intolerabilem commouerit dolorem, non difficilis eſt coniectura, quàm fuerit vobis ipſis, qui eius vim ſenſiſtis, grauis & luctuoſa. Vtinã integrũ Gallis eſſet inficiari, ſtudiis religionis nouæ tumultus vllũ excitari. ſed recentiũ vulnerum dolor omnem hanc vobis eripit facultatem, quorum memoriam etſi vos æternâ obliuione delere, & iniurias acceptas Chriſti erga nos omnes caritati cõdonare, regiæ maieſtati, ſummo cõſilio, magiſtratibus dictos audientes eſſe? pacem & concordiam amare; pro iis omnibus, qui diſſentiunt à nobis, vt ſalui eſſe poſſint, Deum immortalẽ aſſiduò placare conuenit, Pariſiẽſes; perſuaſum tamẽ habere debetis, quæ tã ſimiles exitus habuerit religionis diſciplina, eius alium, atque Arianorum, & Donatiſtarũ doctrinæ, auctorem eſſe non poſſe nã ſi iſta Euangelii propagãdi ratio grata eſt & probata Deo, cur ſuũ ille Filium, pacato terrarum orbe, inermem; inopẽ, alienæ opis indigentem miſit? cur eo naſcente pacẽ Angeli denunciarũt terris? cur ipſe paulò ante mortẽ ſuos adhortatus, vt gladios emerẽt, ſi qui fortè carerent, cùm illi retuliſſent, duos eſſe gladios in comitatu, ſatis eſſe reſpõdit? cur Petrum diſtricto gladio magiſtrum defen

ſendere conantem, voce coërcuit? cur diſcipulos autẽ ſuos tanquã oues in mediũ luporũ agmen ſeminudos, dimiſit in omnes terrarũ oras, ſicut ipſe miſſus fuerat à Patre? fac nos eſſe impios habere manufactos, & ſubdititios quoſdã deos, quòd multò eſt ſecus. ſed fac ita eſſe, vt iſti dicũt, quãdo Apoſtolis in mẽt venit ſuadere, aut facere, aut probare, quæ ſcimus ab iſtis eſſe patrata? quãdo ſe aut illi, aut ſucceſſores eorũ in ſuppoſitorũ deorũ cultores tã inhumanos præbuerũt? quãdo vt tollerẽt idololatriam in alienas fortunas inuaſerũt? ſentio commoueri non neminẽ. adhibebo modũ orationi meæ, omnemque animi mei ſenſũ ſimpliciter vobis indicabo, ſi omnes recẽtis iſtius ſiue correctionem, ſiue deprauationem dicere neceſſe eſt, partes approbarem, quas equidẽ execror, ac deteſtor? ſed ſi probarem, ſi nihil eius non diuinũ mihi videretur, ſi decretum iam haberẽ amplecti & ſequi, me tamẽ quos extulit ipſa fructus cogerent mutare ſententiam, quos vbi tã acerbos, támque venenatos, & ab Apoſtolorum inſtitutis ac moribus tam alienos eſſe cognouiſſem, quæ eos edidiſſet arborem ab acerrimo illo optimi agricolæ inimico ſatam, peſtiferãque eſſe minimè dubitarem. hoc ipſum vobis quoque videri

ſu

ſuſpicor, Pariſienſes; quod multò ſanè verius putabitis, poſtquam reliquos perſpexeritis præſtantis diſciplinæ fœtus. Nam idē ille miniſter religionis nouæ, qui mecum Rhodano ſecundo, Turnonem verſus nauigabat, fabellam neſcio quam ad contumeliam virginum ſacrarum callidè cōpoſitam narrare cœpit: quam quò falſior eſſe videretur, facetiis dignis moribus ſuis condiebat ſcurrā vos negaretis vidiſſe turpiorem, ſi hominem audiſſetis, nullam ille ſuæ, nullam noſtræ dignitatis habebat rationem, illas etiam corporis partes & earū vſus quæ prudentes viri, ſi quādo eſt opus, rectiùs & verecūdiùs ſignificare conſueuerunt ipſe Stoicorum aut Cynicorū ratione. & modo propriis verbis, ac ſuis impudēter appellabat. os illud hominis diutius ferre non potui, obiurgaui acriùs. flagitioſam verborum licentiam compeſcere ſum conatus. ille non deſiſtere. quærere qui loqui oporteret, ſi ſuo quidque nomine dicere nō liceret. negare Apoſtolos autem eſſe locutos. iocoſè ridere hominum vulgus qui ſi aſinum, aut porcum dicunt, honorem præfantur; ſin adulteria, latrocinia, cædes, non præfantur. ego vero ineptias vulgi nihil me morari dicere; turpiter autem & obſcœnè loqui flagitium putare: quod equidē

in

inquam, neſcio an vobis Euangelium Caluini permittat; hoc vnum affirmo, Apoſtolorum vel conſuetudini, vel ſcriptis, quæ omnem verborum turpitudinem damnant, nihil eſſe magis aduerſum. Neq; verò mihi quiſquam dicat: iocabatur ille: riſum voluit concitare. Quid enim? tu te nouum Euangeliſtam eſſe profiteris, emendatorem corruptæ diſciplinæ, magiſtrum veræ pietatis, & eam rationem vſurpas, quam vel lenones ac meretrices paulò pudentiores vitare ſolent? & cùm mouendi riſus artifices præcipiant, ne ſit aut ſcurrilis iocus, aut inimicus; ac præſtare velint Oratorem ingenuitatē; & ruborē ſuum, verborum turpitudine & rerum obſcœnitate vitandâ, eâq; non ſolùm non foro dignam putent, ſed vix cōuiuio liberorum; tu, qui te θεοδίδακτον hoc eſt, diuinitùs edoctum eſſe gloriaris, cui Paulus omnem vrbanitatem interdictā eſſe vult, vt iis, quos odiſti, infamiam falſam inferas, ita ioceris, vt ſermonis impuritate captes riſum, quem eloquentiæ Romanæ princeps vel tenuiſſimum ingenii fructum eſſe dixit? Valde metuo, Pariſiēſes, ne Stoicorum iſtis, & Cynicorum diſciplina vehemētiùs æquo arrideat, qui nihil obſcœnum eſſe nihil turpe edictum arbitrabātur, quidquid ſecundùm naturam ſit, id verbis aperti-

Epheſ. 5.

Cic. 2 de Orat.

Epheſ 5.

Cic. 9. famil. epiſt. 21. & de Offic.

tiſſimis contendebant eſſe dicendum, omnem loquendi verecundiam tollebant ex hominum vita verendum eſt, ne ſenſim eò progrediantur, quò Cynici quondã peruenerunt, vt quæ non eos pudet apertè loqui, ea ſibi putent in oculis omnium palàm eſſe facienda Etſi miles, qui vna vehebatur, veteratoris illius pro petulantia diſputationẽ non probauit: ex quo ſuſpicari licet, hæc iſtorũ præceptis prohiberi. Sed quid ſi nouam ille aliquam diſciplinã inſtituit? quid ſi ſe Cynicum videri, quàm Caluinianum mauult, aut quod mihi vero ſimiliùs videtur, quid ſi tanto iſti odio flagrãt veræ pietatis, nihil vt penſi habeant quiduis facere, aut loqui, modò ſanctiſſimas cõſuetudines & inſtituta facetiſſimè eludant? Eligant vtrum malint: mihi nemo perſuadebit, illam à Deo manaſſe doctrinam, quæ vel decretorum petulantiâ, vel odio religionis veræ, ſublato pudore liberali, effrenatam attulerit licentiam quiduis apertè dicendi, quam etiam philoſophi moderati, vt Academici, vt Peripatetici, ſuis præceptis amputauerunt; quam etiam rethores philoſophis aliquantò leuiores improbarunt, vſq; eò, vt ne verba quidem ita velint in oratione concurrere, vt efficiatur aliquid obſcœnum. O Deus immortalis! quæ tanta eſt a- *Cic. ibid. & in Orat*

nimis noſtris offuſa caligo? quæ tam cæca nox omne nobis abſtulit mentis lumẽ? Cõferte hãc, quæ ſe nobis inuitis infert, diſciplinã, cum illis omnibus, aut cũ præcipuis earum, quas iã olim Eccleſia vniuerſa cõdemnauit. facta, conſuetudines, inſtituta inter ſe comparate. pleraque imitatione dicetis ex illis expreſſa. Miſſam facio crudelitatem, cuius tanta ſimilitudo eſt, vt vetera illa legens, hæc recentia mala mihi videar intueri. deplorabunt hæc aliquando noſtri poſteri, quibus liberiùs his de rebus conqueri licebit. illa tantùm perſtringam paucis, quæ ipſi gloriãda ſibi eſſe ducunt. Iubent perfugas noſtros nuntium remittere Põtifici Romano, eiuſque obedientiam abiurare? habent hoc à Nouato, *a* qui oblatione perfectâ, cùm partem vnicuique daret, ad iuſiurandum miſeros adigebat, nunquã ipſo relicto, ad Cornelium, qui tum Eccleſiæ Romanæ præerat, eſſe redituros. *b* Domus iſtorum, quò ſolent conuenire, percrepant virorum, feminarum, ſenum, puerorumque vocibus, varia carmina concinnentium? eadem conſuetudo fuit Apollinariſtarum. *c* Sacrum ex baptiſmo chriſma tollũt? ſuſtulerũt Nouatiani. ſe genus electum, *d* regale ſacerdotium, gentem ſanctã, populum acquiſitionis eſſe dictitant, nos impio

a *Euſeb. lib. 6 hiſt. Eccleſ. ca. 43.*
b *Niceph. lib 11. cap 12*
c *Theod. lib 3 hæret fabularũ compendij*
d. *petri 2*

piorum idololatrarum, hoſtium Dei loco habent? noſtras Eccleſias tanquam idolorũ templa fugiunt? quid aliud Donatiſtæ *a* faciebãt, cùm orthodoxorũ altaria, in quibus ipſi ſæpe operati fuerant, vel frãgebant, vel vel remouebãt, vel radebãt? quid aliud Nouatiani, *b* qui ſe puros & ſanctos, cæteros pollutos, & contaminatos eſſe prædicabãt? in ædificia religioſa, quam in prophana, in Epiſcopos, Sacerdotes, Monachos, quàm in alios, ſunt crudeliores? *c* Eccleſias incendunt? euertunt altaria? ſacra vaſa & veſtimenta transferunt ad cõmunes vſus? legite Gregorij Nazianzeni orationes, vnam de ſe & Arianis, alteram ad Heronem philoſophum præſtantem. legite ſextum Optati librum. legite Africanæ calamitatis hiſtoriam à Victore *d* conſcriptam. duobus in generibus hæreticorum, Donatiſtis, & Arianis eadem omnia reperietis tãtò antè deſcripta. delere penitus nituntur diuinam Liturgiam? annon Genſericus VVandalorum rex in Africa, ne Miſſæ fierent, interdixit: ánnon Leo *f* ille magnus quæritur, ab Eutichianis omne cœleſtium myſteriorum lumen extinctum? ſacroſancta myſteria manibus cõminuũt, pedibus proterũt, vbicunque poſſunt? Arianos legimus in Africa corpus, & ſanguinem Chriſti ſibi tradi

a *Epiph. hæreſ 59.*

b *Cypr. li 2. epiſt. 8.*

c *Theod. 3. cõpend. hær. fabularũ.*

d *Victor li. 2. perſecut. Afric*

e *Victor li. 1. perſecut. Afric*

f *Epiſt. 75.*

coëgiſſe-traditum abieciſſe humi pedibus conculcaſſe.multi ad mortẽ vltrò adierũt, & ea ſcientes commiſerunt;quibus perpetratis compertum haberent, omnium ſuppliciorum diritatem effugere ſe nullo modo poſſe?quid inter hos & Circumcelliones illos intereſt,quos inermes accepimus in Africa gregatim ſe idolorum cultoribus armatis trucidandos obtuliſſe?Quæ igitur ſtultitia eſt,diſciplinas illas à malo dæmone ortas eſſe dicere,hanc earum quaſi germanam imitationem,ad Deũ auctorẽ velle referre?hoc vnum reſtabat ſcilicet,vt quæ deteriores homines feciſſet,eius doctrinæ principem Deum eſſe crederemus.Clariſſimus Saxoniæ dux Georgius,cuius in Chriſtiana religione conſtantiam omnis æternitas prædicabit,in ea epiſtola,quã blandiſſimis Lutheri literis diuinâ grauitate reſpondit teſtificatur,nunquam adulteria tã multa fuiſſe commiſſa,quàm poſt illud præclarum Lutherani Euangelii decretum, licere mulieri quærere à quo grauida fiat, ſi nequeat à viro. Scribunt alii, poſteaquàm in Germania doceri cœptum eſſet,caſtitatem à nemine ſeruari poſſe, adoleſcentes à puellis vltro eſſe petitos. Eraſmus quàm multa egregia facinora narrat eorum, qui Euangelici falsò dicerentur?qui illud etiã

Auguſt. li 2,cõtra 1. epiſt. Gaudent. c.20 & epiſt.50

In epiſt. in pſeudo euangelicos, & ad fratres Germ. inf.

ſcri

ſcripſit, quod nunquam ex animo nobis effluere deberet, ſe neminem eorum, qui ſeipſo factus non eſſet lõgè deterior, aliquãdo vidiſſe. Decreta noua Ludouici Alemanni legimus nuper ad nos miſſa Lugduno, in quibus illud erat, quorum animus aliquo vitio ſi: tentetur, vt repugnare omninò nõ queant, eos etiam ſi faciant, prorſus non peccare: qua voce nefariâ iuris, pudoris, officii repagulis perfractis & euulſis, quis non intelligit, quantus patefiat aditus & ianua ad omnem improbitatẽ? ſileo quæ de aliis cognoui, poſtquam in Galliam veni, non tam ne ſe læſos putent, ſi qui eius generis hæc audiunt, quam vt meæ, veſtræque dignitati parcam, Pariſienſes. Non cõmittam, vt aut ſecus, quàm debeo de vobis exiſtimare, aut in hac prudentiſſimorum hominum frequentia impudens videar eſſe velle. Ac ne quis hoc mihi reſpondeat, ab inimicis iſta magis accuſatoriè, quam verè iactari, legite Hieronymum Meutzelium, legite Ioannem Spangem Bergium. legite Lutherum ipſum: intelligetis iſtos ipſos nouitatis amatores non ſenſiſſe modò, ſed etiam ſcripſiſſe, Germaniam, abeictâ Pontif. Max. obedientiâ, infinitâ vitiorùm omniũ licentiâ exultare, nec vlli omninò velle parere. Galliæ verò moribus quanta hæc la-

De paſtorib. in Poſtill Dõ. 1 aduent.

bes tum publicè,tum priuatim attulerit cõmutationem:ſentiunt grandes natu ciues, qui meliora illa tempora recordantes,præſentem rerum ſtatum taciti miſerantur ſecum.ſentiunt homines externi non pauci, qui longo interuallo reuerſi negant hãc illam eandem ſibi quam reliquerunt, Galliã videri ego ipſe etiam ſentio,qui multas præſtantiſſimæ gentis laudes ab iis, qui viderant mihi ſæpe decantatas deſiderare cogor,cùm veſtigia tantùm quædã earum perobſcura cõpareant & dubitamus etiã nũc a quo ſint ſparſa ſemina religionis nouæ cuius fruge omnia corrupta ac perdita cernamus?quærimus vtrùm Deus an diabolus initium attulerit iſti nouitati quę orbẽ terræ infinitâ cæde funeſtarit, turpitudinẽ illiberalem in hominum ſermonẽ induxerit,inſignium hæreticorum veſtigia ſtudioſè perſequatur,omniũm nationum, quarũ mentes occupauit,publicós priuatoſq,mores deprauarit?Si hæc leuia putatis quę grauiſſima debent videri,ſi tot, & tam firmas coniecturas contemnitis,ſi argumenta omnia repudiatis.valeat apud vos Pauli auctoritas, qui recentes doctrinas eorum, qui ab Eccleſia deſciſcunt, doctrinas ait eſſe demoniorum:aut ſi ſe iſti ab Eccleſia deſciuiſſe,noui quid aferre inficiantur,valeat certè

1.*Tim.*4.

apud.

apud vos Lutheri vox & oratio. ille improbum dæmonem ſecum de ſacrificio Miſſæ diſputantem induxit, ab eóque ſe argumẽtis vinci fecit, nos ab alio doctore credem⁹ illum accepiſſe quæ tradidit? ac non ab eo potius, cuius diſputatione ſe ipſe fatetur eſſe ſuperatum? ille primas in dialogo, atque in ſermone partes inimico noſtro tribuens, modò non clamat, non eſſe ſua quæ doceat, ſed diaboli, qui eũ miſit; nos diſciplinæ illius, ipſo inuito ac repugnante, Deum auctorem faciemus? aut cùm Euãgelium Lutheri certum exploratúmque ſit à Satana ductũ eſſe, nos quæ ab vna quaſi ſtirpe Lutheranæ doctrinæ, quamuis inter ſe diſſimiles exſtiterunt diſciplinæ, eas à Deo hominum generi datas & cõceſſas eſſe dicemus? Vos vos appello, quicunque ignoratione veſtrâ, malitiâ alienâ, veteri recentem, veræ falſam, ſolidæ inanem religionẽ prætuliſtis, veſtram prudentiam requiro & efflagito. iudices vos diſceptatores habere volo, & ſi quis me fluctuantem, & vacillantem in vtramque partem ad veſtram diſciplinã conaretur impellere, ei autem ego proponens dubitationes meas, hæc reſpõderem: in Eccleſia, quam Papiſticam vos, aduerſarij veſtri Catholicam appellant, etſi multa ſunt malâ, conſuetudine corrupta, manife-

ſta eſt tamen, & illuſtris à Chriſto ad nos vſque perpetua & continuata ſucceſſio, veſtræ primordia ſi quæramus, ad vnum aliquem veniemus breui, qui cui ſucceſſerit, dicere nequeat, à ſe ortus. diſciplinæ illius, detractis iis, quæ vel malitia, vel peccandi conſuetudo deprauauit, principia & cauſſæ honeſtiſſimæ reperientur, & pleniſſimæ dignitatis; veſtram à diuerſis cupiditatibus, auaritiâ, gloriæ auiditate, inuidiâ, irâ, odio, ortum habuiſſe, auctores ipſius & principes confitentur. illa vnam eandémque fidem, tot ſeculorum ſpatio ſeruauit: veſtra intra paucos annos tot diſsēſionibus in tam multas factiones diſciſſa eſt atque diſtracta, nunquam vt tot ſectæ fuerint philoſophorum, támque diuerſæ. illa mirificè veritatem amat & colit; veſtra, cùm ipſa per ſe conſiſtere non queat, fraudibus eſt atque mendaciis, magna ex parte fulta. illa diuinis auxiliis, aduerſarúmque rerum tolerantiâ, non armorum nixa præſidiis, eſt amica pacis, altrix concordiæ, effectrix & conſeruatrix publicæ quietis, veſtram, vt nihil dicam aliud, magno orbis terræ malo nimiùm ferocem experti ſumus: illa reſecat, veſtrâ vel opinione falsâ, vel bonorũ odio nutrit licentiam turpiter obſcœnéque loquendi. illa hæreticorum nonnulla etiam
bona

bona fugit, ne qua eorum imitatione culpa contrahatur, veſtra, quæ in illis teterrima fuerunt, ea ardentiſſimo ſtudio imitatur. illa ſibi obtemperantes meliores reddit: veſtræ vt quiſque diligentiſſimè paret, ita deterrimus euadit. Vereor ſanè vehementer, ne ſola illa à Deo, veſtra à malo dæmone ſata ſit & propagata, atque hoc etiam magis, quod idipſum interdū præ ſe ferūt eius auctores. Hæc ego ſi reſponderem, vt dixi, ei, qui me vellet ad veſtram vel vanitatem, vel religionem adducere; ſi vnamquamque rem iis argumentis, quibus anteà ſum vſus, confirmarem, quid mihi vos conſilij daretis? quid cenſeretis eſſe faciendum? vtram relinquendam, vtram perſequendam viam? etiamſi fateri palàm pudor fortaſſe prohiberet, tamen hoc ipſum, opinor, quod ego nunc ſentio, ſentiretis, in priſtina vitæ conſuetudine, ac religione maiorum potiùs permanendum, quàm nouam aliquam, cuius neceſſe ſit, virum ſapientem aliquando pœnitere ac pigere, ſuſcipiendam. quod igitur mihi vos, conſilium veſtrum exquirenti, niſi verum puderet dicere, reſponderetis, idem ipſe pro meo ſtudio erga ſalutem dignitatémque veſtram, meá ſponte vos moneo& hortor, quicunque iam alienà fraude capti, vera falſis per ignorantiá poſt

poſuiſtis. quam enim mihi vos integrâ re non ſuſpiciendam rectè putaretis, eandem ipſe vobis iam ſuſceptam non imprudenter eſſe relinquendam puto. Nemo mihi ſancti Spiritus afflatum, nemo certam animi fiduciam, nemo conſtantem ſuæ mentis tranquillitatem oratione iactet. hæc omnia mali dæmonis arte aſſimulata poſſunt eſſe. eadem enim dicuntur ab omnibus, qui ſectas contrarias ſequuntur, cùm ſuos quique affirment, alios negent ad vitam beatam ac cœleſtem eſſe peruenturos. certus omninò ſibi (videbatur eſſe Aurelius Auguſtinus. planè ſibi perſuaſerat verã in Eccleſia, quæ Catholica diceretur, doctrinã inueniri non poſſe. audire cœpit Ambroſium. hominis amauit eloquentiam, vnà cum ſuauitate ſermonis hauſit, quam deſperarat apud illum reperiri poſſe, veritatem. ego non ſum Ambroſius, nec vos quidem eſtis Auguſtini ſed idem eſt ac ſemper erit, qui & dicentem illum inſtruebat, & hunc audientem excitabat, Deus. pateant aures veſtræ ſermonibus bonorum. ſit apud vos veritati locus. quæ ſunt adhuc à me dicta, quæ audiſtis ex aliis, quæ deinceps audietis, omnia ſedulò cum animis veſtris conſiderate. precamini à Deo intelligentiæ lumen. nos ab eodem ſine intermiſſione pacem ac veniam

Confeſs. lib. 9. c. 13 & 14.

pete

petemus. tum ſi qua lux mentibus veſtris diuinitùs oborietur, ſi quo ſenſu tacito volũtates veſtræ permouebũtur, ſi vos impelli ſentietis, vt eò, vnde diſceſſiſtis, redeatis, per Ieſu Chriſti ſequeſtris noſtri vulnera, & ſanguinem vos obteſtor, vt neque pudore vos vllo, neque metu, neque amore impediri patiamini, quo minùs errorẽ viæ tantũ antè corrigatis, quàm ad eum veniatis locum, nullo vt modo queatis corrigere etiamſi maximè velitis. vos verò, quos Deus Opt. Maximus vllam in partẽ iter flecteretis, ope ſuâ conſeruauit, memores tanti beneficij eundem ſemper animum, eandem mentem ſententiámque retinete, & exiſtimate, diſciplinam ab infenſiſſimo generis humani hoſte diſſeminatam atque auctam, omnibus, qui eam acceperint, niſi ad ſe redierint, calamitoſam & funeſtam perpetuò futuram: qui vt erratum ſuum agnoſcant, vt ſempiternis erepti malis, regni cœleſtis hæreditatem nobiſcum cernant, omnes aſſiduò vota facere debemus.

PETRI IOANNIS PERPINIANI

De Retinenda veteri Religione, & falſa recentium hæreticorum doctrina reiicienda, ad Pariſienſes

ORATIO. XVII.

MIRARI credo pleroſque veſtrûm, Pariſienſes, me, qui profeſſus initio fuerim, de veteri religione retinenda verba facturum, cùm tot iam dies effluxerint, toties vos cōueneritis, toties ipſe perorarim, nullū adhuc religionis noſtræ caput, ne leuiter quidē attigiſſe. nā qui religionē vnam alteri præponendā eſſe cōtenderet, eius illæ videbantur eſſe partes vtriuſq; inter ſe capita diligenter & accuratè comparare, quo faciliùs ex contētione, quid veriſſimū eſſet, intelligeretur. Explicanda erat maculæ ortu contractæ ratio, aperienda voluntatis noſtræ vis ad bene beatéque viuendum, aut ſecus, gratiæ diuinæ demonſtranda neceſſitas; declarandus iuſtitiæ noſtræ modus; quantum in fide, quantum in rectè factis momenti ſit, exponēdum; myſteriorum numerus, ordo, natura, vſus illuſtrandus; de

Deo,

Deo, de Chriſto, de Eccleſia, diuinis de libris, de ſanctiſſima Dei matre;de omnibus, qui cum liberatore noſtro iam regnāt,contra malè his de rebus ſentientes,paulò ſubtiliùs diſputandum; vt vbi cognitum eſſet, noſtra contrariis eſſe veriora,tum demum à vobis iure contenderemus, vt diſciplinam ab Apoſtolis nobis per manus traditam,firmiſſimis animis retineretis.inepta falſorum magiſtrorum cōmenta,ſolitâ ſentētiæ grauitate repudiaretis: quorum nihil cùm ipſe fecerim, non immeritò mirari ac quærere vos arbitror,Pariſienſes,quæ ſit meæ rationis regio ac via. ſed eâ indicatâ paucis, vnà & mirari deſinetis, & conſilium nullum fuiſſe iudicabitis anteferendum meo. Ego enim ſingularum rerum, de quibus exorta diſſenſio eſt pleniorem explicationem cernens longiorem eſſe, quàm vt queat paucis nō orationibus dico,ſed voluminibus comprehendi, ſtatui propria cuiuſque generis argumenta mihi eſſe prætereunda, cùm in his tractandis præſertim quamplurimi, doctiſſimique homines & elaborarint iam, & elaborent; illa colligenda tantùm in hac adhortatione mea,quę communia ſunt omnium.de religione quæſtionum, magnámque vim habere poſſunt ad multorū animos excitādos. Itaque quàm planiſſimè veriſſiméque

méque potui, quibus ex cauſſis orta ſit iſta vanitas; quos ipſa ex ſe fructus extulerit; quid ipſi eius auctores de origine ſenſerint oſtendi; vt quam ab hoſte immaniſſimo natã eſſe perſpexerimus, tãtò maiori ab eo ſtudio caueamus, quãtò grauius illius odiũ in nos, & inſaturabiliorem ſcimus eſſe crudelitatem. Quanquam ex his ipſis multa mihi neceſſariò prætermittenda fuerunt, ne infinitior eſſet oratio mea: quæ cuiuſmodi ſint, partim ex iis, quæ dixi, coniecturâ facilè conſequi, partim ex defenſione Georgij VVicelij cognoſcere poteſtis, qui dum reprehenſoribus ſuis rationem redderet, cur ad Eccleſiæ Romanæ ſocietatem & communionem reuertiſſet, luculentâ oratione retexit, quos iſti ſimulationis propemodũ innumerabilibus inuolucris atque integumentis, diligenter occultant recentis Euangelij ac diſciplinæ fructus. Venio nunc ad ea, quæ pro ſe dicere ſolent ij, qui per illam eandem fiſtulam diuinum ſpiritũ hauſerũt, per quam è cœlo ſe ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti ſine corpore, & ſanguine, non ſecus atque ſuccum aliquem expreſſum exſorbere gloriantur. nam & ea, quibus nos vſi ſumus, refellere conantur, & multa afferunt, quibus imperitæ multitudini perſuadeant, ſuam à Deo bonorum omnium

parente, noſtram ab improbiſſimo hominum inimico profectam eſſe doctrinam. Non eſt hoc nouum, neque inuſitatum, Pariſienſes; meminiſſe debetis, nullam vnquã nec philoſophorum, nec hæreticorum tam abſurdam fuiſſe diſciplinam, cuius amatores, quid pro ſe, quid contra diſſentientes dicerent, non haberent. quocirca non an aliquid aduerſarij noſtri reſpondeant, ſed quale id ſit, quod afferant, vobis vidẽdum eſt. Vt enim nihil eſt tam falſum, cui non aliquis illini poſſit veritatis color; ſic fieri nullo pacto poteſt, vt ficta & commentitia quæ ſint, comprobentur veris. Et Caluinus quidem quæcunque pro fabulis ſuis contra veritatem callidè ac veteratoriè dici potuerunt, omnia Franciſco Valeſio Chriſtianiſſimo Francorum regi tantâ curâ perſcripſit, nihil vt eius admiratores fieri, aut cogitari poſſe dicant magis ex omni parte abſolutum atque perfectum. ad ea ſigillatim aliquando me reſponſurum eſſe confido, & ita reſponſurum, vt cùm omnes perſpexerint, in illa tam elaborata pręfatione infinita eſſe, aut malitioſis deprauata mendaciis, aut arceſſitis obſcurata verbis, aut artificioſâ diſſimulatione tecta, aut obruta publico vitiorum odio, & infamiâ, non refutata religio-

ligionem eam,cuius omnes numeros illam aiunt continere,manifeſtæ fraudis , ac perniciosæ fallaciæ plenam eſſe cogantur confiteri. hæc igitur ad illud tempus integra mihi reſeruabo.quę verò omniũ in ore verſantur,quæ iactantur vulgi ſermonibus,quę nobis in cõuiuiis ab ebriis,in circulis à prę-ſtigiatoribus ; in viis militaribus à cuculis, in fluminibus à ranis,in tabernis diuerſoriis à ganeonibus , vel reſpondentur , vel obijciuntur,ea quam vim habeãt, breuiter conſiderandum eſt. Prædicant conſenſionem omnium qui ſe Euãgelicos,quàm Chriſtianos appellari maluerunt:negant vllum à ſe bellum exortum : modò paucitate , modò multitudine glorientur ſuâ : iactant neſcio quæ martyria ſuorum:ſpeciem oſtẽtant integerrimæ ſãctiſſimæq; vitæ:ſcripta diuina contra nos à ſe ſtare vociferantur. Vos intendite,quæſo,cogitationes veſtras , Pariſienſes, & vt corporibus præſentes eſtis , ſic animis etiam & mentibus adeſte, ſolitóque ſilentio & humanitate accipite quæ dicam. polliceor vobis futurum,vt intelligant quicunque non repugnabunt obſtinatâ voluntate contra veritatem, quid ſit pro ſomniis ægri capitis inania verba fundere , quid ſanorum hominum ſententias ſolidâ,&grauitatis plenâ oratione tueri .Eſt illa planè fir-

ma coniectura, quâ ſum alio die vſus, ex varietate & pugna doctorum delirantium petita, nullum iudicium veſtigiúmque clarius reperiri poteſt, non à Deo, ſed ab aduerſario Dei, & noſtro diſciplinam iſtam inuentam, quàm quòd eam quicunque ſequuntur, omni concordiâ ſublatâ, inter ſe digladiantur. Nam ſi reſpicere volemus animo ſpatium præteriti tẽporis, ac prima Eccleſiæ initia, progreſſúſque recordari, reperiemus doctrinam verè diuinam atque cœleſtem ſemper ſui ſimilem, omnibúſque membris aptam, & conſentientem ad poſteros manaſſe, diuidi in contrarias partes, pugnantéſque ſententias amplecti, proprium hoc perpetuò fuiſſe eorum errorum, quos inter veras & nobis à Deo patefactas ſententias, tanquam lolium inter bonas fruges inimicus ille noſter diſſeminauit. Nolo quidquam addere de meo. vtar Irenæi clariſſimi ſcriptoris non quidem verbis, quæ ſunt ab interprete magna ex parte deprauata, ſed ſenſibus, qui in illa caligine corrupti ſermonis velut ſtellæ inter obſcuræ noctis tenebras elucent. Eccleſiam illo longè latéque diffuſam per omnes terrarum oras, aſſerit vnam, eandémque fidem ab Apoſtolis acceptam perinde cuſtodire, ac ſi non modò mœnibus, verùm parietibus etiam

Lib 1. ca. 2. 3. & 4.

tiam iiſdem vniuerſa contineretur: eadem omnes non ſecus credere, quàm ſi vnus animus, vna mens tam multis in corporibus eſſet diuinitùs incluſa: eadẽ prædicare omnes, proinde quaſi vno ore loquerentur: diſſimiles quidem eſſe diuerſarum gentium voces, atque linguas, verùm ſucceſſionis vim vnam, & eandẽ apud omnes eſſe. non aliter aut credere, aut tradere, neque quæ in Germania, neque quæ apud Iberos, neque quæ in Celtis, neque quæ ad Orientẽ ſolem, neq; quæ in Ægypto, neq; quæ in Africa, neque quæ in orbe medio ſint Eccleſiæ cõſtitutæ. vti ſol vnus omnes mũdi partes clariſſimâ luce colluſtret, ſic idẽ fidei diuinæ, veritatiſq; lumen omnibus, vbicunque terrarũ ſint, gentibus lucere, & cùm Eccleſiis præpoſiti partim dicendo valeant, partim eloquẽtiæ ſint expertes, neque illorũ copiâ loquendi fieri acceſſionem vllam neq; horum orationis ieiunitate diminutionem. Eorum autem, qui Simonem Magum ſecuti ducem, ab Eccleſiæ communitate receſſerant, pugnantia decreta multis verbis perſequitur, & ex eo, quod nihil inter eos conueniret, affirmat poſſe cognoſci & Eccleſiæ ſolidã firmámque veritatem, & ipſorum commẽtitiam falsámque doctrinam. Neque verò antiquiſſimas ſolùm hæreſes, quibus finem

Iren. li. 1. ἀκα. 2. maximè 33. & deinceps, & in præfat. lib. 2.

atcu

attulit imperium Conſtantini, multùm diſ- *Lib.1.c.5.* iunctas & repugnantes ſententias habue- *& ſeq.* runt. Omnes, quæ vel iam exortæ poſt Cō- *Lib.1.c.1.* ſtantinum aliquandiu viguerunt, vel Con- *extremo.* ſtantino regnāte, aut poſteà exſiſtentes, ad ingentem magnitudinem peruenerunt, in factiones aduerſas diuiſç nō minus à ſe inuicem, quàm ab Eccleſia vniuerſa diſcreparunt. Nihil dicam de aliis, ne incerto exitu infinitè feratur oratio mea. notiſſimæ illæ ſectæ Nouatianorum, Donatiſtarum, Arianorum, Macedonianorum, Eunomianorum intra paucos annos quàm diuerſa fuerūt in capita diſtractæ? nónne Sabbatius ex Iudęo factus Chriſtianus, excitatâ de tempore Paſchatis contentione partis Nouatianorum, quam à ceteris abſtraxerat, Epiſcopus fuit? nónne alia multa diſſidia eiuſdem ſectæ ab eodem certamine orta ſunt, cùm alij ab aliis non de menſe modò, verùm de diebus etiam, ac nonnullis aliis tenuibus in rebus diſſentirent? Iam Maximinianus diaconus Donatiſta dum Parmenianum Epiſcopum ſuarum partium Carthaginenſem, à quo damnatus erat, accuſaret, nónne factionē nouam conflauit Maximianiſtarum nō minùs Donatiſtis, quàm orthodoxis inimicam? Ab Arianis verò a Pſatyriani non ita Marino duce diſceſſerunt, vt ſeparatim

Socrat. hiſt. Eccl. lib. 1. cap. 21.
Idē c. 22. extrem.
Auguſ. de geſtis cum Emerito non longè ab extr.
a *Socr. ca. 23. Theo. in cōpen- ſat hære. lib. 4. Socra. ibi.*

conuentus agerent,aliaſque ſibi domos Dei comprecandi cauſſa ædificarent?hos autē ipſos non Agapius cum Marino dimicãs in duas contrarias familias diduxit? non ab iiſdem Ariani,& Cyrtiani,& Iuliani exſtiterunt? porrò Macedonianos *b* non duo presbyteri Eutropius, & Carterius diuellerunt? quid? Eunomio *c*Theophroniani,& Eunomientychiani non ſatis apertè declarant,Eunomij quondam impietatem Theophronio, Eutychióque ducibus, in ſcholas contrarias eſſe diſcerptam? Veriſſime à Socrate Scholaſtico de veteri Eccleſia ſcriptū illud eſt,diuiſam illam in multas partes aduerſas,in ea,quę ſemel facta fuiſſet,diuiſione non conſtitiſſe, verùm cuiuſque partis homines in ſe mutuò conuerſos ſeceſſiſſe, nactóſque modicam ac leuē cauſſam, alios ab aliis fuiſſe ſeiunctos: quod idem in noſtrā Eccleſiam tēpore poſteriorem, fide nō modò parem, ſed etiam eandem, mihi videtur egregiè conuenire. Quę enim tēpora maiorū eorum, qui ab Eccleſia defeciſſent, inconſtantiam viderūt? quo ſeculo tot opiniones diuinis de rebus tam diſcrepantes exſtiterunt? quando tot dimicationes, & tā ancipites orbis terrarum adſpexit, quot nunc Alpium,Pyrenæorúmque iugis,& Oceani fluctibus videmus incluſas? Primus

b *Th.ibid. Socra.li. 5.cap.24. Ibidhm.*

c *Lib. 5. cap. 20.*

ab.

ab Eccleſia ſeceſſionem Lutherus fecit, num integra diu manſit illa pars, quam à toto corpore illa furia abrupit?|mox ab eo, vt Anabaptiſtas præterea, Caroloſtadius, Zuinglius, Oecolãpadius, aliiq; multi diſſenſerunt. ſingula deinde hydiæ peſtiferæ capita cõtentione ipſa innumerabilia quædam repentè profuderũt.certiſſimũ hoc argumentum eſt, Pariſiẽſes, deliramenta iſta recentia nõ aliunde ortum habuiſſe, quàm antiqua: cùm Eccleſia, quæ vnâ ſchola eſt veræ diuinæque doctrinæ omnibus partib⁹ apta atq; connexa, mirificè habeat conuenientia vltima mediis, media primis. Verũ ſentio quid meditentur ac parẽt, qui muſto magis, quàm vino veteri delectãtur.animo cernere mihi videor tacitas eorum cogitationes. timeo ne quem ſuo more fallant. Si conceſſerint, quæ ſunt à nobis obiecta, de repugnantia diſciplinarũ, quæ ſunt ab ipſis conſtitutæ, ſe captos eſſe vident. nuſquam intelligunt elabi poſſe.Quid igitur cogitãt? quid moliuntur?diſſenſionem vllã,inquiũt, inter nos eſſe inficiemur. omnes idem exiſtimare, idem loqui prædicemus. O magnam peccandi illecebram audaciam, corroboratam impunitate diuturnâ! Non defuerunt, & quidem ex illis magiſtris, qui Gebennæ,ſicut in monte Parnaſſo ſomnia-

runt, & lacus vicini, quaſi Hippocrenes aquam obbiberunt ex illis inquam, è cœlo inter Alpium anguſtias deuolutis doctoribus non defuerunt Lugduni qui vacillanti adoleſcenti, quo faciliùs eũ ſuis verbis impellerent, hoc affirmare nõ vererẽtur. mihi ipſi eorũ vnus idem aliquando reſpondit qui tamen ſtatim vt ei cõtrouerſias de Euchariſtia oppoſui, de hoc tãtùm capite nõnihil eſſe contentionis faſſus eſt, neque illud tantùm voluit omittere, quamuis aliis de rebus, non paucis modò eas indicare libuiſſet, cogi potuiſſet eâdem ratione conteri. Sed quid miramur, ore duriſſimo eſſe diſcipulos, quorum doctorem nõ puduerit, edito libro teſtificari falſò, inter Auguſtanę confeſſionis homines, & Tigurinos nullum eſſe diſcrimen? quæ ſi vera ſunt, abundabat otio Lutherus, qui contra Caroloſtadium toties incredibili acerbitate declamarit tot ſcriptis libris cũ Zuinglio. Sacramẽtariisq; omnib⁹ decertarit, furebat planè, qui tã frequenter principes, & magiſtratus inflãmare niteretur ad eos, qui cũ ipſo facerẽt, pro imperio ac poteſtate coercendos. inſaniebat Ioachimus VVeſtphalus, bacchabatur Tymanus paſtor Bremenſis, qui tam multa ſcripſerint, cur Sacramentarios, & Anabaptiſtas hęreticorũ in loco haberi, ne-
que

quę tam ſtylo, quàm ſecuri refutari oporteret. præcipites amentiâ feruntur omnes Lutherani, qui à ſuis eos cœtibus excludunt, odiiſque maioribus perſequuntur quàm ſtudioſos Pont. Maximi defenſores. Caluinus ipſe, ſi quidem omnibus ſenſibus congruebat, operam & oleum perdidit, qui libellum compoſuerit, quo nihil intereſſe perſuaderet, an hoc ſatis argumenti nō eſt, magnam opinionē fuiſſe, plurimum intereſſe? quæ vera ne ſit an falſa, illi viderint, qui eam inſeruerunt, certè ſic in animis hominum inſedit, nullis vt Caluini machinis ac viribus potuerit conuelli. Beza verò poſtquam ad Othonem Henricū comitem Palatinum Lutheranum in Germaniam acceſſit, quòd ſuam confeſſionem ad Lutheranorum de myſterio mentem conformaſſet, eandemque Tigurinorum eſſe dixiſſet, emeritæ fidei reus, cur illâ defenſione vſus non eſt, quæ & grauiſſima, & facillima videtur, eandem eſſe prorſus omnium fidem? cur lubricam aliam & periculoſam ſui defendendi rationem induxit probabilem interdum eſſe dolū atq; laudabilem, & pulchrum in primis honeſtumque cenſendum aliud ſimulare, cùm aliud agas? quare veniā eius delicti non priùs impetrauit, quàm ſe peccaſſe confiteretur? Nunc à Belgis, vbi

nuper erupit hoc malum, qui nuntij quotidie ad nos afferuntur? tanta inter Euangelicos dicitur eſſe cōcordia, priùs vt eorū ſanguine patria redūdatura videatur, quàm arma ipſis à communibus aduerſariis inferantur. Retineant iſti ſanè mores, & ingenium ſuum: loquantur ſuo illo veteri inſtituto, non quod verum eſt, ſed quod libet res ipſa clamat, longiùs alios ab aliis diſtare, quàm à terra cœlum. At vt diſciplinarū inter ipſas varietas negari non poteſt, ita omniū, qui in eadē ſunt hæreſi, permagna ſimilitudo eſt. O ſimilitudinē incredibilē, Pariſienſes! neminē vnum ab aliis generis eiuſdē facilè ſecernas, niſi quòd Sacramentariorū modò ſeptē, modò octo, modò decē factiones enumerat Lutherus: niſi quòd Petrum Martyrem, & Bezam in conuentu Poſiaco, vniuerſa Gallia paucos abhinc annos ita diſcrepātes vidit, vt cū ad Lutheranos Beza propiùs accederet, Tigurinos aliter pertinaciter defenderet, duas contrarias fidei cōfeſſiones ederent de Domini cœna: niſi quòd è Gebennēſi ludo ſcimus exiiſſe laniſtas, qui cōtra ſanctiſſimę Trinitatis fidem in Polonia dæpugnarent, proximóque vere Lugdunēſes miniſtros velut fœtas gallinas tumultuari conſpeximus; ne ſibi duo milui ab eodē orti nido pullos auferrēt: niſi quòd

In li. quòd iſta verba Christi adhuc ſtāt Hoc eſt corpus meum.

In breui confeſſ. de Euch. Sacramen.

In li. cont. Zuing. & alios.

quòd Oſiāder Lutheranorū ſententias valde diſſimiles ad viginti numerat, quibus ipſe vigeſimam primā adiungit, videlicet ſuā ab omnibus aliis longè diuerſam: niſi quòd Oſiādri diſciplinam Pomeranus, Forſterus, & alij falſam iudicarunt, quā Brentius cum ſuis diſcipulis comprobauit: niſi quòd non genera modò generibus aduerſantur, non ſinguli ſolùm aliis eiuſdem generis litem intendunt (ſi tamen eiuſdem generis putandi ſunt, qui non ſentiunt idem) verùm etiā à ſe quiſque diſcrepat, & ſecū ipſe bellum gerit. An verò Pariſienſes, vos ſoli nihil his de rebus audiſti? vos nunquam eorum libros attigiſtis, aut qui nouas fabellas literis mandarunt, aut qui ſtudio publicæ ſalutis eas contrariis ſcriptis confutarunt? veſtri perigrinantur animi, neque didiciſtis quæ non in legitimis tantùm cœtibus, verū in omnibus etiam angulis hominū ſermone celebrantur, quāta ſit cuiuſq; ex iſto numero varietas, inconſtantia, leuitas, quàm crebræ ac repentinæ ſententiarum commutationes; Exhibe, quæſo, Martine, exhibe volumē operū tuorum, quibus Euangelium iam diu ſepultum, excitatum à te & reſtitutum eſſe gloriaris de communione duntaxat ſub vtraque ſpecie locos XXXVI. repugnantes indicabo, quos Gaſpar Quer-

hamerus à ſe notatos collegit. exhibe Philippe hypotypoſeis illas tuas, à te non ſemel editas, & emendatas exhibe confeſſionem à te compoſitam, & ſæpius interpolatam. exhibe communes locos, & cõmentarios in epiſtolã Pauli ad Romanos, non vno à te modo diuerſis temporibus correctos, & immutatos in prioribus hypotypoſeõ libris teſtatum inueniemus, nihil referre, vtrum ſub vtraque, an ſub altera tantùm ſymboli parte diuina myſteria percipiantur, ex poſterioribus hanc ſententiam reperiemus à te fuiſſe ſublatam in confeſſione, quam anno XXX. emiſiſti, panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti mutationem apertè poſuiſti, proximis annis eam ſuſtuliſti. tandem anno X L. diſſertiſſimis verbis oppugnaſti, panem & vinum, vnà cum corpore & ſanguine remanere confirmans. *In* eadem confeſſione, in locis communibus, in commentariis ab anno X X X V I. voluntatem noſtram, in cauſſa liberali copioſiſſimè defendiſti, quam anteà iuuenili temeritate & arrogantiâ, conatus eras aſſerere in ſeruitútẽ. Exhibe, Caluine, exhibe, Theodore, quæ contra nos, quæ contra Lutheranos, quæ ad ſacros libros explanandos conſcripſiſti: multa de cœna myſtica inter ſe contraria vobis oſtendam, quæ vir ingenio doctri

doctrinâque præſtanti Claudius Sanctius 4.*Inſt.*17
collata in vnum aptè digeſſit, vt vno quaſi *ſect.* 47.
adſpectu, vniuerſa liceat intueri. Tu Calui- 48. 49.
ne omnibus non Apoſtolis modò, verùm *&* 50. 4.
etiam poſteris à Chriſto præceptum eſſe *Inſti.* 3.
tradis, vt ex calice bibant: idem myſterio- *ſect.* 6.10.
rum adminiſtrationem aliis, quã Apoſtolis
& eorum ſucceſſoribus negas eſſe permiſ-
ſam, eundémque diuini magiſtri ſermonẽ
modò dilatas, vt comprehendat multitudi-
nem infinitam, modò contrahis, ac perexi-
guo duodecim hominũ & ſucceſſorum nu-
mero concludis. tu certò quemq; ſtatuere
non ſolùm poſſe ais, ſed etiam iubes, Deum 3.*Inſtit.*
ſibi eſſe propitiũ, & placatũ per fidẽ: idem *ſect.* 7.10.
falli ſæpe homines affirmat; vt verã fidem,
quâ careant, habere ſe credant. tu hos la-
queos dum effugere vis, incidis in illas ma 3.*Inſtit.* 1
iores plagas vt fiduciam illam tuam, quam *ſect.* 7. *&*
certam cognitionem eſſe vis, in ſolis ele- 4.*Inſtitu.*
ctis vigere dicas, electos autem à reproba- *ſect.* 3.
tis diſcernere vnius Dei munus eſſe fatea-
ris. tu fidem ad verba Dei quodam modo
affectam eſſe contendis, & hęc inter ſe duo
conferri, idem in miſericordiam tãtùm di-
cis intueri fidem noſtram, atque in promiſ-
ſiones Dei, non in minas & terrores, quæ
ni hilo certè minùs, quàm illa, ſunt verbi
diuini partes. tu inficiaris opus eſſe ipſam

In præfat. Inſtit. ad regẽ Gal. & 4. lib. ſect. 3. Eccleſiam, oculis cerni, manibûſve tractari eò quòd in fide ſita ſit, clamas nihilominus eſſe cogitandum, dum intelligentiam noſtram fugit, quàm ſi palàm appareret, neq; deteriorem eſſe fidem, quod incognitam apprehendat idem paucis verſibus interpoſitis, Eccleſiæ adſpectabilis & manifeſtæ cognitionẽ omninò neceſſariam eſſe, multis oſtendis, alium vt ad vitam introitum nullum eſſe aſſeras, & extra gremium eius vllam ſalutem ſperandam neges. alia tua decreta præter eo. hæc ſola ſunt ſatis: quæ *4. Inſti. 1 ſect. 4.* quantò ſunt accuratiùs à te ſcripta, tantò nobis apertiùs declarant, quantus mentem tuam ſtupor oppreſſiſſet, cùm ſtudio tanto, & induſtriâ pugnantia planè loquerere. De te verò, Theodore hoc vnum dicam, quod ex ore Chriſti exiſſe negari nõ poteſt, non eſſe diſcipulum ſuo magiſtro ſuperiorem: ſi ſuum quiſque doctorem adæquet, eo debere eſſe contentum. *Matth. 10* ex quo perſpicuum eſt, quanta ſit cõuenientia, & cõſenſio doctrinæ tuæ, cùm decreta magiſtri, ſint inter ſe tam aduerſa atque contraria. Eant iſti nũc, & mirificam omnium conſpirationem atq; concentum, ſpecioſis verbis imperitis oſtẽtent; cùm ſinguli turpiſſimè à ſe ipſi diſſideant, & quòd probauerant, quod decreuerant, quod tanquam arbitri diuinitùs dati

iud

iudicarant poſteà reſcindant?niſi eum fortè conſenſum doctrinarum ſuarum,quem mũdi partium eſſe dicunt,vt etiam ſi contraria ſentiant:loquantur,ſcribant, vno tamen omnes Eccleſiæ Romanæ nocendi ſtudio inter ſe conſtricti teneantur: item vt in hoc rerum ornatu quatuor naturæ inter ſe aduerſæ,communi quodam velut occulti fœderis;& ſocietatis vinculo continentur,nam ego neque cœlum vnquã magis varium,neque fretum,vel Euripum magis incertum, neque ventum iſtorum animis mutabiliorem aliquando cognoui. Quoties id,quod ab Hilario ſcriptum eſt de Arianis, aut lego, aut cogito, noſtrorum templorum repentinas commutationes,& Euangelij; nũc demum inuenti varias quaſi fluctuum agitationes,& recentium diſciplinarum perturbationes atque æſtus,toties mihi videor videre. (*Scribenda*, inquit,*atque innouanda fidei exinde vſus inoleuit.*)Quid aliud ſcripſiſſet, ſi tot partim à diuerſis hominibus,partim ab iiſdem, diuerſis temporibus editas fidei confeſſiones vidiſſet? Pergit ætatis ſuæ conqueri, ac deplorare calamitatem. (*Qui poſtquàm*, inquit,*non potius cœpit condere,quàm accepta retinere,nec vetera defendit,nec innouata firmauit*)O diuinam excellentis viri ſententiam

Lib. 2. ad Conſtantium Aug.

tiam

tiam, præſentia cernentis, futura præſentientis mala! quàm enim ſuperbè, quę à maioribus acceperant, iſti reiecerunt, quàm multa condiderunt noua? quàm frequenter veteribus derelictis, quæ excogitáuerant, ipſi commutarunt? Vnde illud etiam euenit, quod idem ſubiunxit: (*Et facta eſt fides temporum potius, quàm Euangeliorum, dum & ſecundum annos ſcribitur, & ſecundum confeſſionem baptiſmi non tenetur.*) Confeſſionem Auguſtanam non aliàs aliter ſcriptam legimus? non ceteri quoque ſuas confeſſiones mutatis temporibus immutarunt? Quod autem de baptiſmi confeſſione ſpreta queritur, id etiam ſi proprium Arianorum videatur eſſe, qui de Trinitate, cuius nomine abluimur, ab Eccleſia diſſidebant, non eſt tamen à veteratoribus iſtis alienum qui maiorum fidem, in quam dum ablueerentur, per ſponſores ſuos iurauerant, neglexerunt. Ac ne quis leue hoc malum exiſtimet, accipite quid apud eundem ſcriptorem conſequatur. *Periculoſum*, inquit, *nobis admodùm atque etiam miſerabile eſt, tot nunc fides exſiſtere, quot voluntates, & tot nobis doctrinas eſſe, quot mores, & tot cauſſas blaſphemiarum pullulare, quot vitia ſunt. dum aut ita fides ſcribuntur, vt volumus, aut ita vt volumus, intelliguntur.* (O grauē populi Chriſtiani

nĩ calamitatem! ô labem & perniciẽ Eccleſiæ ſine intermiſſione deplorandam! Placuit aliud Martino. arriſit aliud Philippo. voluit aliud Brentius. aliud ſéſit Suenckfeldius. probauit aliud Bucerus. aliud Zuinglio venit in mentem, maluit aliud Caluinus. aliud alius quodam mentis errore letargico ſomniauit. ergo quot hominum ſententiæ, quot voluntates, quot errores, tot fidei confeſſiones diſſimiles habemus, cùm ſuam quiſque proclamet integram & ſinceram Chriſti eſſe doctrinam. Quid iam reſtat? quid? niſi vt ad extremum illud malum deueniamus, quod idem ſcriptor adiũxit? (*Et cùm ſecundum vnum Deum*, inquit, *& vnum Dominum, & vnum baptiſma, etiam fides vna ſit, excedimus ab ea fide, quæ ſola eſt, & dum plures, fiunt, ad id cœperunt eſſe, ne vlla ſit.* (Vtinam feciſſet Deus Opt. Max. ne magna ex parte fide vacuos illos videremus, qui ſibi fideliũ nomen arrogarunt! Sed vt idem ille ſubiecit (*Conſcij nobis inuicem ſumus.*] non iam, *poſt Nicæni conuentus Synodum.*) vt apud ipſum eſt, ſed poſt Martini Lutheri ab Eccleſia defectionem. (*nihil aliud, quàm fidem ſcribit.* (Et quænam eſt vtilitas conſecuta? non auderẽ ipſe dicere, niſi prior ille dixiſſet. *Dum de verbis*, inquit, *pugna eſt? dum de nouitatibus quæſtio eſt; dum de*

de ambiguis occaſio eſt,dum de auctoribus querela eſt,dum de ſtudiis certamen eſt,dum in conſenſu difficultas eſt,dū alter alteri anathema cœpit eſſe, propè iam nemo Chriſti eſt.) Quid ita?nō omnes à Chriſto duce & magiſtro Chriſtiani nominantur?nō omnes eius milites, & diſcipulos nos eſſe profitemur?nō omnes eius amplectimur inſtituta?Reſpondeat ille qui cœpit.(*In certo* inquit,*doctrinarum vēto vagamur,& aut dum docemus, perturbamus,aut dum docemus.erramus.*)hāc ego perturbationē fidei Chriſtianæ,hanc inter ſe Pugnantium religionum confuſionem tātam,quanta haud ſcio, an ſuperioribus ſeculis aliquando fuerit, adſcribam Deo? quæſo, tribuatis iuſto dolori veniam, Pariſienſes,ſi liberiùs vobis, quam religioni meæ conſentaneum eſt, hoc vociferari & conqueri videbor. Deum illum, cui rerum omnium tribuo principatum, quem animo ſupplici veneror & colo, Deum eſſe inficiarer, ſi hanc tam effrenatam libidinem contradicendi, ab eo immiſſam eſſe arbitrarer; & qui tantis tenebris hominum vitam inuoluiſſet,ei nullum à nobis officium,nullum cultum exiſtimarē eſſe tribuendum.Fingite enim animis,cœpiſſe me vt iſtorum more loquar, Papatus pudere ac tædere:tametſi libenter equidem

agnoſce

agnoſco pontificiam dignitatem: Eccleſiæ Romanæ fidem totâ voluntate cõplector: corruptos tantùm nonnullorum hominum deteſtor mores. ſed vt dixi, fingite cogitatione, quam Plato ſcripſit, veluti molliſſimã cerã ad arbitrium noſtrum formari ac fingi; me noſtræ diſciplinæ vehemẽter pœnitere: nihil in ea putare eſſe integrum, Euangeliũ quærere purum & incorruptum. te in tantâ multitudine opinionũ & varietate, in tanta partium diſcrepantia, quid me potiſſimùm ſequi oportebit? apud ſe quiſq; ſincerum Euangelium eſſe profitetur, apud alios negat. ſuam quiſque doctrinam verbum Dei affirmat eſſe, aliorum quoddam tantùm ſimulacrum verbi Dei ſcripta diuina ad ſe quiſque trahit. Caluinianus pro certo habet, eſſe ſibi Deum Chriſti ſanguine placatum: idẽ cæteri ſibi quique exploratum eſſe dictitant, cùm alii alios condemnent falcitatis. Ego verò tam ancipitem deliberationem Herculeâ illâ multis partibus eſſe difficiliorem puto: ſiquidem Herculi, vt apud Xenophontem eſt duæ res tantùm proponebantur, vitiumne mallet, an virtutem ſequi ducẽ, mihi ampliùs X XC. ſectæ proponuntur, quas vel memoriâ ſepire laborioſiſſimum eſt, ne dum quæ veriſſima ſit atque optima diſceptare. de-

πολιτ. θ.

ὑπομνημα. δ. 6.

cernant ipſi primùm, quæ ſit Euãgelio maximè conſentanea ratio & via. conſtituant vnam aliquam ſimplicem, ac ſimilem ſui diſciplinam, vbi diſcordiâ ſublatâ, eadem erit omnium & mens, & oratio, tum demũ aliquis erit fortaſſe deliberandi locus. nunc dum ſecum acriùs ipſi dimicant, quàm nobiſcum; dum omnia miſcent clamoribus; dum ſcriptis contrariis complent librarias tabernas, admirabilem nos veritatis cõcentum diſcrepantibus mendaciis præferre patiantur. Atque hæc dicta ſint de concordia prædicata vulgò circulatorum. nam vereor, ne ſim longior, quàm æquum eſt. Pauca quędam de bellis adiungam, quibus confectis, breui perorabo. Reficite, obſecro, veſtros animos, Pariſienſes, & humanitatem illam veterem ad ea cognoſcenda, quę reſtant, eò ſtudioſiùs renouate, quo magis iſti putant, hoc loco ſe de nobis omnibus triũphare. Motum enim vllum à ſe ortum eſſe, conſilia ſua ſpectare ad reſpub. perturbãdas inficiantur, quod nos in grauiſſimis argumentis ponebamus, cùm iſtarum præſtigiarum inuentorem, principem tenebrarũ eſſe probaremus. rectam ſe viam in cœlum hominibus indicare dicunt, Euangeliũ è tenebris ad lucẽ reuocare: collapſam Eccleſiã reſtituere in antiquũ dignitatis gradũ: nemini-

vim

vim aferre. verùm Satanã Euangelio è tam diuturnis tenebris emergente quieſcere nõ poſſe. quo maior conflétur inuidia naſcenti veritati, non abſurdas eũ opiniones modò per adminiſtros ſuos in mentibus multorũ inſerere, ſed frequentes etiam concitare armorum motus. intereà ſe vndique telis petiones eſſe neci deſtinatas. inexplebilem multorum crudelitatem corporibus animiſq; perferre. quaſi verò nos Deũ tãtorũ malorum machinatorem eſſe prædicemus. improbũ dæmonem non ſine diuino permiſſu omniũ ſeditionum architectum eſſe non negamus, verùm cùm nõ ille ipſe per ſe bellum geſſerit, ſed per ſatellites ſuos dimicarit; nũquã in acie viſus ipſe fuerit armat⁹, ſed homines ad arma capienda cõcitarit; nõ quærimus cuius inſtinctu & impulſu, ſed quorum audaciâ & ſcelere fuerint vbicumque gentium editæ tantæ ſtrages. Multa ſuperiore oratione bella religionis cauſſa geſtà memoraui: multa ſilentio præterii. Quærite vnde nata ſint omnia, ab aduerſariis an à noſtris? illos prouocaſſe noſtros nõ niſi defendendi ſui cauſſâ arma cepiſſe, intelligetis. Quis non audiit, quæ coitio facta ſit in Belgis? quis nõ expectat animo ſuſpenſo, quò illa cõiuratio erũpat? quis nõ exiſtimat idem illi prouinciæ, quo ceteræ iã defunctę:

dis,ſed eorum temeritatem & audaciam, qui ſua cōmenta,vt boni poëtę verbis vtar (*velut ægri ſōmnia*)pro cœleſti doctrina vēditāt imperitis rerū. nā etſi multas quódā turbas infeſtiſſimus hoſtis excitauit,nec earū tamē principiū à bonis vnquā natū eſt, nec Apoſtoli,aut eorū ſucceſſores,quāuis eſſent vel ab idololatris , vel ab hæreticis multa dictu grauia perpeſſi,quidquam aliquando ſimile fecerunt.at hominum hoc vitium,nō diſciplinæ fuit.Audiui equidem ex homine iſtâ imbuto prauitate,cùm diceret,illa non rectè,neque ordine fuiſſe facta, neque minùs Caluino diſplicuiſſe quàm nobis.Verùm quid ſi alii ,neſcio an doctrina militari quidem certè diſciplina nō inferiores Caluino,vel approbarunt,vel etiā iuſſerunt non omnia enuntianda,multa diſſimulanda ſunt. hominum peccata prætermittamus,quæ nihil officere doctrinæ debent apud ſapientes viros quid. Caluinus ipſe ſcriptum reliquerit attēdamus.& quidem in eo opere,quo ſummam religionis Chriſtianæ diuinitùs a ſe parauit eſſe comprehenſam multa ille verba facit , quanta obſeruantia & obedientia regibus , principibus magiſtratibuſque debeatur Verùm ſuſpecta mihi eſt extrema hominis oratio. foramen illud,quod Lutherus per icono-

Horat.de arte poet.

4.Inſtit. ſect.1.2 &deinc.

Sect.31.

machos aperire ſibi diabolũ velle dixit, ad ſanguinem fundendum, tantò mihi periculoſius, quantò tectiùs patefacere videtur. nam poſt illa præclara atque diuina quibus magnã ſperabat orationi ſuæ cõciliari poſſe auctoritatem, nullũ nobis aliud, quàm parẽdi, & patiendi datum eſſe mandatum, addit ea, quibus, quæ fuerãt exorſa, ac propè detexta retexãtur, ſe de priuatis tantùm hominibus loqui quoſdã eſſe populares magiſtratus oppoſitos aduerſus libidinẽ regum, in conuitiis magnam eſſe triũ ordinem auctoritatem, ſcilicet, vt per hos in ordinem redigi poſſe principes ac reges, opinemur, ſi qui Caluinianis quiſquiliis vehementiùs aduerſentur. exaggerat ad extremum, quantoperè fugiendum ſit, ne hominum imperia diuinis præponamus; quæ etſi genere ipſo falſa non ſũt exempla, tamen atque verba mihi magnam ſuſpicionem mouent, eò longam illam diſputationem pertinere, ne ſibi quis contra Lutheri, vel Caluini decreta regibus obtẽperandũ arbitretur. quid enim attinebat, ex tãta copia illa potiſſimùm exempla deligere? Danielem regi vt ſtatuam auream coleret imperanti magna cum laude reſtitiſſe? cõtra decem Iudæorũ tribus Ieroboamo, vitulos aureos à ſe conflatos in Dei locum ſuppo-

Dan.4.

nen

ſtenti cum æterna ignominiæ nota paruiſſe? obſcurúmne eſt, Dathanem iſtum, & Abironem id agere; vt reges noſtros, ac principes Nabuchodonoſoris, & Ieroboami ſimiliores putemus, quàm Moſis, & Dauidis? Non liquet confirmari ab eo ſuorum audaciam aduerſus eorũ religioſiſſimæ & neceſſaria edicta? quò ſpectat aulicorum, vt vir ſcilicet modeſtiſſimus appellat, adulatorum acerba reprehenſio, quòd negent ſeſe regũ imperia recuſaturos? non apparet adulatores ab eo dici, qui contra voluntatem ipſius religionem principum noſtrorum amplectuntur? quid neceſſe erat, illam conſolationem adhibere: *Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.* perinde quaſi regum optimorum iuſſa ſint contraria diuinis. non luce clarius eſt, ſua illum commenta diuina imperia velle videri, quibus qui repugnet, continuò repugnet Deo? denique illa vox, tum iis, qui præſunt, debitam obedientiam præſtari, dum quiduis perpeti quiſque mauult, quàm à vera pietate deflectere, quid aliud ſignificat, niſi hoc? impios eſſe omnes reges: ſolas Caluini fabellas veram eſſe pietatem: ab iis ne diſcedatur, quiduis eſſe ſuſtinendum mali? boni verò diſcipuli, vt illud Chriſti dictum: *Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum*, oſtẽderẽt eſſe falſum, plus etiam

Actor. 5.

Matt. 10.

aliquantò, quàm ille ſuſcipiendum opinabatur, ſuſceperunt; & quiduis non perpetiendum modò, verùm faciendum etiam ſibi eſſe putant, ne ab illa ſententiæ obſtinatione deducantur. Deſinant igitur accuſare Satanam, qui ei ſe ſatellites atque adminiſtros ad perturbandum orbem terræ præbuerunt. doceant, ſi poſſunt, à noſtris omnes tumultus ortos eſſe, non à ſuis? aut ſi à ſuis natos eſſe negare nō queunt, etiāſi velint vnum proferant exemplum, quando Apoſtoli vel eorum ſucceſſores ad obtinendam, aut tuendam libertatem religionis regum, & magiſtratuum imperia, quamuis iniqua, contempſerint; contra vim eorum arma ceperint: cædes paſſim fecerint, omnia ferro flammâque vaſtarint; me victum eſſe confitebor: ſin eiuſmodi nihil inuenire poſſunt; ſi Caluinus ipſe veritatis vi coactus dixit, nullum nobis aliud, quàm parendi, & patiendi datum eſſe mandatum, agnoſcant ipſi tandem aliquando errorem ſuum, & tam turbulentam ſeditioſámque doctrinam à Deo profectam non eſſe fateantur. Habetis ad id, quod de ſeditionibus aduerſarij reſpondere ſolent, adderem etiam ad alia, ſi tempus pateretur: quæ ne ſim nimius, ad alias orationes reſeruabo. quanquam eas ante Kal. Octob. habere non

po

potero. nam & ſcholis noſtris conſtituendis non parum temporis tribuendum eſt; & diuinorum librorum aliquis, quem audire volentibus explanem, locis omnibus & ſententiis inſtruendus. Sed ſpero tamen aliquando me, licèt longioribus interuallis, quæ reliqua ſunt explicaturum. Vos intereà, Pariſienſes, quidquid iſti dicant, quantumuis obſtrepant & exclament, eorum diſſidia doctrinarumque diuortia, & quæ vidiſtis, quæque audiſtis bella recordantes, illis quidem, qui errorem ſuum amant, tantò maiorem tribuite miſericordiam, quantò minùs eam ipſi expoſcunt & efflagitant; neque ceſſetis vnquam Deum clementiſſimum Patrem, pro eorum ſalute deprecari: peſtem autem iſtam fugite, quæſo, diligenter, ac deteſtamini, quæ & diuinam Eccleſiæ coniunctionem, omniúmque rerum admirabilem ſocietatem miſerabiliter dilacerarit, & cæde atque incendio funeſtarit orbem terræ. quem enim malorum finem putatis fore, niſi caueamus? quem exſpectandum cenſetis exitum tragœdiæ tam luctuoſæ, niſi repentè Deus, tanquam ex machina vim ſuam diuinúmque nobis numen oſtendat? Graues ille quidem, & acerbas à populo Chriſtiano pœnas ex-

aliquantò, quàm ille ſuſcipiendum opinabatur, ſuſceperunt; & quiduis non perpetiendum modò, verùm faciendum etiam ſibi eſſe putant, ne ab illa ſententiæ obſtinatione deducantur. Deſinant igitur accuſare Satanam, qui ei ſe ſatellites atque administros ad perturbandum orbem terræ præbuerunt. doceant, ſi poſſunt, à noſtris omnes tumultus ortos eſſe, non à ſuis? aut ſi à ſuis natos eſſe negare nō queunt, etiāſi velint vnum proferant exemplum, quando Apoſtoli vel eorum ſucceſſores ad obtinendam, aut tuendam libertatem religionis regum, & magiſtratuum imperia, quamuis iniqua, contempſerint; contra vim eorum arma ceperint: cædes paſſim fecerint, omnia ferro flammâque vaſtarint; me victum eſſe confitebor: ſin eiuſmodi nihil inuenire poſſunt; ſi Caluinus ipſe veritatis vi coactus dixit, nullum nobis aliud, quàm parendi, & patiendi datum eſſe mandatum, agnoſcant ipſi tandem aliquando errorem ſuum, & tam turbulentam ſeditioſámque doctrinam à Deo profectam non eſſe fateantur. Habetis ad id, quod de ſeditionibus aduerſarij reſpondere ſolent, adderem etiam ad alia, ſi tempus pateretur: quæ ne ſim nimius, ad alias orationes reſeruabo. quanquam eas ante Kal. Octob. habere non

potero. nam & ſcholis noſtris conſtituendis non parum temporis tribuendum eſt; & diuinorum librorum aliquis, quem audire volentibus explanem, locis omnibus & ſententiis inſtruendus. Sed ſpero tamen aliquando me, licèt longioribus interuallis, quæ reliqua ſunt explicaturum. Vos intereà, Pariſienſes, quidquid iſti dicant, quantumuis obſtrepant & exclament, eorum diſſidia doctrinarumque diuortia, & quæ vidiſtis, quæque audiſtis bella recordantes, illis quidem, qui errorem ſuum amant, tantò maiorem tribuite miſericordiam, quantò minùs eam ipſi expoſcunt & efflagitant; neque ceſſetis vnquam Deum clementiſſimum Patrem, pro eorum ſalute deprecari: peſtem autem iſtam fugite, quæſo, diligenter, ac deteſtamini, quæ & diuinam Eccleſiæ coniunctionem, omniúmque rerum admirabilem ſocietatem miſerabiliter dilacerarit, & cæde atque incendio funeſtarit orbem terræ. quem enim malorum finem putatis fore, niſi caueamus? quem exſpectandum cenſetis exitum tragœdiæ tam luctuoſæ, niſi repentè Deus, tanquam ex machina vim ſuam diuinúmque nobis numen oſtendat? Graues ille quidem, & acerbas à populo Chriſtiano pœnas ex-

petiuit, qui tot ſectas contrarias vigere, tot hominum millia cædi paſſus eſt, ſed vitæ noſtræ turpitudo & infamia, grauiores in dies poſtulat & acerbiores. vix iam vlla diſſenſio maior, quàm exorta eſt, videtur poſſe cogitari, non hîc tamē cõſiſtet immodica repugnandi, & contradicendi libido, nõ hîc conſiſtet. aliæ totidem, aut etiam innumerabiles excogitabuntur diſciplinæ, niſi quis effrenatæ licentiæ imponatur modus. omnes enim, qui ab Eccleſia deſciuerunt, ſicut ab Irenæo ſapientiſſimè dictum eſt, volunt eſſe doctores: quod cùm in ſocietate aſſequi ſe non poſſe intelligant, in qua priorum diſcipulos eos videri neceſſe ſit, ab ea quidem, quam anteà ſecuti ſunt, ſecta diſcedunt. aliam autem ex alia ſerentes diſciplinam, nouã docere inſiſtũt. ſéque principes, & inuentores eius, quam ſibi ipſi adornarũt, & inſtruxerunt, doctrinæ eſſe profitentur. nihil eſt diſcordiâ fæcundius. aut opprimatur neceſſe eſt, aut vt Africa, ſic illa quotidie pariet aliquid noui. quò progreſſus fuerat annis ſuperioribus Michaël Seruetus ab hoc ſtudio immoderato reſiſtendi? quò nũc partim in Gallia, partim in Polonia proceſſerunt ij, quos alij Trinitarios, alij Deiſtas vocant? legi ipſe Lugduni Gentilis medici libellum manuſcriptum, qui cùm Symbolũ

Lib. 1. cap. 36.

Atha

Athanaſij refelleret, nos autem irridens Athanaſianos nuncuparet, omnem Trinitatis fidem, quam ne Sacramentarij quidem attigerunt, incredibili arrogantiâ, philoſophicis argumētatiunculis cōuellebat. Quid reliquum eſt, niſi vt aliquis Diagoras, aut Theodorus exſiſtat, qui vim diuinam penitus tollat? Vtinam pauciores huius ſententiæ amatores haberemus. multò ſanè meliùs nobiſcum ageretur. nunc metuo, Pariſiēſes, nō quidem ne Eccleſia deficiat, quod fieri nullo modo poſſe certò ſcio, ſed ne à nobis repellentibus eius preces ad gentes anteà ignotas, quæ proximis annis eam cupidè amplecti cœperunt, intra exiguū ſpatium temporis trāsferatur, ac nobis qui iam errorum nocte delectamur, auferatur Euangelij cœleſte lumen; illis incipiat lucere, qui tot ſecula in denſiſſimis ignorantiæ tenebris cęci iacuerunt. Atrociores calamitates, quàm acceptæ ſunt per hoſce annos, ne fingi quidem iam poſſe videntur. ſed non hæc erunt extrema, non erunt. moneo, prædico, antè denuntio, niſi conſtantiſſimis animis in fide maiorum perſiſtētes, longè aliam inſtituerimus vitæ rationem, ea mala conſequentur breui, vt omnia illa ſuperiora tam horribilia, tam formidoloſa optabilia putemus. Auertat à nobis Deus Opt. Max. hanc *Cicer. 1. de Nat. deor.*

peſtem, & cuius beneficio ſinguiari etiam nunc in vera fide, & Eccleſiæ communitate ſtamus, idem illam nobis det mentem, vt neque ab ea diſcedere, nouáſque ſuperſtitiones vnquã colere velimus neque retentam & conſeruatam flagitioſæ vitæ ſordibus inquinemus: quos autem error à veritate ſemitis diuerſis abduxit, eos bonus ille paſtor, qui oues perditas inueſtigatum venit, rurſus collectos aggreget, & in vnum cogat, vt vno omnes ore, vno animo, vnâ ſentẽtiâ, beneficentiam ipſius erga nos dies, noctéſque prædicemus, paritérque poſt mortem in cœlum euocati perfruamur vitâ beatâ & æternâ.

PETRI IOANNIS PERPINIANI

De diuina & humana philoſophia diſcenda, ad Pariſienſes.

ORATIO XVIII.

QVOD Athenienſiũ inſtituto, quondã in Areopago voce præconis denũtiabatur oratorib', vt ſine procemiis, & epilogis cauſã perorarẽt, idem mihi nunc tacito quodã præconio res ipſa videtur propemodũ imperare, Pariſienſes. Nam ſiue naturam

cauſſæ propoſitę ſpectemus,ſiue intueamur hodierni diei celebritatē,ſiue oculos in hāc vrbem clariſſimam conuertamus, ſiue quæ veſtra ſint ſtudia,quęramus,omnia eiuſmodi reperiemus,vt ſola per ſe,ſine cuiuſquam commēdatione vos ad ea,quæ dicā, audiēda ſatis accendant. Dicendum enim eſt de laudibus humanæ diuinæque philoſophiæ, cuius eximia ſpecies mirificum quendā in omnium cernentiū animis excitat amorem ſui:& eo tempore dicendum,quo vtriuſque ſtudia,perpetuo totius anni curſu lāguentia interpoſitâ modicâ quiete renouantur:& in ea vrbe dicendum,quæ cum aliis magnitudine,imperio,nobilitate, copiis, religione certat,hac verò laude vincit omnes, quòd in his antiquiſſimis auguſtiſſimiſque ſedibus, iam olim domiciliū & humana & cœleſtis philoſophia collocauit:& , quod ego maximū duco,dicēdum apud vos, qui pulchritudinē eius adamaſtis ab ineunte ætate ſic,vt ne hanc quidem huius vitæ lucem,atque hunc cœli ſpiritum exiſtimaueritis vobis iucūdum eſſe poſſe, ſi mens vtriuſq; ſapientiæ luce,& quaſi ſpiritu careret. Quare vos tantùm breuiter oro & obteſtor, vt mihi de pulcherrimoDei munere ac dono,cuius potiundi non tam reſtinctus, quā ſopitus ardor,hodierno die rurſus excitatur: de

maximo huius vrbis ornamento, in quo excolendo tantum operæ temporiſque conſumendum eſſe iudicaſtis, verba facienti, beneuolẽtiam humanitate veſtrâ dignam tribuatis, hoc etiam maiorem, quàm tribuiſtis adhuc, quòd ſuperiorem illam cauſſam neceſſe erat diſplicere multis, hæc verò nihil habet, quod vlli hominum generi aut gratum eſſe non debeat aut probatum. Laudo magnitudinem animi veſtri, Pariſienſes, quòd plerique ſapiẽtiæ amore capti, omnibus vel commoditatibus, vel iucũditatibus honeſtatem & laborem antepoſuiſtis. laudo conſtantiam, quòd neque rei vos difficultates à ſuſcepto cõſilio deterruerunt, neque vitæ ſuauitates ab inſtituto curſu auocarunt, neque otij priſtini deſiderium ab incredibili celeritate retardauit. miror induſtriam, quæ ita verſatur in hoc doctrinæ curriculo, vt non longè à ſumma laude abeſſe videatur. Sed videte per Deum immortalem ne quando ardentiſſima illa ſtudia, quibus tantam gloriam eſtis adepti, refrigeſcant. digna eſt planè ſciẽtia humanarum diuinarúmque rerum, & quam hominum labor non ſine ope cœleſti reperit, auxit, adornauit; & quam hominum generi in tenebris iacenti lux diuina patefecit; cuius cauſsâ vtilia æquè ac iucunda contemnatis,

ſi

ſi modò aut vtilia, aut iucunda poſſunt eſſe, quæ nos hoc tam diuino bono priuãt. nulla enim res neque dignitatis plus, neque veræ vtilitatis affert: nec tantum illa difficultatis habet, quin poſſit ingenio diligentiâq; ſuperari. Et quoniam magno & excelſo animo præditi qui ſunt, vt vos eſtis, eos dignitate maximè par eſt, atque integrâ, ſolidâque laude commoueri, complectenda vobis eſt vtraque philoſophia, Pariſienſes, & omnibus tum animi, tum corporis opibus tuẽda, quæ à Deo, vnà cum hominibus profecta atque propagata, & ſecundùm naturam eſt maximè, & nos quoad mortalitas noſtra fert, efficit quàm ſimillimos Deo. Nõ enim apud Romanos primũ exorta eſt, ante quorum temp. & in ea Italiæ parte, quę Magna Græcia eſt appellata, & in pleriſque Græcię ciuitatibus tam multi fuerunt magna cum laude philoſophi. non apud Græcos nata eſt, quos vnus de ſacerdotibus Ægyptiis, vt Critias commemorat apud Platonem, *In Timæo* Soloni præſenti pueros animis eſſe dixit, quòd veterem opinionẽ, famâ & auditione acceptam nullam haberẽt, nullam antiquitate caneſcentem diſciplinam, neq; ſcirent omninò, quid antequam nati eſſent ſuperioribus illis ſeculis, vel apud ipſos, vel apud alios accidiſſet: ad quos per Orpheum ve-

tuſtiſſimũ poëtam,qui ſe Memphim, ceteraſq; Ægyptiorum vrbes vidiſſe, totámq; regionem illã peragraſſe gloriatur, per Solonem,qui multos ibidem audiuiſſe fertur philoſophiæ magiſtros,per Pythagorã, qui Polycratis tyranni literis,ab Amaſi Ægypti rege,cuius ille hoſpes erat, impetrauit, vt particeps fieret ſacerdotũ diſciplinæ,per Platonem,& Eudoxũ,quorum domicilia, vbi diu fuiſſent cum ſacerdotibus verſati, Strabo narrat ſuis temporibus exſtare, denique per alios diligentiſſimos viros omnis ab Ægyptiis magnarum rerum ſciẽtia permanauit. Neq; verò apud Ægyptios inuenta eſt,qui vel ab Hebræis illa, vel à principe ſuæ gentis acceperunt; aut apud Hebræos, quorum eſt ex Chaldæorum libris omnis hauſta ſapientia;aut apud Chaldæos, quibus ab aliquo traditam eſſe, neceſſe eſt. In primis illis generis humani ſedibus, apud omnium hominum parentes prim⁹ eius ortus procreatus eſt ibidẽ, ſtatim vt edita eſt in lucem, ſuam maturitatẽ eſt aſſecuta. inde per omnes partes longè ac latè fuſa, iiſdem aucta eſt,quibus vniuerſum genus hominum, incrementis. Etenim creauit illa præſtans æternáque natura principem humani generis,quem in mundum à ſe conditum cùm induxiſſet,tanquam eorum, quæ

ſe

feciſſet, contemplatorem ac dominum, in amœniſſimo loco deliciarúmq; pleniſſimo collocauit: præpoſuit terræ, mari, ceteris, quæ ad hominum vſum comparata erãt; eique tãtam ſapientiam attribuit, quãtâ præditum eſſe debuit diuinum illud animal, quod non aliis modò rebus imperaturum eſſet, verùm initium etiam allaturum eis, qui in omni perpetuitate conſequentis tẽporis imperarent. Viderat ille effectorem ſuum, molitorem vniuerſitatis & rectorem: fuerat cum eo collocutus: adſpexerat illa naſcentis mũdi principia; progreſſiones animaduerterat ac notarat, perſpexerat mẽte penitus rerum cœleſtium, aëriarum, terreſtrium, aquatilium naturam; aliarũ æternitatem, conſtantiam, celeritatem, aliarum ortus & interitus, repentinas commutationes, tarditatem, nihil eum latebat, quod homini cognoſcere fas eſſet, eique homini, quicum familiariſſimè colloqueretur Deus. ille cœlo & ſtellis, ille quatuor rerum fluẽtium initiis, ille auribus, ille terrenis mariſque beſtiis, ille fontibus, fluminibus, lacubus, ille ſtirpibus, ille rebus omnibus nomina poſuit, & vniuſcuiuſq; partes, vires, motus, cantus, voces ex ſua quidque vi ac natura, certis própriisq; vocabulis deſignauit. O Deus immortalis! quæ ſcientiæ copiæ

piæ, quàm multiplex & varia cognitio rerũ erat in illo pectore incluſa, vnde tam diſſimiles, & tam diſcrepantes appellationes, ſuis quæque generibus congruentes profluxerunt? quanta in ipſo illo fonte vis continebatur, ex quo tantum ſapientiæ flumen erupit? nulla res prorſus in terris, numẽ poteſtatemq; diuinam ſic declarabat, vt ſingulare illud humani lumen ingenij, quod in primo hominum parente ſupra modum eluxit; & eximia gloria ſcientiæ mirabilis, quâ Deus illius mentem adornarat. Itaque non ſolùm cùm in ea fœlicitate vixit, quod certè perexiguum quiddã fuit, ſed poſteaquàm etiam violatâ diuinâ lege, in exſilium eiectus eſt, cum coniuge hominum matre, cum liberis, nepotibus, poſteris de Deo frequentes habebat ille ſermones: de hac tanti operis admiranda fabrica, de dæmonibus, de naturis rerum, de priſtinis illis iucundiſſimiſque ſedibus, de cauſſis, cur inde fuiſſet exterminatus, de iis, quæ amiſiſſet bonis, de miſeriis, in quas incidiſſet, hic totus erat animo defixus. deplorabat illam hoſtis verſutiſſimi fallaciam: lamentabatur cùm ſuum, tum vniuerſi generis humani peracerbum caſum: clementiam diuinam prædicabat, quæ ſui contemptores tamen conſeruandos iudicaſſet. Nam ſi Cornelia

Grac:

Gracchorum mater, florentiſſimis liberis per ciuiles diſcordias, crudeli & immaturâ morte amiſſis, nihil aliud in ore, nihil in animo habebat, niſi triſtem & luctuoſum vtriuſque exitum, tantùmque potuit in animo matris indulgentia liberũ efficere voluptatem vt hanc ſummam eſſe duceret, commemorare omnibus ad ſe adeuntibus, eorum virtutem, gratiam, eruditionem non ſolùm patriam, ſed peregrinam etiã & exquiſitam. ac deflere lamentabiles exitus indignos principibus ciuitatis; quantò id magis in primo parente generis humani effecturam fuiſſe arbitramur vim inauditam ſapientiæ, & illam incredibilis fabricationis admirationem, ac vehementiſſimũ trãquillitatis eius, & ſinceræ voluptatis deſiderium, de qua nonnihil antea breui illa quidem, ſed ex omni fermè parte beatâ vitâ deguſtarat, vt nihil niſi dè diuinis humanisq; rebus de amiſſa vitæ requiete & dignitate loqueretur? Acceperunt hæc ſine dubio à vetuſtiſſimo parente liberi, nepotes, omnis poſteritas, quæ quaſi per manus tradita, quoad licuit per hominum impietatem atq; ſcelus, ad ſempiternam memoriã temporis propagata ſunt. Hæc ille, qui diutiſſimè vixiſſe fertur, Mathuſala, nõ ex parentibus modò ſuis, verùm ex ipſo etiam

Adamo potuit audire. hæc Noheus Mathuſalæ progenies, hominum in illa terrarum eluuione conſeruator diſciplinâ patria cognouit hæc ipſe liberos ſuos principes humani generis edocuit. hæc ipſius nepotes, ac pronepotes per omnes penè terrarũ oras inſuláſq; diſſipati, poſteris ſuis prodiderũt. Hinc ad Chaldæos omnis humanarum diuinarúmq; rerum ſcientia peruenit à Chaldæis per Abrahamum ad Hebræos! ab his
Ibidem. vel à Miſraimo Chami filio, qui Aegyptum obtinuit, ad Aegyptios: ab Aegyptiis ad Phœnices, Græcos, Romanos: ſimilique ratione aliquâ ad ceteras gentes ab illo principio deriuata eſt nam & in Arabia, quę deſerta nominata eſt, exſtitit, Iobus vir ſanctiſſimus, & rerum ſcientiâ & animi virtute ſingulari præditus, & in Perſide Sybilla Sambethe Noe progenies, de Chriſto, de ſuæ gentis origine, de mundi ortu quatuor & viginti libros conſcripſit Ac Iacobũ quidem illum Iſraëlitarum patrem, quantum naturæ cognitione valuiſſe creditis, qui naturali certaque ratione perfecit, vt ouium caprarúmq; greges, quales ipſe vellet, ederent fœtus? quantum eius patrem. Iſaacum, qui inclinato iam in poſt meridianum tem-
Gene. 34 pus die, in agrum ad meditadũ exibat, atque ad inſpiciendã hanc cœli terræque de-

ſcri

ſcriptonem, hanc ſpeciē, hanc pulchritudinem, à cuius admiratione mens paulatim, quodā quaſi gradu facto, adſcēderet ad auctorem omnium rerum: quātum verò eiuſdem filium Ioſephum qui ſic inter Aegyptios enituit, vt home ętate adoleſcens, domo externus, cōditione ſeruus, facilè principem apud Pharaonem gratiæ locū obtineret? Prætereo ceteros, qui in ipſis generis humani primordiis vtroq; ſapiētiæ genere præſtiterunt. hoc tantùm intelligi volo Parisienſes, cùm rerum humanarum nulla ſit hominibus ipſis antiquior, nihil cum philoſophia poſſe de vetuſtate contēdere, quâ ne ipſi quidē homines vetuſtiores eſſe potuerunt. nā etſi Moſes antiquiſſimus eſt eorū, qui nobis aliquid de ſapientia diuina ſcriptum reliquerunt, tamen intelligendū eſt, id quod ex ipſius narratione perſpicitur, iā inde vſque a primo mundi ſatu atque ortu, viros fuiſſe permultos eodem diuino munere excellentes. Neque verò antiquitate ſolùm, ſed diuinâ etiam auctoritate, vtriuſque philoſophiæ partus & origo commendatur, vt enim de humana priùs loquar, nō eam Timæus apud Platonem diuinum donum eſſe confitetur, dum affirmat nullum maius bonum Dei conceſſu mortalibus neque donatum eſſe neque tribuendum? non *in Timæo*

idem doctiſſimi homines fictis fabulis indicarunt? qui ſiue Muſas filias Iouis eſſe dixerunt nihil aliud ſignificauerunt, niſi omnem ingenuarum artium doctrinam, quam vno Muſarum nomine comprehendebant, diuino munere ac dono, ad homines peruenisse: ſiue Mineruam ſapientiæ præſidem, vel potius ipſam ſapientiam, cuius monitis Vlyſſes è tot periculis emerſiſſet, è cerebro Iouis exortam eſſe commenti ſunt: profectò declarare voluerunt, non aliunde, quàm ex diuina mente fuiſſe humanæ vitæ lumen effuſum. Quòd ſi ea philoſophia, id qua & inuenienda, & conſtituenda, & ornanda multùm certè valuit hominum labor & induſtria, cœleſte donum exiſtimanda eſt, proptereà quod hominum ingenia ſine aliquo numine diuino rem tantam non videntur moliri potuiſſe: quid de philoſophia illa iudicandum eſt, quam idcirco verè diuinam nominamus, quia in
Sap. 7. mentes hominum ſine vlla ipſorum opera iniecta eſt & incluſa diuinitùs? Ille quidem, quem nihil penè fugit, Salomō dicere non dubitauit, è diuina virtute afflari ſapientiā, & quaſi emanare ex claritate & maieſtate Dei. quæ cùm ita ſint, exiſtimare vos, quantùm ei ſtudii, curæ, operæ impertendum ſit, cuius diuinum ortum hominum

generi conſtet æqualem ac parem exſtitiſſe. Nunc quemadmodum cum noſtra natura congruat, conſideremus. Non enim vt tardæ languidæque pecudes ad obſequium, & indulgentiam corporis illud animal natum eſt, quod vnum ex omnibus particeps diuinæ mentis plenum conſilij liberâ volũtate præditum videmus. facti ſumus ab illo ſapientiſſimo mundi architecto, multíſque præſtantiſſimis muneribus exculti tum ad intelligendum, tum ad agendum. ſuſpicere nos ille iuſsit hunc pulcherrimũ ornatum, & admiratione tantarum rerum inueſtigare ipſius numen, inueſtigatum autem non venerari ſolùm, vt, par eſt ſed tanquam exemplar etiã propoſitum habere ad imitandum, vt non ſecus nos ipſos, noſtráque omnia priuatim ac publicè tueamur & gubernemus, atque ab illo cernimus omnes mundi partes regi & conſeruari; ita viuentes in altiſſimas & illuſtriſſimas beatorum ſedes aſcendere voluit, & aliam quandã ſecum vitam agere; æternis refertam & cumulatam bonis. Et quoniam parẽtem vniuerſitatis inuenire difficile eſſe intelligebat, difficilimũ autẽ vbi iam inueneris, in vulgus indicare, ſe ipſe quondam, quibus voluit, & quoad neceſſe eſſe iudicauit, oſtẽdit, reconditáq; myſteria patefecit, vt quoſ-

cunque illi inſtituiſſent, facilè ab hoc aditu ianuáque patefacta, ad illam conſtantis perpetuǽque voluptatis plenam vitam peruenirent. Itaque non eandem nobis, quàm ceteris animantibus, attribuit corporis figuram, ſed ingenio noſtro habilem atque aptam: cùmq; illas prono corpore ad paſtũ, & reliquas corporis voluptates abieciſſet, nos tanquam ſpectatores tantæ fabricæ, ad cœli & aſtrorum conſpectũ excitauit, vt illud ipſum domiciliũ erecti contueamur, quò nobis eſt omnis huius vitæ curſus dirigendus. Quę verò res cõſentanea ſit magis & congruens iis, qui ad contemplationem tantæ pulchritudinis, & honeſtas actiones orti & procreati ſunt, quàm & humanæ & cœleſtis philoſophiæ doctrina? quæ in duas diuiſa partes, altera ponit ante oculos terras, maria, aërem, cœlũ, & partim ex his, partim ex illis, quæ ſunt hominibus enunciata diuinitùs, fabricatorem tanti operis inueſtigat, altera demonſtrat, quemadmodũ illum iam cognitum, & debito cultu proſequamur, & ſapientiâ, conſilio, generis humani caritate, iuſtitia, clementia, ceteriſq; virtutibus, quoad per naturam fas ſit, exprimamus. Abeant nunc, abeant pecudum ſimiles homines ac ferarum: iiſdem, quibus illæ ſe voluptatibus oblectent: paſcant ocu-

los atque animum beluarum ſpectaculis: ibi ſunt omnib⁹ ſenſibus atq; omni cogitatione defixi. Qui congruẽter velit hominũ naturæ, & pro ea, quam omnes accepimus à Deo, dignitate viuere, ambas vtriuſque philoſophiæ partes amplectatur; & quæ in cõtẽplatione rerum, & quæ in actione verſatur. hîc ſe diligenter exerceat, hîc elaboret, hîc tota mente peruolutetur. hæc ſunt, hominis nobilitate digna ſpectacula: hæc hominũ naturæ verè cõſentanea voluptas, quæ ex humanarum diuinarúmque rerum cognitione, & actionum honeſtate capitur, quibus duabus partibus, omnis humana & diuina ſapientia continetur. Quid enim illuſtrius ad veram ſolidamque gloriam nobis poteſt contingere, quàm vt illius præſtantiſſimæ naturæ, quam diuinã vocamus, nonnullam ſimilitudinem cõſequamur? atqui efficit hoc humanæ ac diuinæ philoſophiæ cognitio, vt qui naturæ diſſimilitudine à Deo, velút infinito interuallo diſiungimur, imitandi ſtudio ad eum quaſi quibuſdam paſſibus propiùs accedamus. Neque enim audiendi ſunt, vt excellentis poetæ verbis vtar, (*Epicuri de grege porci.*) qui timentes, ne plus Deo negotij darent, quàm quantum poſſet viribus ſuſtinere, ſi tã multæ res ei & videndæ & prouidendæ forent, *Horat li. 1. epiſt. 4.*

omnem ipſi rerum humanarum tum ſcientiam, tum procurationem ſtulti ademerunt Fuerunt ſanè multis etiam ante Epicurum
Cap. 22. ſeculis, qui poſtquam inexpiabiles fraudes commiſiſſent vt eſt in libro Iobi, Deum cœlo ſe ac ſtellis continere dicerent, neque per immenſum propè ſpatium interiectum diſpicere ac diiudicare poſſe, quæ apud nos geruntur: in nubibus eum deliteſcere, non cernere res humanas, omnem eius & ſciētiam ac prouidentiam, cœli gubernatione, concludi. Exorti ſunt poſteà, vt legimus in
Pſal. 93. libro Pſalmorum, qui cùm populus à Deo delectum vexaret omnibus modis, viduas pupillos, aduenas, opprimeret, ſeque inſolentiùs intolerantiúſque iactarent nihil omninò Deum videre affirmarēt, nihil ſci-
Ecleſ. 5. re noſtrarum rerum. nos diuino Conſciona tori paremus, admonenti, ne diuinam prouidentiam tollamus, ne forte impiâ oratione irritatus Deus, omnes conatus laboresque noſtros inanes reddat. Nobis valde vi-
Pſal. 39. detur abſurdum, vt cum Pſalmographo humano more loquar, eum, qui fabricatus eſt aures, non audire, neque videre qui oculos finxit. Patent illi ſupremæ naturæ, non hominum dicta modò atque facta, ſed tacitæ
heb. 4 etiā & occultæ cogitationes *omnia nuda & aperta ſunt oculis eius, vt* Paulus ait: *ſiue ſedeamus*

mus,ſiue ſurgamus, ſiue quid aliud agamus, loquamur, cogitemus; omnia longè proſpicit Deus, ſiue conſcendas in cœlum, ſiue te abdas in altiſsimas terræ partes, ſiue traiecto mari, in extremis oris deliteſcas, ſiue noctis obſcuræ latebras quæras, numinis diuini omnia complétis, tenebrásque iuxtà ac lucem æſtimantis notitiam effugere non potes. idem ille, qui mundum architectatus eſt, ſuum opus abſque labore & moleſtia tuetur & regit: ille non vniuerſa genera ſolùm, vt quidam aliquãdo ſomniarunt, ſed res etiam ſingulas & omnes earum actiones integrè procurat: neque res vlla, maxima, minima, ſine ipſius voluntate geritur. Quam exigui pretii ſunt paſſerculi? at ne vnus quidem eorum occidet ſine cœleſtis patris nutu. quid eſt vilius capillis noſtris? at omnes numeratos eſſe Deo, Chriſtus affirmauit. Viderunt hoc etiam veteres poetæ, qui & Deum à nemine cerni, ipſum autem omnia intueri. dixerunt, & bona maláque omnia ab eo proficiſci teſtati ſunt, vt aurea Homeri librâ, quâ Græcorum & Troianorum põderantur fata, & illa duo dolia, vnde Iuppiter modo bona mortalibus modò mala diſtribuit, & Deucalionis fabula declarat. hinc illa præſtantis viri verba, ſocios ad ferendos labores adhortantis,

Matt. 10.

Orphæus. ad Muſæũ filium.

Iliad. 8.

Iliad. 24.

5. *Metam.*

O paſſi grauiora dabit Deus his quoque finem.

Hic illa Veneris pro Aenea filio ad Iouem oratio, —*O qui res hominumq́; deorumque Aeternus regis imperiis & fulmine terres,*

Ibidem.

Hinc apud Melicum poetam illud inſigne Iouis elogium, (*cuncta ſupercilio mouentis,* quo breuiſſimè laboris, & moleſtiæ, & difficultatis expers mundi gubernatio demonſtratur. hinc illa ſummi vatis in opere ludicro grauitatis plena vox, ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα hoc eſt, *habet Deus vindicē oculum*, qui breuius adſcribere non potuit & humanarum actionum ſcientiam, & animaduerſionem ſcelerum, & rectè factorum remunerationem Deo. Quocirca etiam qui bella deſcribunt, Deū cōſtituunt ſpectatorē præliorū, vt victoriā tribuat vtri parti malit. Ac mihi certè nihil prorſus videtur intereſſe, diuinā ne quis è medio prouidētiam tollat, an Deum omninò nullum, eſſe dicat: ſiquidem ceſſanti, & nihil agēti Deo, à quo nihil ſperatem⁹ boni, mali nihil timerem⁹, nullus honos, nullus cultus videtur eſſe tribuēdus. his igitur duabus functionibus cùm maxime vigeat cœleſtis illa, beatâque natura, contemplatione & gubernatione rerum, tametſi nunquam, vt ſcripſit Homerus, ſimilis eſt natio immortalium deorum, atque hominum humi gradientium; & qui proximè ſibi

3. Carm. Ode 1.

Homer. in Barrocho myomachia.

Aen. 10.

Illiad. 5.

ſibi videntur ad diuinam ſimilitudinem acceſſiſſe, quàm longiſſimé à Deo abſunt, tamen quoad ferre poteſt naturæ mortalis infirmitas humanę diuinæque philoſophiæ doctrina nos Deo quodammodo ſimiles reddit, dum facit, vt illius veſtigia perſequẽtes, & ſupera, infera, humana, diuina cernamus, & nos ipſi, familiaſque noſtras, atque ciuitates optimis inſtitutis, ac legibus tẽperemus. Rectè Plato, cum mala negaſſet ex hominũ vita poſſe funditùs extirpari, propterea quod neceſſe ſit aliquid eſſe contrariũ bono; eaque dixiſſet, nec apud deos vſquã poſſe cõſiſtere, & mortalẽ naturã, atque infimum hunc mundi locum neceſſariò circumire, conandum eſſe monuit, vt quàm citiſſimè hinc illò, videlicet ad Deum fugiamus, ac ne quis impelli ſe putet, vt ſibi ipſe manus afferat: fugam eſſe docet ſimilitudinem Dei, quoad eius fieri poteſt. ne verò rurſus dubitemus, quâ ratione Deo ſimiles effici queamus, addit eam ſimilitudinẽ iuſtitia, ſanctitate prudentia, cõtineri neq; verò aut improbitatem fugiendam, ne mali aut virtutẽ ſequẽdã, vt boni eſſe videamur; ſed vt Deo ſimiles euadamus. Deũ enim iniuſtitiæ penitus expertem eſſe, omni ex parte iuſtiſſimũ; nec ſimilius quidquã ei reperiri poſſe, quã ſi noſtrûm aliquis quã in-

In Theo-teto.

ſtiſſimus fiat.huius rei cognitionem, ſapiẽtiam eſſe,virtutemque veram;ignorantiam autem,inſcitiam & vitioſitatẽ manifeſtam. Ex quo verè colligi putauit Ammonius, hãc eſſe de ſententia Platonis philoſophiæ definitionẽ,vt ſit ſimilitudo Dei,quoad homini fas eſt, atque ad hunc finem referri oportere vniuerſam philoſophiæ doctrinã, vt & ſcientia& actione ſimus, quàm ſimillimi queamus,illius æternæ ac beatiſſimæ naturæ.Quamquam ſi rẽ volumus penitùs intueri,non his duabus modò rebus hominum cum Deo ſimilitudo à philoſophia profecta cõtinetur.neſciona quod informa tũ habeo cogitatione, verbis, vti conuenit,eloqui poſſim.vos intẽdite quæſo animum ad ea, quæ dicam,ſi forte inchoatam hanc,& vix dum primis lineamentis adumbratam rationẽ meliùs ipſi queatis cogitatione cernere,quàm ego verbis explicare,Quęnã res eſt diuinâ vi & poteſtate mirabilior,quàm ſacræ prophanæq; literæ,dũ omnipotentẽ Deum apellãt, ſummã eſſe confitentur,quam hęc tam incredibilis molitio,rectioque tantarum rerum oſtendit omni & oratione,& cogitatione ſuperiorẽ quis ?non intelligit, quantò propiùs, quàm idiotæ,à diuina vi & poteſtate abſint, qui præditi ſunt omni genere ſcientiæ nó

videmus eos, qui Mathematici vocantur, multa facere ſolos, quæ ingẽs hominũ multitudo coniunctis viribus non feciſſet? quæ illi pondera, cùm nullâ vi poſſent commoueri, perleui momento non conuellerunt modò, ſed quò voluerunt etiam emiſerunt; quam multis machinationibus, quam variis, quàm inauditis orbium cœleſtiũ imitati motus ea effinxerunt manibus, quæ ceteri ne intelligentiâ quidem comprehendere potuerunt? Nota eſt Archimedis illa fiduciæ plena vox, qui ratione initâ quâ põdus quantumcunque quantálibet vi pelleretur, ſuâ demonſtratione fretus, audiete Hierone rege, exclamaſſe dicitur, ſi terram alteram haberet, cùm in illá tranſiſſet, hanc ſe, in qua nos ſumus, fuiſſe moturum loco neque de illa eiuſdem ſphæra ætas vlla conticeſcet, in qua vnius hominis artificio, nõ ſecus atque in mundo, imperio diuino, ſeptem ſtellarum diſcrepantes motus vna conuerſio regebat. Phyſici verò quàm multa perficiunt præter omium hominum opinionem? ſi vobis incredibilia videntur, quæ de aliorum metalorum in argẽtum & aurum mutatione prędicãtur illud certè nemo negabit, quod ſacrarum literarum monumeti teſtatum eſt. & auctoritate diuinâ cõfirmatum, Iacobum Abrahami nepotem naturæ cog

Plutarch. in Marcel.

Cic. 1 Turno quæſt.

ſtiſſimus fiat.huius rei cognitionem, ſapiẽtiam eſſe, virtutemque veram;ignorantiam autem,inſcitiam & vitioſitatẽ manifeſtam. Ex quo verè colligi putauit Ammonius, hãc eſſe de ſententia Platonis philoſophiæ definitionẽ,vt ſit ſimilitudo Dei,quoad homini fas eſt , atque ad hunc finem referri oportere vniuerſam philoſophiæ doctrinã, vt & ſcientia& actione ſimus, quàm ſimillimi queamus,illius æternæ ac beatiſſimæ naturæ.Quamquam ſi rẽ volumus penitùs intueri,non his duabus modò rebus hominum cum Deo ſimilitudo à philoſophia profecta cõtinetur.neſciona quod informa tũ habeo cogitatione , verbis , vti conuenit,eloqui poſſim.vos intẽdite.quæſo aanimum ad ea, quæ dicam,ſi forte inchoatam hanc,& vix dum primis lineamentis adumbratam nationẽ meliùs ipſi queatis cogitatione cernere,quàm ego verbis explicare,Quęnã res eſt diuinâ vi & poteſtate mirabilior,quàm ſacræ prophanæq; literæ.dũ omnipotentẽ Deum apellãt , ſummã eſſe confitentur,quam hęc tam incredibilis molitio,rectioque tantarum rerum oſtendit omni & oratione,& cogitatione ſuperiorẽ quis ?non intelligit , quantò propiùs, quàm idiotæ,à diuina vi & poteſtate abſint, qui prædití ſunt omni genere ſcientiæ nó

videmus eos, qui Mathematici vocantur, multa facere ſolos, quæ ingẽs hominũ multitudo coniunctis viribus non feciſſet? quæ illi pondera, cùm nullâ vi poſſent commoueri, perleui momento non conuellerunt modò, ſed quò voluerunt etiam emiſerunt; quam multis machinationibus, quam variis, quàm inauditis orbium cœleſtiũ imitati motus ea effinxerunt manibus, quæ cæteri ne intelligentiâ quidem comprehendere potuerunt? Nota eſt Archimedis illa fiduciæ plena vox, qui ratione initâ quâ põdus quantumcunque quantâlibet vi pelleretur, ſuâ demonſtratione fretus, audiente Hierone rege, exclamaſſe dicitur, ſi terram alteram haberet, cùm in illã tranſiſſet, hanc ſe, in qua nos ſumus, fuiſſe moturum loco neque de illa eiuſdem ſphæra ætas vlla conticeſcet, in qua vni⁹ hominis artificio, nõ ſecus atque in mundo, imperio diuino, ſeptem ſtellarum diſcrepantes motus vna conuerſio regebat. Phyſici verò quàm multa perficiunt præter omium hominum opinionem? ſi vobis incredibilia videntur, quæ de aliorum metalorum in argẽtum & aurum mutatione prędicãtur illud certè nemo negabit, quod ſacrarum literarum monumeti teſtatum eſt. & auctoritate diuinâ cõfirmatum, Iacobum Abrahami nepotem naturæ

Plutarch. in Marcel.

Cic. 1 Turno quæſt.

cog

cognitione eſſe conſecutum, vt modò vnius coloris, modò maculoſi eſſent capraru̅ ouiumque partus. Quid de medicis dicam, quorum in ſeruandis hominibus artem & vim ſæpe miramur? quorum in corporibus incidendis, & in minimas quaſque particulas diſſoluendis induſtria, proximè ad naturæ ſolertiam, hoc eſt, ad diuinā artem,
Sap. 7. quâ ſunt eadem coagmentata, videtur accedere? Nonſine cauſſa regum ſapientiſſimus, omnia ſcripſit poſſe ſapientiā. quam idcirco leuiſſimum & nitidiſsimum ſpeculum diuinæ vertutis nuncupauit, quia nuſquam maior, quàm in ſapiente, ſimilitudo diuinæ poteſtatis elucet. iure igitur ſimilitudo Dei nominata eſt humana, diuinaque philoſophia, per quam ſcientiæ dignitas, honeſtas actionis, magnitudo poteſtatis, quæ maximè propria ſunt illius immortalis diuinæque naturæ, cum hominibus communicantur. quo quid maius quid admirabilius, quid ingenuæ ac liberaliter educatę iuuetuti magis expetendum cogitari poteſt? quaſi Deum quendam inter homines verſari, vt de
Iliad. 24. Hectore ſuo Priamus ob eximiam virtutem prædicat apud Homerum: neque ſatu mortalis alicuius generatum atque editum videri, ſed omnia tuētis ac regētis Dei. Huc per Deum immortalem huc ſtudia veſtra

ſtra conuertite,quorum animi, dies atque noctes glorię ſtimulis concitãtur. hîc omnes ingenij neruos contendite, quicumq; eam vnam ducitis veram eſſe laudem quã ſua cuique parit induſtria,materiam & ſegetem ſempiternæ gloriæ nacti eſtis cuius amore diuinus magiſter generis humani mentes omnium noſtrûm inflammare voluit,cùm hortatus eſt,vt cœleſtis parẽtis exẽplo,in omni officii ratione,ac præcipuè in hominibus diligendis abſoluti ſimus atq; perfecti. ſanè quàm prudenter Apollinem Homerus ita cum Diomede ſe actiùs inſequente,loquentem fecit: vide etiam atque etiam Tydide,ac recede:noli te diis exiſtimare parem &ęqualem:oportebat enim reprimi hominis furentis audaciam,qui ita cum Deo certaret,vt eum à ſe vinci poſſe arbitraretur.At verò nos,qui de nobis non aliter,quàm par eſt,ſentientes longiſſimè diſtare confitemur,humilitatem noſtrã ab altitudine diuina,iure optimo non Platonis modò,verùm cœleſtis etiam magiſtri verbis excitamur ad aliquam præſtantiſſimæ naturæ ſimilitudinem & imitationem, quoad mortalitatis noſtræ cõditio patiatur,exprimendam.Qua in re quantum ſemper e, laborauerint, Pariſienſes,Academiæ alũni illuſtre apud exteras nationes huius ciuitatis

Matt. 5.

Iliad. 5.

is nomen oſtendit,& multitudo ſapientium, qui omnibus ſeculis,hinc velut ex arce do-ctrinæ prodeuntes , omnes propemodùm terras liberalibus diſciplinis artibúſque cō-plerunt. Anni circiter D C C C.ſunt , cùm ſummi imperatoris Caroli magni ſingulari conſilio,humanarum & diuinarum artium eſt in hac vrbe ſedes conſtituta : ætates ab eo tempore ſingulas animo luſtrate : eum ſemper ingenij,induſtriæ,eruditionis fuiſſe florem inuenietis,exterarũ vt nationũ ho-mines cateruatim huc,tanquam ad vtriuſ-que ſapientiæ fontem tam lōgè à patria cō-uenirēt. Atque vt omnes intelligāt,plus me veritati dare, quā patriæ caritati , tantúq; peregrinum hominem huic Academiæ tri-buere laudis,quantum haud ſcio,an ab vllo ciue fuerit aliquando conceſſum:dico per-paucas eſſe ſcholas bene conſtitutas, quæ & ortum,& incrementa ſua , Pariſienſi ſcho-læ accepta referre non debeant. Complutũ in Hiſpania celebratur doctiſſimorum ho-minum frequentiâ?omnia ferè illius cōuē-tus inſtituta ſunt tranſlatitia,ex Academiæ veſtræ moribus & inſtitutis,magno ſtudio deſcripta Eſt in prætio,& in honore Sal-mātica?etſi non hinc videtur ſcholæ ſuæ formā tam diſſimilem expreſſiſſe,tamen il-lud opinor,vobis debet, quod exemplo ve-

ſtro

ſtro, Hiſpaniæ reges ad colenda doctrinæ ſtudia excitaſtis, Valentia ciuitas clariſſima, eruditiſſimis hominibus, liberaliſſimiſque ſtudiis adfluens, quodcumque ſibi propoſuerit exemplum, non priùs tantam elegantis doctrinæ famam, quanta nunc floret, cõſecuta eſt, quàm ſuos ciues inſtructiores, quàm venerant, ex hac vrbe recepit. Vidi Conimbricæ, quod oppidum eſt in Luſitania, gymnaſium regio ſumptu ædificatum, tam ſalutaribus inſtitutis ac moribus, vt affirmare audeãm, nullum ei par neque in reliqua Hiſpania, neque in tota Italia reperiri, ſi quæratis, per quos fuerit conſtitutum, partim per veſtros homines comperietis, partim per ciues, verùm ex his optimarum artium ſedibus aduocatos. Non dubito quin ceteris quoque gentibus idem acciderit, apud quas vigent ſtudia ſapientiæ, ſiue hinc tranſtulerint omnem inſtitutionis rationem, ſiue exemplo tantùm impulſæ fuerint ad imitandum. rectè igitur hæc vna ſcholarum mater eſt, vnde vel omnes, vel plurimæ vbicumque gentium ſcholæ ſunt profectæ. Neque mirum videri debet, omnes, qui liberales doctrinas, vſquam attigerunt tantò huius Academiæ quaſi cõmunis parẽtis viſendæ ſtudio flagrare, vt nõ priùs, quàm viderint, conquieſcant, aut ſi facere

prohibeantur, vitam ſibi eſſe acerbã putent quæ quo maior eſt laus, Pariſienſes, eò ſtudioſiùs vobis retinenda eſt, ne quãdo amiſſa, tantò dedecoris plus ignominięque afferat, quantò maiorē cõſeruata dignitatem gloriamque peperiſſet. tametſi ne ampliſſimum huiuſce gloriæ patrimonium vobis à maioribus relictum, negligentiâ perdatis, non eſt timendum. Eſt in hac Academia eruditiſſimorum hominum frequentia digna huius ciuitatis amplitudine, digna Gallico nomine, digna antiquiſſimi regni maieſtate. ea porrò diſcipli na rãtus in ſingulis labor, tantaque induſtria, ſperandum vt ſit, poſteros maioribus ſuis præſtantiſſimis viris, ornamento ac decori futuros. Verùm meminiſſe vos oportet, quod agricolas neceſſariis præceptis inſtituens, admonuit prudentiſſimus vates,

vir. 1. geor. ——— *Omnia fatis*
In peius ruere, ac retrò ſublapſa referri.

Nihil eſt in rebus humanis, quod non fiat vetuſtate deterius, niſi aſſiduâ curâ naturæ vim quandam afferat. & quantum temporis diuturnitas detrahat, tantum quotidianus labor adiungat: ſemina longo tempore ſelecta, & probata vitiantur, & exiliora fiunt, niſi ſingulis annis arator optima quæque, & robuſtiſſima ſeponat. greges imbecil

ciliores in dies euadunt, niſi paſtores matrum patrúmque corpora ſæpe deligant ad ſpem ſobolis propagandæ ipſæ reſpublicæ quamuis potentiſſimæ, niſi orientia quotidie vitia diſciplinæ ſeueritate corrigantur, nequeunt eſſe diuturnæ. quare vt qui lembum aduerſo flumine ægrè remis impellit, ne impetu profluentis aquæ feratur quò nolit, nihil vnquam de ſumma vi contétionéque remittit; atque ibi brachia contendit vehementiùs, vbi curſum amnis incitatiorem videt; ſic vos, quibus in conſeruanda præſtanti ſcholæ veſtræ dignitate cum profluentia conditionis humanæ reluctandũ eſt, cauere diligentiſſimè debetis, ne ſtudia paululum curáque relaxetis, niſi vultis florentiſſimã Academiam incitatiſſimo rerum humanarum curſu ad interitum rapi. nos quidem, quantum ſitum erit in nobis dabimus operam, ne noſtræ partes deſiderentur. quintam hoc anno claſſem adiecimus, quò meliùs adoleſcentes erudiantur. frequentes exercitationes inſtitutæ ſunt, ſine quibus fallitur, qui ſe quidquam promouere poſſe confidit. præceptores pro ſe quiſque ſine intermiſſione laborarunt; neque minùs aliorum, quicumque ſeſe penitus tradiderint in noſtram diſciplinam, vtilitati cõſulẽt, quàm eorũ, qui nobiſcũ etiã viuũt.

Reſtat vt qui nobis operam date vultis, vos eorum qui ſcholis præerunt, conſilio regi patiamini? neque aut turpe ducatis, eis ingenij eruditioniſque veſtræ ſpecimẽ præbere, à quibus veſtra ſtudia, niſi his cognitis, dirigi probè non poſſunt, aut reſpondendi, ſcribendi, diſputandi conſuetudinem exercitationemque fugiatis, ſine qua mãca profectò ac debilis eſt omnis inſtitutio futura. quæ ſi vos admonitione meâ permoti ſedulò feceritis, quicumque animum ad ſapientiæ ſtudium appuliſtis, vt omittã alia, quæ à me initio propoſita, quoniã nunc nõ potuerunt, alterâ oratione tractabuntur? & donũ iam inde à rerum ortu mortalibus diuinitùs datum, conſequimini? & vitam conuenienter naturæ traducetis? & cognitione, actione, poteſtate propius ad naturæ diuinæ cognitionem accedetis & nobiliſſimæ ſcholæ nomen vſque à Carolo Magno omnium gentium ſermone celebratum, immortale reddetis & æternum.

Altera oratio, qua hic promittitur, deſideratur, quam auctor morte præuentus, conſcribere non potuit.

ORATIO

P. *Gaſparis Conſalui Luſitani Presbyteri Societatis IESV,*

HABITA IN LEGATORUM Iaponiorum Introitu.

IAPONIORVM iuſulas tanto locorum ac marium interuallo à noſtris regionibus natura diſiunxit, vt tenuiſſimo nominis veſtigio pauciſſimis antè cognitas, ceteris omnibus ignotas, nunc etiam nonnulli vt eſſe credant, vix adduci poſſe videantur. Sunt tamen, Pater Beatiſſime, & ſunt numero multæ, magnitudine ampliſſimæ, vrbibus frequentes, hominum ingeniis, ac militaribus ſtudiis vſque adeò præſtantes, vt qui eas viderunt, ceteris illius cœli regionibus longè antecellere, noſtris verò vt comparari poſſint, nihil illis aliud quàm religionem, quâ carebant, ac veræ fidei lucem deeſſe credant. Et quidem illa non multis antè annis Apoſtolicæ huius Sedis auſpiciis, in remotis adeò locis diſſeminari cœpta, exiguo ſanè principio (quod naſcente quondam Eccleſiâ factum eſſe ſcimus) à tenuiſſimis primùm hominibus, mox

auditum eſt, tibi ad pedes accidere, & bellicoſiſſimos Reges fidei armis, & Euangelij prædicatione perdomitos, ad tuam, hoc eſt, Chriſti ditionem accedere, & quod ipſi per ſe non poſſunt tantis locorum ſpatiis diſiuncti, per hos ſibi amore ac ſanguine coniunctiſſimos, obedientiam tibi ac fidem polliceri. Ego verò rei tãtæ magnitudinem mecum ipſe reputans; nihil cenſeo ſummo religionis Antiſtiti iucundius, nihil huic ordini præclarius, nihil Eccleſiæ vniuerſæ, ac populo Romano accidere potuiſſe glorioſius. Beatam ſe quondam ac felicem Cæſare Auguſto Imperatore Roma eſſe credidit, quod eius principatu Romani imperij nomen, ac fama longè adeò latéq; propagata erat, vt eius amplitudine commoti nõnulli Indiæ populi, amicitiæ cõponẽdę gratiâ legatos ad Cæſarem deſtinaſſent. Cõcurrebat vndique populus ad inſpiciendum inuſitatũ hominũ genus, nouos Romanos vultus, inſolitos habitus, inauditum ſermonẽ oculis atque auribus auidiſſimè hauriebat. Sed age, iam legationem illam Indorum cum hac Iaponenſium legatione, ſi placet, conferamus. Erat illa quidem ex remotiſſimis terrarum oris, at hæc quantò ex remotioribus? cùm longiſſimo primùm tempore ex Iapone ad Sinarum portus, inde ad auream

Cherſoneſum, mox in Indiam veniendum fuerit; vt ex India tandem in Luſitaniam nauigari, ex Luſitania verò, Hiſpania quàm longa eſt, peragrata, toto triennio partim in itinere, partim in nauigatione poſito, Romam vltimò ad Gregorium Pont. Max. poſſet perueniri. Iam verò Auguſti tẽporibus Romani tantum imperij nomen in India auditum, nunquam arma conſpecta, vexilla nunquam explicata fuerant. Amicitiam à Romanis Indi vt ſocij flagitabant, non obedientiam offerebant; fœdus ab Imperatore quaſi pares, non tanquam à ſuperiore viuendi leges poſtulabant. At nos hodiernâ die Romæ in hoc ipſo orbis terrarum theatro ampliſſimo quid videmus? Hos nimirũ ſummo loco natos, ac regiæ familiæ iuuenes, Gregorio Pontifici Maximo ante pedes procumbere, ac ſuorum Regum nomine non amicitiam petere vt pares (quamuis amorem ſibi vt filij pollicentur) ſed obedientiam offerre vt ſubditos: & qui externorum hoſtium armis ex omni hominum memoria, quod ego quidem ſciam, nullam de ſe vnquam victoriam conceſſerunt, illi in ſuis hodie regionibus victricia Chriſti ſigna Gregorio duce explicata intuentes, inuictiſſimis ſe armis Romanæ fidei, hoc eſt Chriſtianæ ac Catholicæ, ſuperatos eſſe liben

bentiſſimè confitentur: quòd eam ſibi victoriam non minùs ſalutarem fore putent, quàm terrarum orbis vniuerſus Eccleſię iucundam, tibi verò, Pater Beatiſſime, cuius auſpiciis, Deo bene iuuante: parta eſt, exiſtimet eſſe glorioſam. Et quidem quod ad Eccleſiam attinet, multùm illa quondam ſuæ felicitati ac gloriæ acceſſiſſe exiſtimauit, cùm Gregorij Magni temporibus ſanctiſſimi illius Pontificis induſtriâ ac operâ ampliſſimam Angliæ inſulam, *& toto*, vt ait illè, *diuiſos orbe Britannos*, ad Chriſti fidem adiunctos eſſe vidit: ſed quantum illo Pontifice gloriæ vnius inſulæ acceſſione acquiſiſſe videbatur, tantum ſuis ornamentis illius poſteà defectione detractum eſſe merebat. Sed ecce tibi alterius Gregorij diligentiâ, ac felicitate ſummâ (ne quid illa ſuę gloriæ deeſſe doleat) vnius inſulæ loco inſula altera, immò verò inſulæ plures ac regna, & toto à nobis orbe, toto mari diuiſæ gentes magno numero ad Eccleſiam acceſſerũt, vt præterito illo damno, quod ſanè fuit maximum, non minore fortaſſe lucro, ſpe vero etiam maiore cumulatiſſimè compenſato, priſtinũ animi mœrorẽ nouo gaudio, & incredibili Eccleſiæ totius iucunditate leuare liceat. Quam mihi Eccleſiæ cõmunem publicamque lætitiam, tam multis

Virg. 1. Eclog.

antè ſæculis præuiſam, multò etiam Iucundiorem ſuis carminibus diuini vates facere videntur. Videor enim mihi hodiernà die regium Prophetam, dum incognitam ſuperioribus ſæculis nationem, tantâ hominum multitudine ad Eccleſiam acceſſiſſe gaudemus, diuinum illud carmen Eccleſiæ nomine quaſi ad citharam cōcinentem au-

Pſalm.17 dire: *Populus quem non cognoui ſeruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi.* Quod ſi quis paulò alienius eſſe putat, quàm vt de re præſenti dictum eſſe videatur, quid illud Eſaię vaticinium? Non huius diei proprium eſſe cenſebit, non Romanam Eccleſiam præclaro illo carmine à diuino vate appel-

Eſa.55. latam eſſe iudicabit? *Gentem*, inquit, *quam neſciebas, vocabis, & gentes quæ te non nouerunt, ad te current propter Deum tuum, & ſanctum Iſrael, qui glorificauit te.* Nec verò in tam publico omnium gaudio ſuam à nobis operā ſenior ille Tobias deſiderari patietur: quin præſentem Eccleſiæ felicitatem gratulatus, illâ quaſi cycneâ voce communem om-

Tob.l.3. nium lætitiam excitabit: *Luce*, inquit ille, *ſplendida fulgebis, & omnes fines terræ adorabunt te: nationes ad te venient de longinquo, & terram tuam in ſanctificationem habebunt.* Ne verò ſibi hæretici de Romanæ Eccleſiæ cō-

Ibidem. temptu nimiùm blandiantur, *Maledicti*, in-

quit, *erunt qui contempſerint te, & condemnati erũt omnes qui blaſphemauerint te. Beati omnes qui diligunt te, & qui gaudent ſuper pace tuâ.* Sed me neſcio quomodo diuinorum carminum ſuauiſſimus concentus mei ipſius quodammodo oblitum longiùs à propoſito abduxit, quàm initiò putaram. Quare vt eò redeat oratio (quod huius potiſſimùm temporis, atq; huius loci, meiq; muneris videtur eſſe) habes in conſpectu tuo, Pater beatiſſime, regios hos iuuenes, qui ſuorum ad te Regum quibus ſunt ſanguine, & amore coniunctiſſimi, mandata deferunt: quorum ſiue nobilitatem generis, ſiue religionis ſtudium, ſiue in Romanam Sedem obſeruantiam longiſſimâ peregrinatione comprobatam ſpectare velis, dignos ſanctiſsimorum pedum oſculo, dignos benedictione tuâ, dignos in hac ætate omnium admiratione iudicabis. Enimuerò philoſophũ neſcio, quem hominem alioqui vaniſsimum, tamen ob inſignem diſcendi cupiditatem longinquâ peregrinatione ſuſceptâ, quantum adeò omnis antiquitas mirata eſt, quantum omnis poſteritas commendauit? *Intrauit ille Perſas, pertranſiuit Caucaſum, Albanos, Scythas, Maſſagetas* (vt Hieronymi verbis dicam) *& opulentiſſima India regna penetrauit, vt Hiarcham in throno ſedentem* Hiero. ep. 103. de Apollonio

aureo,

aureo, inter paucos diſcipulos de natura, de ſiderum motu, de dierum curſu docentem audiret. Magnum & inuſitatum, ſed tamen inutile, ac vanum vnius hominis diſcendi ſtudium. At in his quantò admirabilior religionis amor, quãtò fidei cupiditas ardentior, quibus hac vna de cauſa tantò longinquior ſuſcepta eſt peregrinatio? Quantulam enim orbis partem ille philoſophus obiuit, ſi cũ iis conferatur, quia maria, regna, nationes, & quantum ferè aquarum ac terræ globus complectitur, ab extremis eius finibus emenſi, Romam vſque ad hanc Chriſtianæ fidei arcem, Eccleſiæ munimẽtum, religionis præſidium penetrarunt. Maior profectò ipſorum labor, ardentius ſtudium, difficilior peregrinatio, ſed multò etiam maiore lucro, & fructu longè vberiore compenſatur. Nec enim illi hodiernâ die inter paucos diſcipulos Hiarchã, ſed in hoc purpuratorum Patrũ ampliſſimo conſeſſu Gregorium XIII. intuentur, non in throno ſedẽtem aureo, ſed in beatiſſima Petri ſede poſitum; nõ differentẽ de ſiderũ, ac cœli curſu, ſed quâ fide, quo operum curſu in cælũ tendendum ſit, certiſſimâ ratione oſtendentẽ, O gratum oculis, ô iucundum animis ſpectaculum. Multa illi quidem tam lõgis terrarum ſpatiis viderunt, multa ſpectarunt, mores

mores hominum diuerſos, regna multa, & varia naturæ miracula cōtemplati ſunt, ſed nullius adeò rei ſpecie, quàm tuo hodie cōſpectu recreati ſunt, Pater Beatiſſime. Nūc bene collocatos labores ſuos, nūc ſuſceptas itineris & nauigationis moleſtias iucundas eſſe putant. Sed hunc ſuorū laborum ac peregrinationis tā iucundū, ac ſuauem fructū tum demum arbitrantur fore pleniſſimū, ſi Regum illorum obedientiā, à quibus tanto interuallo ad te miſſi ſunt, ſi promptū paratúmq; animū, ſi teſtatā literis fidem paterno ipſe animo, ac benignè ſuſcipias: quod ſanè vt facias, tum morū, ac naturæ tuæ bonitas ſingularis; tū Regum illorū religio, & præclara in fidem Chriſtianam merita non poſtulare modò, ſed quodammodo etiā videntur flagitare. Frāciſcus enim Rex in Iapone potens, atque inter primos illarum regionum iure numerandus, nuper ille quidē fide ſuſceptâ baptiſmo expiat⁹ eſt, ſed multis antè annis Chriſtianam religionem, ac fidem tum primùm in ſua prouincia naſcētem, ac teneram, vſque adeò fouit, vt quidquid in religionis negotio in Iapone perfectum eſt; illius induſtriæ ac fauori ſecundum Deum acceptum referamus. Ille Franciſcum Xauerium præclarâ ſanctitate virum, ex eorum numero, qui minimæ Societatis,

Regis pietas.

tatis noſtræ cum Ignatio Loiola fundaméta poſuerunt, cùm primus omniũ ad eas inſulas appuliſſet, humaniſſimè complexus, liberè in ſuo regno Chriſtianam fidem prædicare voluit. Ille ceteros Euangelij miniſtros, qui Franciſcum poſteà ad eas regiones ſunt conſecuti, tam longe à ſuorum cógreſſu poſitos, & inter remotiſſimas nationes, omni penè auxilio atque ope deſtitutos, ſingulari amore ac beneuolentiâ proſecutus, nihil deſiderare paſſus eſt, quod ab optimo Rege, ac noſtræ religionis amátiſſimo optari poſſet. Ille aditus noſtris tutos ad proximas prouincias patefecit, ille vicinorum Regum amicitiam, ac fauorem literis, ac nuntiis conciliauit. Ille in maximis ſuis periculis inter grauiſſimas bellorũ tépeſtates ac fluctus, vt noſtri ſalui, & ſecuri eſſe poſſent, diligentiſſimè curauit. Quid aliud tam amico Regi, tot beneficiis ſuſceptis, religione ac fide, ipſius potiſſimùm fauore propagatâ, quàm religionẽ ipſam, ac fidem noſtri optarent? Dilata res eſt diutiùs quàm vellemus: ſed ita tandem ſingulari Dei Optimi Maximi beneficio omniũ vota conſecuta eſt, vt quantum Optimo Regi detrimenti mora illa potuit attuliſſe, tantum hodie incredibili fidei feruore recuperaſſe videatur. Dici profectò non po-

teſt quanto religionis ſtudio inflammetur, quanto propagandæ fidei amore feruear, quàm concitato curſu ad ſummum omniũ virtutum faſtigium feratur. Tui verò videndi, Pater Beatiſſime, ac ſanctiſſimos pedes oſculãdi quanto deſiderio flagrarit, vel hoc vno poteſt intelligi, quòd cùm ipſe grauiſſimis regni curis, ætate etiã impediretur, hunc Mancium quem vides, ad hoc ſibi genus officij Vicarium ſubſtituerit, quẽ vnum nobilitate primùm, Fiungæ nimirũ Regis nepotem, ac ſibi multis de cauſis cõiunctiſſimũ in ſuo regno habere videbatur. Per eum verò id poſtulant ardentiſſimè, vt obedientiæ, & obſeruantiæ in te ſuæ teſtificatione ſuſceptâ, inter Eccleſiæ Catholicæ, atque huius beatiſſimæ Sedis filios numerari poſſit. Idem verò etiam contendit Protaſius Rex Ariminenſis, iuuenis lectiſſimus, huius Michaëlis, quem ad te hac de cauſa miſit, patrueлis frater. Idem Barptolemæus Omuræ Princeps, Ariminenſis Regis, ac Michaëlis eiuſdem patruus cariſſimus. Atq; vt ego hodiernâ die de Ariminenſi Rege taceam, cuius extant religionis, ac fidei argumenta clariſſima, de Barptolemæo tamẽ facere non poſſum, quin aliquid dicam Hic eſt ille Barptolemæus, Pater Beatiſſime, qui Principum omnium primus fidem Chriſtia

ſtianam in Iapone cum baptiſmo ſuſcepit, tanto animi feruore, ac ſtudio, vt deiectis vbique Idolorum ſtatuis, eiectâ ex ſuis vrbibus ſuperſtitione, multis ob eam cauſam periculis aditis, toto ferè principatu, ac ditione expulſus, non ſolùm à ſuſcepta religione non diſceſſerit, ſed incredibili animi fortitudine, ac præſentiſſimo Dei numine recuperatâ ditione, multò etiam quàm antè conſtantiùs in ſententia perſeuerarit. Qui ſi per ſe ipſe præſtare hodie potuiſſet, quod per hunc Michaëlem facit, vt Sanctitatis tuæ pedes oſculari, & Apoſtolicam benedictionem præſens à præſente poſſet accipere; tum vero ſe felicem, ac planè beatum eſſe cenſeret. O Deum immortalem! quid hoc eſt? In remotis adeò locis tam lõgè à Romana Sede, vbi nunquam anteà Chriſti nomen, nunquam Euangelium auditum erat, cùm primùm illic religionis, ac fidei lux affulſit, homines noſtrorum morum inſolentiſſimi, regno clari, copiis affluentes, bellorum gloriâ inſignes, Romanæ Eccleſiæ amplitudinem, & dignitatẽ agnoſcunt, & magno ſibi honori ducunt, per eos quos cariſſimos habere poterant, Summi Pontificis pedes oſculari? Et erũt in vicinis adeò regionibus, veritatis luce vſque adeò perſpectâ, qui tanto ſe parricidio inquinare

audeant, vt pulcherrimã Chriſti ſponſam capite truncare, & Romanæ Sedis dignitatem à Chriſto ipſo conſtitutã, tot ſeculorũ ſpatiis confirmatã, tot ſanctorũ hominum ſententiis fultã, tot Conciliorum exemplis ſtabilitã, cum ſumma ſua pernicie in cõtrouerſiam vocare, audeãt? Sed continebo ipſe me, nec patiar hodiernâ die in publica omniũ lætitia dolore animi longiùs abripi, & meã orationem eo reuocabo, quod in tanta varietate rerũ penè vnum fueram oblitus, cùm tamen eiuſmodi res ſit quę omniũ ſæculorum immortali memoriâ digna eſſe videatur. Sæpe ego quidẽ ac frequenter audieram, nõnunquam etiam legeram, ſi quis abſolutam omnibus numeris, ac perfectam boni principis imaginem conſideret, fore vt inter illum, & quem clariſſimâ luce fulgentem in medio cæli globo ſolẽ intuemur, multis in rebus præclarè videat conuenire. Enimuerò ſolẽ in illa quaſi arce cõſtitutum, non ea tantùm quę proxima ſunt, ac vicina pertingere, ſed remotiſſimas etiam mundi partes illuſtrare radiis, & quæ diſiunctiſſima videntur eſſe, ad ea quoque virtute penetrare. Nõ multò aliter bonum principẽ, ſi modò hoc nomine dignus eſſe velit, non domeſticæ familiæ ſuæ terminis regiam beneficentiam debere circun-

Bon' princeps ſoli comparatur.

ſcribere, neque intra paucorum domus, ac manus includere, ſed illius quaſi radiis illuſtrare omnia, & quoad eius fieri poſſit, remotiſſimos etiã quoſque beneficiis ornare. Verùm hoc qui præſtare aliqua ex parte valeant, fortaſſe nonnulli; qui verò id quod valent, etiam velint, pauci omninò reperientur. Tua verò beneficentia, Pater Beatiſſime, cum ſingulari religionis ſtudio cõiuncta, non huius tantùm vrbis mœnibus includi, non Italiæ finibus circumſcribi, nõ Germaniæ, Bohemiæ, Vngariæ, Poloniæ, non Syriæ, non Græciæ, non Dalmatiæ terminis contineri potuit, quibus omnibus in locis partim ſeminariis extructis, quaſi muniтiſſimis fidei arcibus, partim aliis beneficiis immortalia tuę liberalitatis, ac religionis monumẽta poſuiſti, ſed lõgiùs etiã prouecta, & extra anni quodammodo ſoliſque vias, vt ait ille, hoc eſt, vltra Indorũ, Brachmanum ac Sinarum terminos ad vltimas Iaponenſium oras, ac fines peruenit. Cùm primùm enim Chriſti fidem in illa regione feliciter propagari cœptam, eâ potiſſimùm ratione promoueri poſſe intellexiſti; ſi quã plurimos ſuæ gẽtis homines, quorum acerrima ferè ſunt, & acutiſſima ingenia, diſſeminandi Euangelij miniſtros haberet; nec deterreri ſumptibus, nec rei difficultate potuiſti,

Summus Pontifex in omnes beneficus

Virg. 6. Aeneid.

tuiſti, quin ibi lectiſſimorum adoleſcentiũ ſeminaria, maximâ tuâ impẽsâ inſtitui iuberes, quorum poſteà prædicatione, cùm literis ac pietate ſatis eſſent exculti, nihil omninò ſupereſſet, quod expulsâ ſuperſtitione, ad Chriſti fidem, ac religionem non accederet. Pro qua tam eximia, támque incredibili beneficentia, ex ſingulari propagandæ fidei amore profecta, eò magis tum ſuo, tum publico ſuæ gẽtis nomine tibi gratias agendas eſſe immortales legati cenſuerunt, quòd eodem illo anno à te Romæ deſignatam eſſe audiunt, quo Principes illi ac Reges nobiliſſimi hanc ipſam ad te legationem in Iaponie decernebant; vt non illi citiùs de obedientia tibi præſtanda, vt filij, quàm tu de illorum commodis ac ſalute, vt parens beneficentiſſimus cogitaris. Quo magis etiam ſperandum eſſe putant qui ſua ſpõte vſque adeò commoti tanto hactenus ſtudio ad fidem accurrebãt, eos tuæ beneficentiæ ſtimulis incitatos, nouis præſertim militum copiis ex illis ſeminariis in dies ſuccreſcẽtibus, maiore in poſterum numero, & ſtudio ardentiore ad fidem eſſe venturos. Ita breui futurum eſt. Pater Beatiſſime vt Deo Opt. Max. Sanctitatis tuæ votis, & minimę Societatis noſtræ laboribus fauẽte, non iam paucas Iaponis vrbes, non regna

pauca (quę tibi hodierna die quaſi quaſdam fœcundiſſimi agri primitias offerimus) ſed plura alia, quibus ampliſſima illa regio diſtincta eſt, & tantam hominum multitudinem, quæ numero facilè comprehendi nequeat, ad Chriſti fidem audias acceſſiſſe.

ORATIO
P. STEPHANI TVCII SOCIETATIS *Ieſu*;
IN EXEQVIIS GREG. XIII. Pont. Max.

ETSI Gregorius XIII. ob præclara Pontificatus ſui monumenta, Patres ampliſſimi, ita ſuperſtes adhuc & in mortalium animis, & in concilio viuit immortalium, vt ex hac funeris pompa, velut ex aromatum ſylua non tam mortalitatis quàm immortalitatis odores efflari videantur: hic tamen publicus lugentis Eccleſiæ tanquam viduæ ſqualor, Antiſtitum, pullę veſtes, Vrbis iuſtitiũ, populi mœror, lugubres rami, cenotaphij moles, ſepulchrales faces, atrati parietes, atque aræ obturbât aciem oculorũ: & fauſtæ quãtum acclamationes, ac lętitiæ rerũ geſtarũ gloria, & æternitatis lux, quà nũc, vt piè ſperãdum

eſt, ille perfruitur exigunt: tantũ hæc mœſti cõſeſſus veſtri noua forma, & Parẽtis optimi deſideriũ Oratorem angũt, dicentem retardăt, acclamătẽ frangunt, pectus effodiunt gratulantis. Verúmne ipſe redarguo, & animum, qui ſubinde recurrit ad funus, ad panegyricum reuoco, vt non tam lamẽtationi, quàm laudationi deſeruiat? Nam & vobis, Principes illuſtriſſimi, pium quidem & lugere demortuum, audire verò, quę vos imitari deceat, ſalutare: & Deo Opt. Max. earum rerum quas ipſe Gregorij operâ geſſit, cõmemoratio, quàm fletus noſter, glorioſior. Deũ enim Gregoriũ collaudamus, Dei benignitatem prædicamus, ac numen, non ſolùm, quòd feſſum iam annis Pontificem ad beatæ vitæ tranquillitatem ex hac colluuione, & ærumnis euocarit, ſed multò etiă magis quòd in noſtræ memoriæ Gregorio Gregorij Magni formam atque imaginem effinxerit, nec paucas eius expreſſerit virtutes: vt quarum memoria vetuſtate conſenuerat, & nouo Paſtore refloreſceret, & futuris Eccleſiæ Romanæ Paſtorib⁹ prælucerer. De iis Gregorij laudibus dicere dũ cogito, mirari ſatis non poſſunt, ex tot eximiis oratoribus, quibus & Vrbs, & aulæ veſtræ clareſcũt, me vnum fuiſſe delectum, qui quantam præſtare poſſum Gregorij ce-

lebrandi voluntatem ac ſtudium, non ſolùm publico Eccleſiæ nomine, ſed priuato etiam Societatis noſtræ, de qua ſemper ille optimè meritus eſt, tantũ, ne illius amplitudini nihil magis, quàm infantia laudatoris officiat, pertimeſco. Illud quidẽ me recreat, ac reficit, quòd eius res geſtæ tam illuſtres, ac peruagatæ ſunt, tamque ſua ipſæ luce ſplendeſcunt, vt non tam amplificãdi, quam percenſendi, nec exornãtis, ſed iudicantis munus expoſcant.

Verùm vnde primùm hæc mea proficiſcetur oratio? Nihil hîc de Gregorij adoleſcẽtis ingenio atque indole, quæ perinde ac ver nouum, reliquæ vitæ prouentũ denuntiauit vberrimum. Nihil de bene morata iuuentute, de egregia Iuriſprudẽtia, de Bononienſis academiæ magiſterio. Nihil de conſtantiore iam ætate, quam per medias laudes quaſi quadrigis vehentem, & vrbs Roma gradatim ad honorum omnium, ac publicorum munerum functiones euexit: & Apoſtolicæ Sedis Legati, cùm irent ad Reges, in ſuo ſtuduerunt habere comitatu. Porrò quid attinet exornare dicendo egregiam eius operã in Decretis Tridẽtinæ Synodi conformandis, idque tam Pauli III. quàm Pij IIII. Pontificatu? quo præclaro ad eũ delato munere, quid de Gregorio Tridenti

dentini patres ſentirẽt, facilè declaratũ eſt. Quid quanta omnium approbatione, quãta celſioris adhuc dignitatis ſpe ac præſagitione diuina in purpuratorum Patrum ordinem à Pio IIII. non minùs auſpicatò, quam ſapienter ſit relatus: à quo etiã Legatus ad Hiſpaniarũ Regem miſſus, quàm inſigne fuerit ſui ordinis hominib⁹ virtutis, antiquitatis, prudentiæ documentũ, adhuc prædicant, & admirantur Hiſpani. Nam fidem, integritatem, ſolertiam ſuam quãtum is Romanæ curiæ probarit, teſtatũ ſatis eſſe voluere duo Pij Pontifices IIII. & V. cùm Apoſtolicis illum literis, quæ Breuia nominantur, obſignandis præfecerunt. His inſtructus artibus, his munitus præſidiis, quid mirum eſt, ſi veſtrûm omnium, maiore ne dicam conſenſione, an celeritate renunciatus Pont. Max. ante populi totius præiudicio, quàm veſtris ſuffragiis; priùs omniũ votis, & clamoribus, quàm comitiis sũmo dignus Sacerdotio declaratur? Quãta, Deus immortalis, tũc fuit Romæ plaudentis hilaritas? Quàm effuſa omnium ordinũ voluptas? Quàm illuſtre quaſi ſignum gẽtibus vniuerſis ad bene de omni Republica ſperãdum videbatur eſſe ſublatũ? Neque ſpem fefellit Gregorius: cœpit in omnes Eccleſię partes excubare, vt quod nouo

nomine pręſeferebat, id certis rerum, ac factorum firmaret euentis. Animaduertebat eorum quorũ gerebat curam, alios ab Eccleſiæ legibus, ac diſciplina deſciuiſſe; alios eſſe quidem orthodoxæ fidei cultores, ſed in morũ, ac vitæ rationib⁹ claudicare. Has vtraſque ſui gregis partes complexus inſtitit peruigilare prouidus Paſtor, ſua ſingulis vel medicamenta, vel pabula ne deeſſent. Ac primùm quàm incenſis ſemper ſtudiis contẽdit oues, quæ à veræ Religionis ſeptis aberrabãt in ouile ſuis ſi potuiſſet humeris reportare? Vidit ab aliis armorum motus ad hæreticorum impietatem profligandam ſæpe tẽtatos plus cladis retuliſſe, quàm prædæ, & diuturnitate, vel inauſpicato exitu bellorum, non magis hoſtiles, quàm Chriſtianas opes acciſas, Itaque pugnandi rationem aliam ſibi putauit ineundam, parcendũ armis ad probitatis, & eruditionis præſidia cõfugiendum: non telis, ac machinis, ſed ſapientiâ decernendum: non externum militem conſcribendum, qui in impiorum caſtra cataphractus inuaderet, ſed e transfugarum parentum domibus, ac complexu abſtrahendos adoleſcentes, qui credẽdi, viuendique optimis legibus inſtituti cum ſuis ipſi poſteà ciuib⁹. gẽtilibus, neceſſariis pedem non vulnerando, ſed bene viuendo, di-

ſputandoque conferrent:vt quos neque cẽturio,nequo turma valeret, ſapiens, ac pius Sacerdos debellaret:& quò gladius nõ poſſet, penetraret oratio. O admirabilem viri ſapientiam ! ô inuentum ſalutare ! Fremat, licet,Lutherus,inſaniat Caluinus,debacchetur Zuinglius,ferruminẽt Centurias; aliud cudant Euangelium,nouos inuehant Chriſtos:vnus vos lacerat,ô nocturni prędones vnus vos cruentat Gregorius : & excitatis per Germaniam,Galliam,Sarmatiam,Pannoniam iuuenum Seminariis,tanquam aggeribus fidei , vias veſtris ſatellitiis intercludit , veſtris vos implicat retibus:& intra fines,ac parietes veſtros veſtris vos liberis, veſtris vos alumnis oppugnat.Neque verò vnum ille vel alterum vobis oppoſuit propugnaculum,ſed ſuum ſingulis penè gentibus exſtruxit. Prutenis, & Suecis Brãsbergenſe,Vilnenſe Lituauis , Bohemis Pragẽſe,Morauis Olomucenſe, Auſtriacis Viennenſe,Græcẽſe Stiriacis, Dilinganum Germanis,Fuldẽſe Saxonibus, Muſſipontanum Scotis, & Hibernis, Heluetiis Mediolanẽſe,Britannis Rhemenſe,Clãudiopolitanum Tranſyluanis. Sed quid ego tam loginqua commemoro?Quot in Vrbe videtis contubernalium iuuenum Collegia , tãquã Religionis arces,ad quas externæ gẽtes quoti

ſtianam in Iapone cum baptiſmo ſuſcepit, tanto animi feruore, ac ſtudio, vt deiectis vbique Idolorum ſtatuis, eiectâ ex ſuis vrbibus ſuperſtitione, multis ob eam cauſam periculis aditis, toto ferè principatu, ac ditione expulſus, non ſolùm à ſuſcepta religione non diſceſſerit, ſed incredibili animi fortitudine, ac præſentiſſimo Dei numine recuperatâ ditione, multò etiam quàm antè conſtantiùs in ſententia perſeuerarit. Qui ſi per ſe ipſe præſtare hodie potuiſſet, quod per hunc Michaëlem facit, vt Sanctitatis tuæ pedes oſculari, & Apoſtolicam benedictionem præſens à præſente poſſet accipere; tum vero ſe felicem, ac planè beatum eſſe cenſeret. O Deum immortalem! quid hoc eſt? In remotis adeò locis tam lõgè à Romana Sede, vbi nunquam anteà Chriſti nomen, nunquam Euangelium auditum erat, cùm primùm illic religionis, ac fidei lux affulſit, homines noſtrorum morum inſolentiſſimi, regno clari, copiis affluentes, bellorum gloriâ inſignes, Romanæ Eccleſiæ amplitudinem, & dignitatẽ agnoſcunt, & magno ſibi honori ducunt, per eos quos cariſſimos habere poterant, Summi Pontificis pedes oſculari? Et erũt in vicinis adeò regionibus, veritatis luce vſque adeò perſpectâ, qui tanto ſe parricidio inquinare

audeant, vt pulcherrimã Chriſti ſponſam capite truncare, & Romanæ Sedis dignitatem à Chriſto ipſo conſtitutã, tot ſeculorũ ſpatiis confirmatã, tot ſanctorũ hominum ſententiis fultã, tot Conciliorum exemplis ſtabilitã, cum ſumma ſua pernicie in cõtrouerſiam vocare, audeãt? Sed continebo ipſe me, nec patiar hodiernâ die in publica omniũ lætitia dolore animi longiùs abripi, & meã orationem eo reuocabo, quod in tanta varietate rerũ penè vnum fueram oblitus, cùm tamen eiuſmodi res ſit quę omniũ ſæculorum immortali memoriâ digna eſſe videatur. Sæpe ego quidẽ ac frequenter audieram, nõnunquam etiam legeram, ſi quis abſolutam omnibus numeris, ac perfectam boni principis imaginem conſideret, fore vt inter illum, & quem clariſſimâ luce fulgentem in medio cæli globo ſolẽ intuemur, multis in rebus præclarè videat conuenire. Enimuerò ſolẽ in illa quaſi arce cõſtitutum, non ea tantùm quę proxima ſunt, ac vicina pertingere, ſed remotiſſimas etiam mundi partes illuſtrare radiis, & quæ diſiunctiſſima videntur eſſe, ad ea quoque virtute penetrare. Nõ multò aliter bonum principẽ, ſi modò hoc nomine dignus eſſe velit, non domeſticæ familiæ ſuæ terminis regiam beneficentiam debere circun-

Bon' princeps ſoli comparatur.

ſcribere, neque intra paucorum domus, ac manus includere, ſed illius quaſi radiis illuſtrare omnia, & quoad eius fieri poſſit, remotiſſimos etiã quoſque beneficiis ornare. Verùm hoc qui præſtare aliqua ex parte valeant, fortaſſe nonnulli; qui verò id quod valent, etiam velint, pauci omninò reperientur. Tua verò beneficentia, Pater Beatiſſime, cum ſingulari religionis ſtudio cõiuncta, non huius tantùm vrbis mœnibus includi, non Italiæ finibus circumſcribi, nõ Germaniæ, Bohemiæ, Vngariæ, Poloniæ, non Syriæ, non Græciæ, non Dalmatiæ terminis contineri potuit, quibus omnibus in locis partim ſeminariis extructis, quaſi muniſſimis fidei arcibus, partim aliis beneficiis immortalia tuę liberalitatis, ac religionis monumẽta poſuiſti, ſed lõgiùs etiã prouecta, & extra anni quodammodo ſoliſque vias, vt ait ille, hoc eſt, vltra Indorũ, Brachmanum ac Sinarum terminos ad vltimas Iaponenſium oras, ac fines peruenit. Cùm primùm enim Chriſti fidem in illa regione feliciter propagari cœptam, eà potiſſimùm ratione promoueri poſſe intellexiſti, ſi quã plurimos ſuæ gẽtis hominęs, quorum acerrima ferè ſunt, & acutiſſima ingenia, diſſeminandi Euangelij miniſtros haberet; nec deterreri ſumptibus, nec rei difficultate potuiſti,

Summus Pontifex in omnes beneficus

Virg. 6. Aeneid.

tuiſti, quin ibi lectiſſimorum adoleſcentiũ ſeminaria, maximâ tuâ impẽſâ inſtitui iuberes, quorum poſteà prædicatione, cùm literis ac pietate ſatis eſſent exculti, nihil omninò ſupereſſet, quod expulsâ ſuperſtitione, ad Chriſti fidem, ac religionem non accederet. Pro qua tam eximia, támque incredibili beneficentia, ex ſingulari propagandæ fidei amore profecta, eò magis tum ſuo, tum publico ſuæ gẽtis nomine tibi gratias agendas eſſe immortales legati cenſuerunt, quòd eodem illo anno à te Romæ deſignatam eſſe audiunt, quo Princpes illi ac Reges nobiliſſimi hanc ipſam ad te legationem in Iaponte decernebant; vt non illi citiùs de obedientia tibi præſtanda, vt filij, quàm tu de illorum commodis ac ſalute, vt parens beneficentiſſimus cogitaris. Quo magis etiam ſperandum eſſe putant qui ſua ſpõte vſque adeò commoti tanto hactenus ſtudio ad fidem accurrebãt, eos tuæ beneficentiæ ſtimulis incitatos; nouis præſertim militum copiis ex illis ſeminariis in dies ſuccreſcẽtibus, maiore in poſterum numero, & ſtudio ardentiore ad fidem eſſe venturos. Ita breui futurum eſt. Pater Beatiſſime vt Deo Opt. Max. Sanctitatis tuæ votis, & minimę Societatis noſtræ laboribus fauẽte, non iam paucas Iaponis vrbes, non regna

pauca (quę tibi hodierna die quaſi quaſdam fœcundiſſimi agri primitias offerimus) ſed plura alia, quibus ampliſſima illa regio diſtincta eſt, & tantam hominum multitudinem, quæ numero facilè comprehendi nequeat, ad Chriſti fidem audias acceſſiſſe.

ORATIO P. STEPHANI TVCII SOCIETATIS *tatis Ieſu;* IN EXEQVIIS GREG. XIII. Pont. Max.

ETSI Gregorius XIII. ób præclara Pontificatus ſui monumenta, Patres ampliſſimi, ita ſuperſtes adhuc & in mortalium animis, & in concilio viuit immortalium, vt ex hac funeris pompa, velut ex aromatum ſyluá non tam mortalitatis quàm immortalitatis odores efflari videantur: hic tamen publicus lugentis Eccleſiæ tanquam viduæ ſqualor, Antiſtitum, pullę veſtes, Vrbis iuſtitiũ, populi mœror, lugubres cantus, cenotaphij moles, ſepulchrales faces, atrati parietes, atque aræ obturbát aciem oculorũ: & fauſtæ quãtum acclamationes, ac lętitiæ rerũ geſtarũ gloria, & æternitatis lux, quà nũc, vt piè ſperãdum eſt

eſt,ille perfruitur exigunt:tantū hæc mœſti cōſeſſus veſtri noua forma,& Parētis optimi deſideriū Oratorem angūt, dicentem retardāt, acclamātē frangunt, pectus effodiunt gratulantis. Verúmne ipſe redarguo, & animum, qui ſubinde recurrit ad funus, ad panegyricum reuoco, vt non tam lamētationi,quàm laudationi deſeruiat? Nam & vobis,Principes illuſtriſſimi, pium quidem & lugere demortuum,audire verò,quę vos imitari deceat,ſalutare: & Deo Opt. Max. earum rerum quas ipſe Gregorij operâ geſſit, cōmemoratio, quàm fletus noſter, gloriosior. Deū enim Gregoriū collaudamus, Dei benignitatem prædicamus, ac numen, non ſolùm,quòd feſſum iam annis Pontificem ad beatæ vitæ tranquillitatem ex hac colluuione,& ærumnis euocarit,ſed multò etiā magis quòd in noſtræ memoriæ Gregorio Gregorij Magni formam atque imaginem effinxerit, nec paucas eius expreſſerit virtutes:vt quarum memoria vetuſtate conſenuerat, & nouo Paſtore refloreſceret, & futuris Eccleſiæ Romanæ Paſtorib⁹ prælucerent. De iis Gregorij laudibus dicere dū cogito,mirari ſatis non poſſunt, ex tot eximiis oratoribus,quibus & Vrbs, & aulæ veſtræ clareſcūt, me vnum fuiſſe delectum, qui quantam præſtare poſſum Gregorij ce-

lebrandi voluntatem ac ſtudium, non ſolùm publico Eccleſiæ nomine, ſed priuato etiam Societatis noſtræ, de qua ſemper ille optimè meritus eſt, tantũ, ne illius amplitudini nihil magis, quam infantia laudatoris officiat, pertimeſco. Illud quidẽ me recreat, ac reficit, quòd eius res geſtæ tam illuſtres, ac peruagatæ ſunt, tamque ſua ipſæ luce ſplendeſcunt, vt non tam amplificãdi, quam percenſendi, nec exornãtis, ſed iudicantis munus expoſcant.

Verùm vnde primùm hæc mea proficiſcetur oratio? Nihil hîc de Gregorij adoleſcẽtis ingenio atque indole, quæ perinde ac ver nouum, reliquæ vitæ prouentũ denuntiauit vberrimum. Nihil de bene morata iuuentute, de egregia Iuriſprudẽtia, de Bononienſis academiæ magiſterio. Nihil de conſtantiore iam ætate, quam per medias laudes quaſi quadrigis vehentem, & vrbs Roma gradatim ad honorum omnium, ac publicorum munerum functiones euexit: & Apoſtolicæ Sedis Legati, cùm irent ad Reges, in ſuo ſtuduerunt habere comitatu. Porrò quid attinet exornare dicendo egregiam eius operã in Decretis Tridẽtinæ Synodi conformandis, idque tam Pauli III. quàm Pij IIII. Pontificatu? quo præclaro ad eũ delato munere, quid de Gregorio Tridenti

dentini patres ſentirẽt, facilè declaratū eſt. Quid quanta omnium approbatione, quāta celſioris adhuc dignitatis ſpe ac præſagitione diuina in purpuratorum Patrum ordinem à Pio IIII. non minùs auſpicatò, quam ſapienter ſit relatus: à quo etiā Legatus ad Hiſpaniarū Regem miſſus, quàm inſigne fuerit ſui ordinis hominib⁹ virtutis, antiquitatis, prudentiæ documentū, adhuc prædicant, & admirantur Hiſpani. Nam fidem, integritatem, ſolertiam ſuam quātum is Romanæ curiæ probarit, teſtatū ſatis eſſe voluere duo Pij Pontifices IIII. & V. cùm Apoſtolicis illum literis, quæ Breuia nominantur, obſignandis præfecerunt. His inſtructus artibus, his munitus præſidiis, quid mirum eſt, ſi veſtrûm omnium, maiore ne dicam conſenſione, an celeritate renuntiatus Pont. Max. ante populi totius præiudicio, quàm veſtris ſuffragiis; priùs omniū votis, & clamoribus, quàm comitiis sūmo dignus Sacerdotio declaratur? Quāta, Deus immortalis, tūc fuit Romæ plaudentis hilaritas? Quàm effuſa omnium ordinū voluptas? Quam illuſtre quaſi ſignum gẽtibus vniuerſis ad bene de omni Republica ſperādum videbatur eſſe ſublatū? Neque ſpem fefellit Gregorius: cœpit in omnes Eccleſię partes excubare, vt quod nouo

ſputandoq́ue conferrent: vt quos neque cẽturio, neque turma valeret, ſapiens, ac pius Sacerdos debellaret: & quò gladius nõ poſſet, penetraret oratio. O admirabilem viri ſapientiam! ô inuentum ſalutare! Fremat, licet, Lutherus, inſaniat Caluinus, debacchetur Zuinglius, ferruminẽt Centurias; aliud cudant Euangelium, nouos inuehant Chriſtos: vnus vos lacerat, ô nocturni prędones vnus vos cruentat Gregorius: & excitatis per Germaniam, Galliam, Sarmatiam, Pannoniam iuuenum Seminariis, tanquam aggeribus fidei, vias veſtris ſatellitiis intercludit, veſtris vos implicat retibus: & intra fines, ac parietes veſtros veſtris vos liberis, veſtris vos alumnis oppugnat. Neque verò vnum ille vel alterum vobis oppoſuit propugnaculum, ſed ſuum ſingulis penè gentibus exſtruxit. Prutenis, & Suecis Brãsbergenſe, Vilnenſe Lituauis, Bohemis Pragẽſe, Morauis Olomucenſe, Auſtriacis Viennenſe, Græcẽſe Stiriacis, Dilinganum Germanis, Fuldẽſe Saxonibus, Muſſipontanum Scotis, & Hibernis, Heluetiis Mediolanẽſe, Britannis Rhemenſe, Clãudiopolitanum Tranſyluanis. Sed quid ego tam loginqua commemoro? Quot in Vrbe videtis contubernalium iuuenum Collegia, tãquã Religionis arces, ad quas externæ gẽtes quoti

dic ex Oceano, ex Alpibus, ex Peloponeſo, ex Synagoga ex Palæſtina cõfugiunt? O te felicem Gregorium! quoties vel vrbem, vel orbem terrarum ſpectabis è cælo, toties de alumnorum tuorum domiciliis, toties de caſtris tuis aduerſus Madian & Amalech, toties de ſingulari ſapientia tua cogitabis: quâ non ſolum ætatis noſtræ portenta, ſed priſcos etiam Neſtorios, Eutychetes, Dioſcoros, Seueros Oriẽte penè toto perſecutus es, dimiſſis Alexandriam, Antiochiam Hieroſolymam Conſtantinopolim; & in vrbes alias legationibus: quibus laceſſiti ſunt ad pugnam Monophyſitæ, inuitati ad renouandum priſcum fœdus Armenij: Græci, ac Maronitæ ad Romani cœli cultum, ac mores euocati: Subalpinæ gẽtes excultæ; Sueciæ Rex ſui muneris, ac Religionis admonitus: Dalmatis, & Epirotis Chriſtiana pietas, quæ multis iacebat locis, reſtituta. Hæc cùm recordabere, Sanctiſſime Pontifex, tuæ non parum liberalitati, ac prouidẽtiæ gratulabere: & Pontificibus aliis, quæ ſint boni Pontificis partes tanquàm viuus ac ſpirans interpretabere de ſepulchro. Verùm longiùs, quàm voluiſſem, dicendo progreſſus ſum in is quæ cõtra Religionis oppugnatores acta ſunt: ad Catholicorum nunc res accedamus. Mitto, quàm multa

quæ

quæ ſiue populi ſiue cleri vitio dilapſa iam defluxerant,nouis curauerit decretis,ac ſeueris legibus vincienda.Mitto & Pontificij Iuris,cuius vt erat cõſultiſſimus,ita fuit & in candorem priſtinum reſtitutor: & œcumenicorum Conſiliorum,Tridẽtini præſertim,auctoritatem in rebus gerendis,Eccleſiáque adminiſtranda ſartam tectam quàm caſtè integréque conſeruarit. Mitto, quot ab illo iudicia grauiſſimis de rebus cõſtituta, & multis ſiue temporum,ſiue cauſarum dificultatibus impedita, inſperato penè exitu concluſa ſint. Teſtes quamplurimi,Colonienſis in primis Archepiſcopus, quem ſacrilegis inhiantem nuptiis, & aduerſus imperium,ac Religionem nõ pauca molientem,Gregorii tum ſententia,tum ſubſidium ab Eccleſiæ gubernaculis deiectum,in anguſtam compulit munitionem: inde verò profugientem,in terras vltimas exturbauit.Atque hæc iudiciorum ſunt, ac forenſis ſtrepitus: quid illa pacis ſtudia? Fuit ne alius Pontifex vllus amantior concordiæ,aut diligentior publicæ quietis fũdator?Gratulamur tam Genuenſium,quàm Melitentium Equitum diſſidia,& ſimultates,quod malum in dies manabat latiùs, nec ſine aliarum gentium tumultu, æquiſſimo iure ſublatas? Suſtulit Gregorius.

Admiramur Polonos inter,& Moſchos, homines ac armorum fragorem, ad perpetuas inter ſe diſſentiones atque odia, ad mutuam internecionem natos amicitiam ſtabili fœdere cōciliatam? Cōciliauit Gregorius. Lætamur tam diuturnâ pace per omnem Italiam, vt quæ creberrimis ardere bellis ad vaſtitatem vſque ac ſolitudinem ſolebat, ad humanitatis cultum,& ad priſtinæ pietatis conſuetudinem reuocata videatur? Reuocauit Gregorius, qui cunctando maluit, ſi quid emerſerat diſcordiarum, ſedare, quàm eorum, quos adamabat vt pater, fortunas, ac ſalutem in diſcrimen adducere. Hæc fuit Gregorij manſuetudo, hic tranquillitatis amor, hæc quieta cōſilia. Sed quid ago, Patres ampliſſimi? Laudationem hanc, quæ decurſo iam ſpatio calcem videbat, vix dū è carceribus emiſſā animaduertero, cùm cogitationē refero ad eorum multitudinem, quos ita Gregorij beneficia deuincêre, vt ei ſe nec minora, nec pauciora, quàm parentibus accepta referre teſtentur. Vultis vniuerſos hominum ordines, omnia publicarū rerum genera, quantum Gregorio debeāt, percunctemur? Quid Vrbs Roma? Quantum illa nouis fontibus, baſilicis repertis atque inſigni pompâ tranſlatis Diuorū corporibus, horreis, pontibus, palatiis, gymna-

ſiis, viis, porticibus, quæ tanquam rerũ mutarum linguæ, Gregorii nomen in omnem loquentur æternitatem, in priſtinum videtur excitata ſplendorem? Quid clariſſimus, ac ſacroſanctus Senatus veſter, Patres ampliſſimi? Quanta Gregorii fuit cunctatio, quanta conſiliorum tarditas, cùm rei magnitudinem ſecum reputaret, in hominibus veſtrum in ordinem cooptandis? Ab iis verò, quos cooptauit, quantis laudum ornamentis, quam variis virtutum luminibus Collegium veſtrum, velut cœlum ſyderibus illuſtratur? Et quidem ſi genus ſpectatur, agente Gregorio conceſſus veſter non Dynaſtarum modò, ſed Regum etiam, ac Cæſarum ſanguine purpuraſcit. Duo hæc maxima profecta ſunt à Gregorio in Senatum veſtrũ beneficia, infrequens vſus aggregãdi in Senatum, & ſagax in aggregando delectus. digna planè, quę reliquorũ etiam Pontificum conſuetudine ſanciantur. Sed in percenſendis, quibus ille beneficiis obſtrinxit pleroſque omnes; illud admiror, Gregorio non modò bene merendi nunquã voluntatem, ſed ne felicitatem quidem defuiſſe, vt ad curſum incitatiſſimo, hoc etiã calcar diuinitùs videatur admotum. Id quod cũ ceteris ex rebus planũ fit, tũ ex eo, quod in eius Pontificatũ, ſtati tẽporis vertẽte cur

riculo,incidit Iobelæum,religioſiſſima celebritas expiationum:quam effuſis connenarum centuriis frequentiſſimam, quantò ille Templorum apparatu,& expoſitis palàm diuorum oſſibus conſecrauit? Quantû viis ſiue aperiendis,ſiue ſternendis,ſiue amplificandis honeſtauit? Quanta commeâtus,annonæ,frugum omnium cōpiâ cumulauit?Quot inſtitutis, religioſisq; inuentis peregrinorum non aluit modò, ſed inflammauit pietatem?Quantâ Xenodochiorum, Sodalitatum, Sacerdotum, Optimatium ſedulitate perfecit, vt ab iis, qui ex quacumque cœli plaga conueniſſent,nihil ad ſecuritatem,nihil ad hoſpitium,nihil deſideraretur ad victû? Ex quo non iniuria factum eſt, vt ab Vrbe recedentes externi, Romam gentium patriam, Apoſtolicam Sedem, Matrem populorum, Gregorium autem veriſſimum omnium Parentem, diſſimillimis quidé vocibus ſimillimis verò ſententiis prædicarent, Vetera ſunt hæc, dicet aliquis? Quid recēs illud Gregorianę felicitatis exemplum? Ab inſulis Iaponiis, quarum propter diſiunctiſſima terrarum,ac maris interualla vix nomen ad Romanas aures peruenerat,miſſa eſt officij & obſequij cauſſa ad Gręgoriû Pont. Max.ſub extremû penè ſui ſacerdotij diem illuſtris, & pri-

prima poſt Chriſti principatum, ac Hierarchiam, legatio, hoc eſt, iuuenes duo Regiæ ſtirpis, præclaræ indolis, eximiæ pietatis laude florentiſſimi, Quos viciſſim quantâ Gregorius complecteretur beneuolentiâ, cognoſcere non ita pridem potuiſtis. Vidiſtis longæuum ſenem in Iaponiorum iuuenum complexus ruentem. Vidiſtis collacrymantem, cùm primas ex remotiſſimis hortis Antipodum decerptas Deo fruges offerret. Vidiſtis apparatum, Antiſtites, pompam, veſtium ſplendorem, ceteráſque & honoris, & amoris ſignificationes, vt acerbiſſimũ tanti Parentis obitum adoleſcentes regij optimo iure complorent. Porrò quid miramur, in omnes terras Gregorij manaſſe beneficia? Ad cœlum quoque (ſi dicere fas eſt) pertinuere Solis, ac Lunę curſus, quo annorum ſpatia, & feſtorũ dierũ viciſſitudines inter noſcuntur, aſſiduè a Mathematicis obſeruatus, frequenter agitatus in Synodis, à ſanctiſſimis Patribus nõ oſcitanter exploratus; fluctuare tamen nunquam deſiit, donec Gregorius inſignium Aſtronomorum operâ, rogatúſque Regnorum, ac Rerumpublicarum ſententiis, ita C. Iulij Cæſaris anno & Nicenæ Synodi decreto Sequeſter intercurrit, vt indiſſolubili lege nobis cœli conuerſiones, & temporũ,

celebritatumque recurſus,atque interualla conſtarent. O prouidentiam viri ſingularem,quæ non terras modò complexa eſt, ſed aſtrorum quoque curſus ad Eccleſiæ vſum redegit,iuſſitque, vt ita loquar, cœlũ Chriſtianæ diſciplinæ ritibus deſeruire! Iam verò,ſi placet, orationem plus nimio vagantem deuocemus è cælo;& in Vrbem, Italiámque retrahamus:in qua ſi Gregorianæ ſedulitatis,ac beneficentiæ monumẽta conquirantur, & voce præconis omnes quos Gregorij liberalitas ſubleuauit,ſe prodere iubeantur,tẽdent manus cõtinuò pupillorum,viduarũ,ægrotantium, vinctorũ, aduenarum, captiuorum greges, quorum nomina etiam deſcripta ſeruabat Gregorius,& velut amantiſſimus pater alimenta, veſtes,hoſpitium,ſumptus in alias res,prout ſingulis opus erat,etiam non rogatus diuidebat,Hinc Vrbe totâ collacrymatio pauperum,& velut ad commune funus eiulatio.Tendent virgines nubiles,& adoleſcentes ingenui:quorum illas à dedecore, ac maximis pudicitiæ periculis, collata in earum dotes pecunia,vindicauit:hos verò non paucos vel orbatos parentibus, vel euerſâ patria profugos,dum rectè literis ac moribus inſtituerentur,attributo reditu ſuſtentabat, Tendent & Neophytorum domus

mus quam in vrbe fundauit;& Dalmatæ, quos ad ædem lauretanam,vt virtutum, doctrinarúmque ſtudiis vacarent collocauit, ſpem gentis Illyricæ magnâ ſacerdotum & inſcientia, & penuria laborantis. Tendent Religioſorum hominũm familię, de quarum ſingulis ſi dicere non vacat; at mihi neq; ꝯ temperare,quin ſociorũ meorum omnium nomine, qui voces ſuas in mea vnius voce ſitas eſſe percupiunt, immortales agam gratias beneuolentiſſimo Parenti cuius magnificentiſſimis decretis ornati ſumus:tutelâ ac præſidio defenſi: auctoritate communiti:ope ac facultatibus recreati:& in hac pulcherrima orbis terrarum arce,ac domicilio, inſigni extructo Gymnaſio longè pluſquam mereremur,honeſtati: tandem multiplici beneficiorum genere ſubleuati per omnem Chriſtianum orbem ad extremos vſque Indos, atque inſulas Iaponias,ad quas etiam vel maximis diſſitas locorum inſtertitiis Gregorianæ munificentiæ lux penetrauit, eáſque collegiis aliquot exornauit,& ſeminariis regiorum etiã puerorum.Miſericordem Tabithæ induſtriam maiores noſtri demirati ſunt, quam & cõmendauit Apoſtolorum princeps,& viduæ prædicauere complures,eiq; vitam atque incolumitatem expoſitis elee-

moſynarum pretiis redemere. At quantula hæc omnis benignitas eſt, ſi cum Gregoriana conferatur? Circumſtent Gregorii tumulum quos Gregorii ſolabatur ærarium: lacrymis, & præcibus, in cœlum fuſis reponant gratiam, quàm ab eis Gregorii largitas iniit pignore benefactorum. Quã exiſtimamus abundè, quam luculenter, ac facilè Gregorio Deum, Deique immortalitatem demerebunt tot puellarum conſeruatus pudor, tot viduarum recreata ſolitudo, tot liberatio vinctorum, educatio tam multorum adoleſcentium, ſuſcepta tot gentium patrocinia, tot denique Martyrum triũphi? Martyrũ, inquam. Quid enim aliud eſſe dicam tam Romanum, quàm Rhemenſe Anglorum domicilia, Gregorij cùm cẽſibus, tum conſiliis inſtituta, quâm duo Martyrum Seminaria? vt in quo ſolo Gregorius magnus Chriſtianæ religionis ſementẽ fecit, ex eodẽ Gregorius noſter glorioſiſſimam piorum necem, & vberem ſanguinis vindemiam inter compedes, vngulas, ſcorpiones, equulos, cruces, ceteráque tormentorũ fulmina, ac tonitrua retuliſſe videatur. Aequum enim fuit, vt Gregorij Pontificatum, quem inſtiterant inferorum furiæ veterum rurſus tyrannorum immanitate, & procellis tanquam denuò naſcentis

tis Eccleſiæ perturbatę,eundem præpotens Deus priſca Catholicorũ virtute, veteris patientiæ trophæis, antiquæ fotirtudini monumentis, & clariſſimis Martyrums victoris illuſtraret. Te nunc apello Pont. Max.te inquã,nobis quidẽ extinctũ de cœlo tamẽ(vt religioſè opinamur) collucentẽ. Enauigaſti tandem ex terrarum Syrtibus,& vitæ huius ſcopulos præteruectus,in optatiſſimo portu conquieſcis.Multa nobis reliquiſti,quæ collaudemus; multa quæ imitemur? laboris tolerantiam;indefeſſam operam in cognoſcẽdis transſigendiſque negotiis,ſingulari comitate conditâm grauitatem,amplificandæ,Religionis ſtudium,frugalitatem,parſimoniam,pietatem in orando Deo,in procurandis ſacris aſſiduitatem, æquitatem iudiciorum,atque innocentiam. Ego verò nihil admiror magis,quàm incredibilem tuam manſuetudinem nullis labefactatam offenſionibus, & inauditam in ſumma poteſtate rerum omnium moderationem animi,vt in tantæ dignitatis faſtigio nihilominus,quàm cùm priuatus ageres,intemperantiam oderis,& inſolentiam, nullo ſacerdotij culminé,nullis adulatorum vocibus, nullo plauſu populi acclamantis elatus.rerum,opinor,humanarum ille imbecillitatem, fragilitatemque cogita-

bat, & adfuturum aliquando extremum diem, quo quidquid vſpiam honoris, glorię, celebritatis eſt, euaneſceret, Hæc ipſa vrbs, hæc Baſilica Principis Apoſtolorum, hęc Patrum corona, qui Gregorium videre quondam hexaphoris, auratâ, & tanquam curuli ſellâ ceteriſque Pontificiæ Maieſtatis inſignibus coruſcantem, iidem per hoſce dies illum viderunt exanimem, redactum in aliorum mortalium ordinem, in feretro iacentem, & de Pontificij celſitudine ſolij in pædores tumuli ſqualētis abiectum. Hic exitus, hic occaſus eſt honorum omnium: ad hunc ſcopulum quæcunque admirantur homines, illiſa franguntur: in has tenebras ac ſolitudinem, redigendum quicquid in mortalium oculis eniteſcit. Continenter, ac piê viuendi norma mors eſt: nec vitæ ſtadium rectà decurrit, qui in ſtadij metas non defigit obtutum. Hæc laus, hic apex ſapientiæ eſt, ea viuentē appetere, quæ morienti forent appetenda.

ORATIO
P. Benedicti Iuſtiniani è Societate Ieſu,
IN FVNERE INNOCENTIJ X. PONT. MAX.

EXTREMI, ac propè iam præcipitantis anni ſuperioris exitum

P P.

PP. AA. Innocentii Pont.Opt.Max.ſubita, atque in expectata mors, & quod caput eſt, non huic Vrbi ſolùm, ſed orbi Chriſtiano vniuerſo, triſtis, ac luctuoſa funeſtauit: huius inſequentis exordium, hæc ſolēnis cenotaphij pompa, hæ ſepulchrales faces, lugubris morientium pſalmodia, iſtius Ordinis ſolitudo, ac mœror, Vrbis ſquallor, & lacrymæ, hic denique parentantium apparatus, non ſine gemitu, ac lamentatione conſecrarunt. Fuerat hæc olim ipſius immortalis Dei inter homines naſcentis incunabulis, diuinique eius quaſi rorantis ſāguinis primâ effuſione initiata; quæ meritò beatarum mentium gratulatione, paſtorum veneratione, ac plauſu, ipſo denique Magorum aduentu, longâque peregrinatione celebrata, ingenti cum gaudio, ac totius Chriſtiani populi exultatione, anniuerſariâ commemoratione reuocabantur. Verùm, non dicam extrema tā ſolidi, ac veri gaudij, ſed ipſam exorientem lætitiæ materiā anteuertens, omnē animi noſtri ſenſum, ac motum luctus occupauit: quod ipſe etiam Sol princeps luminum reliquorum, qui toto fermè Innocētij Pontificatu, quaſi mortalibus tam ſingulare, diuinúmq; bonū gratularetur, clariori luce omnia complēs, terris affulſerat; ipſo deinde decumbente (ſi

Sol obscuratus

tamen in re tam graui, atque hoc auguſtiſſimo Chriſtiani orbis Senatu, poëtarũ more libeat ominari) cæcis, ac denſis nubibus obductus, iubar omne contraxit; mox etiã, eo iam vità functo, lento quodam imbre, quo veluti communi Eccleſiæ calamitati illacrymari videbatur, non obſcurâ ſignificatione declarauit. Adeò nunc verè, atque ex animo cum patientiſſimo, eodémq; ſanctiſſimo viro dicere poſſumus, verſam eſſe in luctum cytharã noſtram, & pſalterium in vocem flentium. Viderat non ita pridẽ hæc Baſilica Principis Apoſtolorum INNOCENTIVM hexaphoris elatum, auratâ ſellâ, pontificiâ thiarâ, auro, gemmiſque coruſcante, cæteris denique Pontificatus inſignibus tanquam alterum inter mortales Deum in veſtro PP. AA. quaſi diuorũ concilio refulgentem. Viderat Roma, atque incredibili omnium ordinum, ac ætatum acclamatione, & plauſu exceperat per Vrbem ad Lateranenſem Baſilicam equitantem, & ante paucos dies ſacroſancta illa ſeptẽ præcipua templa piè, ac religioſè obeuntem, & feliciter atque auſpicatò initio Pontificatus fructum ſperabat ampliſſimum. Sed ecce tibi (ô ſpes hominum fallaces, atque inanes cogitationes!) eundem omnes primùm quidem graui, ac periculoſo morbo laborãtem

non ſine dolore audiuimus; deinde etiã exanimem vidimus redactum in eorum ordinem, ac numerum, qui moriuntur omnes, & quaſi aquæ dilabuntur; & de Pontificij faſtigij celſitudine, ac maieſtate in ſquallẽtis tumuli pœdorem, horrorémque deiectum. Magnum omninò, ac memorabile humanę imbecillitatis, & cuncta cernentis Dei, occultóq; iudicio res humanas adminiſtrantis documentum, paucorum mentium ſpatio, tres ſummos Pontifices ita Pontificatum geſſiſſe, vt ſibi viui, ac videntes funeris pompam apparare, & tam claris inſignibus velut infulis velati ad mortem deſtinari viderentur. Faceſſat iam peruetuſta Platonicorum querela, diuinã propè, animi noſtri vim, quam ipſi diuinitatis particulã appellarunt, mortali terrenóque corpore incluſam, corporeis affectionibus ſubiacere: illud equidem vehementer admiror, ita hominũ animos hac rerum caducarum externâ ſpecie, ac fuco deliniri, voluptatum illecebris irretiri, ſenſuum lenociniis capi, dignitatum, atque honorum fulgore perſtringi; vt quem ad exitum vniuerſa feſtinent; quem ad ſcopulum quæcunque admirantur, ac ſuſpiciunt homines, alliſa tandem frangantur; quas in tenebras, ac ſolitudinẽ, ſiue generis claritudo, ſiue nominis, ac famæ ce-

lebritas redigenda ſit; quantam denique inopiam, atque egeſtatem aurum, gemmæ, & quicquid rerum, ac pretioſum diues India fundit, aliquandò peritura ſint, vel ſtultè non animaduertant, vel ineptè diſſimulent, vel perfidè inficientur. Longiſſimè (mihi credite) ab hac hominum amentia, atque furore abfuit INNOCENTIVS, qui ab ineunte ætate ita vitam inſtituit, nõ modò vt mentem diuini, humanique iuris ſcientia, longéque pulcherrima, atque honeſtiſſima plurimarum rerum, quæ ad vſum vitæ pertinent, cognitione complerent; ſed ita animum virtutis, atque honeſtatis ſtudio excoleret, vt quicquid voluptatis titillatione perficitur, quicquid corpus oblectat, quicquid denique impurâ, ac nefaria oblectatione ſenſum, animúmque permulcet, tãquam Syrenũ ſcopulos euitaret. Facio libẽter PP. AA. vt hinc potiſſimùm mea ordiatur, oratio, vbi excurrere, atque exultare facilè poteſt; quod rarum, ac propè inauditum ſit, ita quempiam vitæ ſtadium rectà decurrere, vt nuſquam offendat, atque in ipſo adoleſcentiæ flore, in illo æſtu, atque ardore libidinis, voluptatum cœno ſi non obruatur, at ſaltem non inquinetur; ſi non adhæreſcat, ne impediatur quidem; ſi non victus, ac defatigatus conſiſtat, at non curſum, conten

tio

tionémque remittat;ſi denique non moriatur,non cum aliquo languore, atque ægritudine aliquando luctetur. Proni ſunt hominum ſenſus & cogitationes ab ipſis penè incunabulis ad malum;ſic prorſus, vt vitia quidem,atque flagitia non vſu, & conſuetudine didiciſſe,non alieno exemplo, atque inſtitutione hauſiſſe, nō cum nutricis lacte ſuxiſſe, ſed cum ipſa exoriente natura penitus traxiſſe videantur. At extitit aliquando, & annos plurimos in hac vrbe, in hoc vrbis terræ theatro, in hac hominum luce; atque frequentia vixit, qui turpes libidinū motus, effrænatas voluptatis cupiditates, ſenſuum denique permoleſtas, ac importunas titillationes,vel nullas ſenſit, vel ita compreſſit, vt perfectæ, atque incorruptæ continentiæ laudem perpetuò conſeruaret. O te beatum, INNOCENTI, qui periculoſos adoleſcentiæ fluctus quaſi cuiuſdā procelloſi maris gurgites ita feliciter enauigaſti,vt quod de Baſilio, Gregorio Nazianzeno,atque altero Neocæſarienſi Gregorio, viris ſanctiſſimis accepimus, ſyrtes illas horribiles, ac penè innumerabiles ſcopulos prætervectus,non firmus,atque incolumis ſolùm,ſed integer,ac purus ad Rempubl. accederes: vt iam tum quaſi viro innocentiſſimo INNOCENTII nomen, quod

tibi in Pontificatu non ſine diuino conſilio placuit, iure tuo deberi tibi quodammodo videretur. Itaque præter indefeſſam in cognoſcendis, ac tranſigendis negotiis operam, diligentiam, ſedulitatem, integritatem, fidem; ita ſuam Paulo tertio Pontifici ſapientiſſimo, atq; acerrimi iudicij viro, bonis omnibus, paucis annis probauit induſtriam, vt difficillimis illis, ac periculoſiſſimis Eccleſiæ temporibus, quibus omnia quodammodo fluctuare videbãtur, Aueniononenſi Prouinciæ, pro Archiepiſcopo adminiſtrandę præficeretur. Quo ille in munere quatuor annos ita laudabiliter poſuit, vt ſingulari comitate condita grauitas, mixta cum æquitate incredibilis manſuetudo, cum poteſtate, atque imperio ſumma animi coniuncta moderatio, in rebus gerendis prudentia, in ſubiectorum animis leniter, benignéque tractandis induſtria, in periculis, & prouidendis, & auertendis prouidentia, pietatis, ac religionis ſtudium, victus ſingularis parſimonia, ſumma denique vitæ integritas, ac morum innocentia, futuræ laudis, & gloriæ quaſi quædam ſemina, & huiuſce poſtremæ, eiuſdémque maximæ Pontificię dignitatis omnia fuiſſe videãtur. Quamobrem Alexander Farneſius Cardinalis Ampliſſimus, qui hominis ingeniũ, ac

mores ex ea procuratione, tanquã ex vngue leonem agnouerat, non eſt paſſus, eum diutius in illo quaſi orbis terræ angulo latitare, qui poſſet in hac Vrbe velut ingeniorum palæſtra, maiore cum ſua laude, ac Reipublicæ vtilitate verſari. Hominem igitur in Vrbem reuocatum, in ſuam familiaritatem aſciuit, & ſua ipſius priuata negotio omnia, publicorum munerum maximam partem illius fidei, atque integritati, nec ita multò pòſt etiam Parmæ adminiſtrationem commiſit. His veluti honorum, ac publicarum functionum, & munerum gradibus ad Neocraſtenſem Epiſcopatum primũ Pauli IIII. iudicio, atque ſententiâ, tum Pij IIII. auctoritate euectus, omnium in ſe animos, oculoſque conuertit, vt qui iam tum communi omnium voce, ſupremo, ac ſummo Sacerdotio dignus prædicaretur. Audierat (credo) vel etiam ipſe legerat (quid enim vir eruditiſſimus nõ viderat?) Beatiſſimum Auguſtinum ita in Epiſcopatu vixiſſe, vt mensâ quidem ſuâ neminem, niſi maledicos, & detractores excluderet. Idcirco cùm ipſe ab ea labe ſe præſtitit ſemper immuné, tum eo morbo laborantes ita exoſos habuit, vt ne illorum quidem aſpectum ſuſtineret, aſſentatoribus autem ita planè offenſus erat, vt qui ab ipſo aliquid impetraturus

vide

videbatur, ſi blãdè aſſentaretur, oleũ (quod aiunt) & operam perderet. Muneribus ſanè, quibus à recto virtutis tramite plerique mortalium abducũtur, ſic prorſus abſtinuit, vt leuiora etiam munuſcula, quæ officij, ac beneuolentiæ gratiâ tranſmittuntur, maxima ex parte recuſaret, ne fortè quæ exigua per ſe eſſent, multitudine, ac frequentiâ obrueret, vel precioſioribus donis quaſi aditum aperirent, vel Epiſcopi certè fidẽ, atque integritatem ſuſpectam redderent. Neque verò vnius Epiſcopatus finibus, aut vnius Regni ſpatiis INNOCENTII gloria contineri potuit, ſed claruit in celeberrima Tridentina Synodo, quò iuſſu Pij IIII. vnà cum cæteris Patribus doctrinâ, & ſapientiâ clariſſimis conuenit, indéque ad omnes Chriſtiani orbis plagas, magnâ omniũ tum prædicatione, tum admiratione pentrauit. Claruit apud Sereniſſimũ Venetorum Senatum, apud quem auctoritate Pij V. Sanctiſſimi, ac vigilantiſſimi Pontificis, ſex integros annos Legatum Apoſtolicũ egit, eiúſq; Pontificis admirabile, planéque diuinum conſilium ineundi fœderis contra Turcarũ Imperatorem, vnde nobiliſſima ac poſt hominũ memoriã glorioſiſsima naualis victoria ad Echinadas extitit, Venetis ita perſuaſit; vt quòd factu difficillimũ putaba

tabatur, operâ, ſtudio, ac labore, non longiſſimo tẽpore perfecerit: vt illius tã claræ, atq; inſignis victoriæ magna pars INNOCENTII diligentiæ, induſtriæ, ac ſedulitati debeatur. Claruit in hac ipſa Vrbe, vbi Venetâ legatione perfunctus, & Epiſcopatus officio ſolutus, quòd illius cœli inclementiã ferre nõ poſſet, publicis muneribus ita præfuit, vt ſiue ſupplices libellos tractaret, diligentiam, ac ſedulitatẽ non vulgarẽ, ſiue de adminiſtranda Repub. cõſuleretur, iuſtitiã, ac prudentiam ſingularem, ſiue de fide, ac religione ab Inquiſitoribus interrogaretur, ſcientiam, ac pietàtem admirabilem; ſiue denique GREGORIO Tertiodecimo iubente, de imperij, poteſtatiſque finibus reſponderet, integram, atque incorruptam fidem, & conſtantiam præ ſe ferret. Quamobrem is, quem modò nominaui, GREGORIVS, de omnibus quidem Eccleſiæ partibus, ſed præcipuè de iſto Ampliſſimo, & ſacroſancto Collegio optimè meritus, cùm ineunte ſuo illo in omnem æternitatem memorabili Pontificatu INNOCENTIVM Hieroſolymitanum Patriarcham declaraſſet, eo ſeneſcente iam, atque ad exitum vergente; maioribus illum, atque illuſtrioribus ornamentis decorandum ratus, cùm viros vndeviginti omni virtutum genere, laude-

que

que præſtantes (ex quibus iam tres in Pontificatu ſucceſſores habuit) in Purpuratorũ Patrum numerum adſcriberet, ingenti omnium approbatione, & celſioris dignitatis comprecatione, atque omine Cardinalem non minùs auſpicatò, quàm ſapienter renunciauit. Cardinalis autem creatus cùm probè intelligeret, cùm loci, ac dignitatis celſitudine proximè præcipitij ruinam eſſe coniunctam, multóſque mortalium, aut cupiditatis turbine, aut ambitionis vertigine corruiſſe volubilem (ſi ita loqui fas eſt) fortunæ rotam trabali clauo defixit, ne ipſi fortè ſuâ volubilitate, atque inconſtantiâ aliquãdo noceret. Quid exſpectatis PP. AA. quid ſuſpicamini? quid mente, & cogitatione peruoluitis? Exſpectate rem quàm vultis magnam, nouam, inauditam, callidè, ac ſapienter excogitatam, inuentam, perfectam, ad omnes vitæ rationes conſtituendas opportunam, ad memoriam ſæculorum omnium, cunctarum gentium voce, ac prædicatione celebrandam, dignam purpurâ, dignam thiarâ, dignã immortalitate. Vincam profectò expectationem veſtram, præcurram omnes ingeniorum motus, ipſas etiam primas cogitationes præuolabo video vos oratione meâ vehementiùs commoueri: ſed niſi certa omnia, atque explora-

ta,

ta,& grauiſſimorum hominum teſtimonio, atque auctoritate comprobata narrauero, nolite credere. Parauerat ille ſibi (attendite quæſo hominiſne dicam ingenium, an pietatem, an vtrũque?) parauerat, inquam, plicatilem tabellam, quam inter cariſſimas res magna cum diligentia clauſam cuſtodiebat, in cuius parte altera, moribundi hominis, animamque agentis mœſta ſpecies depicta erat; in altera, elati funeris, atque exequiarum triſtis, ac lugubris pompa cernebatur. At quorſum? Vt quoties illam ſpectaret (ſpectabat autem tum maximè, cùm ſe in remotius conclaue ad numẽ propitiãdum reciperet) toties recordaretur, quis ſit honorum omnium, ac dignitatum exitus, quis terminus, toties intelligeret, quâ velut normâ omnes vitæ actiones, & dirigendæ, & metiendæ eſſent. Ergo vbi aliquid agẽdum erat, explicatâ ante oculos tabellâ, ſuorum conſiliorum, & actionum omnium rationes, ad ineuitabilem mortis neceſſitatem, & magni illius, extremiq; iudicij momenta examinabat: vt ne quid vnquam aggrederetur in vita, cuius ipſum poſteà pœniteret in morte; & quod maximè moriens probaturus erat, id verò dum viueret, prudens, ac volens amplecteretur. Neque dubitare fas eſt, cùm ipſe præcepto illi paruerit,

vt nouiſſima ſua cõmemorarit, quin etiam fructũ eius conſilij vberrimum ceperit, vt in æternũ non peccarit. Hinc (opinor) pius ille, atque laudabilis INNOCENTII metus manauit, quem Beatiſſimus Gregorius, ſingulare, putat integræ, caſtæque mentis argumentum, qui ibi culpam aut agnoſcit, aut ſuſpicatur, vbi noxæ periculum nullum appareat. Hinc eximius ille, penéque incredibilis veritatis amor, quòd intelligeret perditum iri omnes, qui loquuntur mendacium. Hinc illa tam conſtans, tam immota, támque inconcuſſa æquitatis, iuſtitiæque defenſio, vt nõ modò amori, aut odio nihil vnquam concederet, ſed neque illius celſitudinis obiectu allici ad flagitiũ, vel iacturâ propè iam certâ à recto deflecti, aut reuocari potuerit. Hinc vox illa planè diuina, quam identidem vſurpare ſolebat SI IVS FASQ. in diſcrimen adducatur, vel cum honorũ, ac dignitatũ aſſecutione contẽdat, ſe quidem facilè quicquid infra Deum eſt, calcaturum, modò integrâ, atque illæsâ cõſciẽtiâ ad extremum vſque vitæ ſpiritum perſeueret. Hinc illa perpetua, ac firma diuini, humanique iuris reuerẽtia, vt iam Põtifex creatus, cùm omnia poſſet, quæ Chriſtus humanæ vindex atque aſſertor libertatis, ſuum in terris Vicariũ poſſe voluit; plurimum

rimum tamẽ ſemper ſacris antiquorũ Patrũ legibus, ſanctionibusq; detulerit. Hinc illa cum ſeueritate iuſtitiæ temperata mãſuetudo, quam præcipuè in ſupremo fidei, ac religionis tribunali declarauit. Hinc denique præclara illa in omni vita æquabilitas, quà id conſecutus eſt, cùm vt veſtrùm omnium maximo cõſenſu, ac penè inauditâ celeritate, ſecundo comitiorum die, ingenti totius populi gratulatione Pontifex renunciaretur, tum vt ante totius Vrbis acclamatione, & bonorum omnium votis ſummo Pontificatu dignus iudicaretur, ſic prorſus vt omnium propemodùm gentium præiudicium in eo Pontifice declarando veſtra ſuffragia atque comitia præueniret. Verùm INNOCENTII Pontificatus breuis quidem fuit, ſed ſacerdotij gloria non vulgaris. Nam cùm probè intelligeret, hoc à ſe nouum Paſtoris munus efflagitare, cùm vt populos ſibi ſubiectos leniter, benigneque tractaret, tum vt à veræ religionis, Chriſtianæque fidei ſeptis, aut abductas oues reuocaret, aut aberrantes; ſuis, ſi opus eſſet, humeris elatas, ad ouile perduceret, nihil habuerit antiquius (Gregorianæ laudis æmulator, atque vtinam etiam hæres,) quàm vt laxatis populo Romano liberaliter nuper impoſitis vectigalibus de Barba-

ris ad Fidem conuocandis, déque hæretico-
rum perfidia tollenda, piè, ac ſapienter co-
gitaret: neque cogitaret ſolùm, ſed re ipſâ
perficere aggrederetur. Si quidem & Iapo-
niorum Eccleſiam impij, ac nefarij Tyrãni,
immanitate vexatã, ſuâ liberalitate mirifi-
cè recreauit, & Byzantinum Collegium, ſi-
ue Turcarum conuerſioni, ſiue Chriſtiano-
rum inſtitutioni, ac ſolatio iãpridem animo
deſtinatum, tantũ non inſtituit atque fun-
dauit. Mitto quæ de rebus Gallicis ad ſedi-
tiones ſedandas, & ciuiles controuerſias cõ-
ponendas, ſapienter, ad ſubleuandam iam
propè profligatam religionem, piè; ad pri-
ſtinam, & auitam fidem, atque doctrinam
reuocandam, aptè; ad perduelles, & diuini
humaníque iuris prædones, atque archipy-
ratas vel fallendos, vel opprimendos, calli-
dè, atque ingenioſè cogitabat: cùm vel ex-
tremam animam agens, & vix tum ſpirans,
Pontificio muneri non viueret ſolùm, ſed
maximè etiam incumberet. Nam grauiſſi-
mo morbo, quo is bonis omnibus, atq; Ec-
cleſiæ vniuerſæ ereptus eſt, moriens; cùm iã
cæteris ex partibus oppreſſa mens eſſet, ta-
men extremũ ſenſum ad memoriam Rei-
publ. ſemper reſeruauit: ſibi ac ſuis (quos
tamen grandæuus ſenex indulgẽtiſſimè di-
ligebat) penitus amiſit: ipſe per ſe caligan-
tibus

tib' morte oculis literas perlegere tẽtauit ſed oblatos ſupplices neſcio quos libellos vt moribundâ manu ſubſcriberet, integris ſenſibus, totóq; animo pernegauit; ipſe denique priuatarum ſuarũ rationũ oblitus interruptis, ac morientibus vocibus, quæ neceſſaria videbãtur mãdauit, & publicas Eccleſiæ neceſſitates, ne tum quidẽ, cum Pontificatu vitâque abibat, deferendas, aut negligendas putauit. O Põtificem dignum immortalitate, dignum æternitate, qui ad publica negotia natus, & ab ipſo Deo quodãmodo factus videbatur! qui cùm anteactâ vitâ, & multarũ rerum vſu; tum hoc ſuo bimeſtri Sacerdotio mortales omnes in ſpem magnã erexerat, fore vt INNOCENTII Noni Põtificatus poſteris omnibus ad memoriam ſempiternam, & quaſi perfectiſſimum exemplar ad imitationem prælucerct. Atque vt taceam quid bonarum artiũ, ac doctrinarum ſtudioſi, quorum ille patrocinium ſemper ſuſceperat? quid Romani adoleſcente, qui quidem literis, ac bonis moribus imbuti eſſent, ab eius munificẽtia, ac liberalitate ſibi iure pollicerẽtur; quid piorum hominum ſodalitia, ſancti monialiũ cœnobia, plurima quæ in hac Vrbe viſuntur, adoleſcentium collegia, Religioſorum familiæ, quid denique xenodochia

ſperare potuiſſent ab eo, qui ita ad omne genus pietatis propenſus erat, vt cùm in ſuis, ac ſuorũ rebus parciſſimus videretur, in iis tamen, quæ ad Dei cultum, ac religionem ſpectarẽt, ita erat profuſus, vt nullum neq; modũ, neq; finem largitioni præſcriberet. Quis non videt quãtâ ſpe deciderint omnes boni? Etenim INNOCENTIO Pont. lætabãtur rei frumẽtariæ atq; annonæ copiam incredibili Pontificis vigilantiâ, & curâ vndique comportari, exules, atq; latrones noſtris propè ceruicibus imminẽtes non tam ferro, & armis, quàm prudentia, & conſilio diſſipari, pontificias opes, & Eccleſię patrimoniũ nouis legibus ſanctiùs communiri, fidem, atq; obedientiam à ſubiectis exigi, non pecunias extorqueri, huius auguſtiſſimæ, ac magnificentiſſimæ Baſilicæ ædificationem magnis ſumptibus ſtrenuè vrgeri, res tum Eccleſiaſticas, tum ciuiles ad aliã quidem, ſed faciliorem lõgeque expeditiorem formam eſſe reuocatas; Magiſtratibus nouas quaſi leges, ac iura præſcribi; ſacerdotia non niſi probatiſſimis viris diſtribui; quóque id eſſet perpetuum, quandam eſſe rationem inſtitutã, quæ propediem euulganda, certa quædam capita, & quaſi canones contineret, quibus caueretur ne deinceps niſi pij, prudentes, atque eruditi ad

ti ad Eccleſiaſtica Beneficia promouerētur. Sic verò ſapientiſſimus Pōtifex de ſui muneris functione ſæpe ratiocinabitur: Romanum Pontificem ita prouinciis ſibi ſubiectis præeſſe, vt non Principis modò, ſed paſtoris, ac parentis optimi perſonam ſuſtineat; ita conſentaneum videri, vt quemadmodum ipſe cæteris Chriſtianis Principibus diuinioris, atque auguſtioris poteſtatis vi, ac maieſtate præfulget; ſic omnis Eccleſiaſticus populus vitæ ſanctitate, religionis cultu, ac fidei integritate ceteris omnibus Chriſtianis gentibus antecelleret. Itaque manſuetudinem, ac benignitatem ita cum auctoritate atque imperij maieſtate temperandam eſſe exiſtimabat; vt qui antea ſuis conſiliis maximè fidens, ſuæ etiam ſētentiæ tenaciſſimus eſſe conſueuerat inito Pontificatu, cum imperio, ac poteſtate nouam quandam docilitatem, atque facilitatem induiſſe videretur. Iam verò de iſto Ampliſſimo Purpuratorum Patrum ordine quàm præclarè ſentiret, quamque eius tuēdæ, ornandæ, amplificādæ dignitatis ſtudio teneretur, quid attinet dicere? cuidam ille, à quo ego deinde accepi, ſeriò affirmauit, nihil vnquam Cardinalium dignitate, atque auctoritate ſibi in vita carius futurū, modò ſuſtinerent ipſi ſe ſe, neque indignè abiice-

rent,quam diuinitùs acceperant officij maieſtatem. Verùm hæc omnia olim viuente INNOCENTIO fuiſſe verè non poſſumus affirmare:futura fuiſſe illo ſuperſtite, ſi anteactæ vitæ exitus quoque reſpondeat,ſi plurimi obiti magiſtratus ingeniũ, ac mores hominis ſatis declararunt, ſi ipſa Pontificatus auſpicia ſimilẽ curſum, atque exitum pollicebantur; nemo niſi inuidus poterit in dubium reuocare. Sed ætati quidem ſatis diu vixerat INNOCENTIVS, gloriæ plus etiam quàm ſatis. Huic vrbi, quam tanquam alteram patriam diligebat,in qua tot annos tãta cum laude verſatus erat, & quam ſibi recenti beneficio magis deuinxerat?Eccleſiæ vniuerſæ, de cuius cõmodis, atque vtilitatibus cogitandi, nõ priùs finem fecit, quàm animã efflauit; ampliſſimo huic Collegio,cui tantũ tribuebat, quãtum vix quiſquam aliàs auſus eſſet optare; bonis denique omnibus egentibus præſertim,& calamitoſis,quorum ſalutẽ,ac ſoſpitatẽ clementiſſimus parẽs ſuis, ac ſuorum rationibus anteferendam putabat, immaturè non tam ereptus, quàm ad punctũ temporis, quo grauiori vulnere noſtrûm omnium animi confoderentur,cõmodatus, aut etiam eminùs tãtum cõmoſtratus eſſe videretur. Neque tamen omninò fruſtrà: tametſi

metſi enim quæ ad Eccleſiæ vtilitatẽ, & ſapienter cogitarat, & prudenter cõſtituerat, nedum ad exitum perducere, ſed ne exordiri quidem, aut inchoare potuit; paucorum tamen dierum ſpatio quæ ſint optimi Paſtoris, atque Pontificis partes, non tam voce, & oratione, quàm moribus, ac vitâ declarauit. Cùm autem multa videntur laude, atque admiratione, lõgè autem magis imitatione digniſſima, tum haud ſcio an quicquam ſit, quòd INNOCENTII vitam, & Pontificatum magis commendet, quàm quòd vir alioqui ſui ſanguinis amantiſſimus, & in primis indulgentiſſimus in ſuos non modò ab officio illorum cauſsâ nullo vnquam tempore receſſit, ſed in hoc dignitatis culmine, ac ſummi Sacerdotij faſtigio conſtitutus ita de illis, & modeſtè, & demiſsè cogitabat, vt ſubita, ac propè inopinata mors, non tam thiaræ fulgorem, aut huiuſce ſublimis dignitatis celſitudinem, quàm hanc illi tam ſingularem, atque eximiam laudem præripuiſſe, atque inuidiſſe videatur. Porrò cùm ab infamia pietatem aduerſus Deum egregiè ſemper coluiſſet, eandem Pontifex creatus ita religiosè retinuit, vt ne decumbens quidem nocturnas, diurnásve preces ſtatis horis omiſerit: cúmque ingraueſcẽte morbo Medicorum con-

filio, atque auctoritate iis abſtinere cogeretur, illas tamen coram ſe iuſſerit integritas recitari. Auguſtiſſimum ſanè Euchariſtiæ Myſterium, diuinámque Liturgiam, tanta veneratione, ac cultu proſequabatur, vt cũ nihil magis haberet in votis, quàm Miſſæ ſacrificio (quod ipſe dũ viueret, ac valeret, quotidiè fermè frequentabat) intereſſe, antiquæ tamẽ grauitatis, & priſcorum Canonum nõ immemor, eo tam ſancto, ſolidóq; gaudio carere maluit, quàm permittere, aut pati, vt in eo, in quo ipſe iacebat cubiculo Agnus ille cæleſtis, qui mortalium omniũ ſcelera abluit, ſemel, aut iterum litaretur. Quamobrem ſacrificari ſuo loco, & ad ſe Hoſtiam ſalutarẽ ritè deferri iuſſit, quam, quoniam percipere nõ poterat, de more religioſè veneraretur: vbi verò naturæ vim, ac Medicorum artem, morbi malignitate ſuperante de procurandis Chriſtiano ritu ſacris, animóque expiando monitus eſſet, primùm quidem negauit ſe ab eo die, quo ſacram Synaxim perceperat (is fuit Chriſto naſcenti ſacer) vllius ſibi noxæ cõſcium eſſe: tum quæſiuit ſereno, ac tranquillo animo, vtrùm earum rerum tempus adeſſet. Quod vbi aduenisſe cognouit, ceterarũ omnium rerum curis abiectis, ritè omnia cùm peracta eſſent, nullum deinceps aut auribus

ſermo

ſermonem, aut animo cogitationem admiſit, niſi iis de rebus, quæ ad animi ſalutem pertinerent, cùm etiam paulò ante non ſemel faceſſere iuſſiſſet quoſdam, qui ipſi neſcio quid de priuatis rationibus inſuſurrabant. Meminerat enim, eum à Chriſto Domino fidelem, ac prudentem ſeruum appellâri & dignum qui in multis, id eſt, cęleſtiū ac diuinorum munerum poſſeſſione conſtituatur, qui in minimis, hoc eſt, terrrenis. alq; caducis dignā tanto munere fidē atque integritatem præſtitiſſet: quam cùm ille nullo vnquam tempore violaſſet in vita, mox ante omnium Iudicem ſiſtendus, in diſcrimen adducere nequaquam voluit. Sed finis ſit: nam mihi quidem venit in mentē vereri, ne, Deus immortalis, noſtris flagitiis, atque ſceleribus acriùs indignatus, tanto Paſtore Eccleſiam ſpoliarit, quod eā graui aliquo ſupplicio, breui aut probandam, aut (quod omen maximè abominamini) decreuerit eſſe mactandā, Te verò in hac mea extrema oratione appello INNOCENTI ſiue in illo iam Beatorum concilio (vt auguratur animus) immortalis viuis, ſiue propediem omni labe purgatus, multóque in hoc Pontificio ſolio lętior es cōſeſſurus, te inquam, appello, qui & clariori luce perfuſus, & vehementiori caritate inflāmatus,

res mortales neque negligis omninò,& Ecclesiæ procurationem ſine formidine, ſine labore,ſine ſolicitudine adhuc ſuſtines,petòq; à te,vt hanc Vrbis totius collacrymationem,pauperum, ac viduarum fletum, & veluti in communis parentis funere,omniũ ordinum eiulationem, bonam in partẽ interpretere, Eccleſiæ olim tibi cõmiſſa cauſam apud Deum Opt. Max. quantum potes (poteris autem quantum diuinitùs tibi, ac tuis plurimis virtutibus, atque promeritis conceſſum fuerit)promouere ne deſinas: vt quãdo ipſa per te didicit & quantum amiſerit & quid potiſſimùm debeat optare, votis etiam ſuis te maximè agente, te duce, atque auſpice aliquando damnetur.

ORATIO
P. IVLII NIGRONI
è Societate IESV,
IN LAVDEM S. HYACINTHI
Poloni, Ordinis Praedicatorum,

LAETOR vehementer hodierna die ſu hoc auguſto celebriq; templo mihi dicẽdi munus obtigiſſe,Card. Ampliſsimi,Patreſq, religioſiſsimi. Nam etſi permagnum quidẽ eſt,& verè etiam pertimeſcendum,in

tot virorum dignitate, iudicio, ſapientiáque pręſtātium corona, vnum quẽpiam peregrinum, ignotum auditoribus, imparatũ, aſſurgere ad dicendum penè ex tempore, de laudibus Beatiſſ. Viri Hyacinthi qui poſt ſeptẽ martyres cognomines ſuos primus huiuſce nominis Confeſſor, Doctor, ac Virgo, in cœleſtium numerum relatus eſt: tamen non valde gaudere nõ poſſum, cùm animaduerto, eo mihi die dicendum eſſe, quo primum die ſanctiſſimi huius Viri ſolenni ritu prece ſacrificioque colitur, à Prædicatorũ religioſiſſima familia, quorum vitã ille viuens profeſſus eſt: & eo in templo, quod iã dudum eſſe noui pleniſſimum ſanctitatis, eorum rogatu, quibus optantibus obſequi mihi glorioſiſſimũ duco: addo etiã apud eos potiſſimũ Auditores, qui pronis auribus, beneuoliſque animis excipient oratoris vocem de virtutibus eximiis, ſingularibuſq; ornamentis præclariſſimi Confeſſoris ſui, diſſerentis: & quod caput eſt, eo de Viro dicendum, in quo exornando, ne infantiſſimo quidem oratori, quãuis eum vox, latera, tẽpus deficerent, deeſſe poteſt oratio. Illud vnũ me nonnihil cõmouet, Auditores, vndenã potiſſimũ in tanta rerũ amplitudine, laudandi ſumam exordium: ab iiſne rebus quas victor ſui contempſit an ab iis qui

for

fortiter, ſanctè admirabilitérque ieſſit. etenim difficile dictu eſt, difficilius iudicatu. vtrum Hyacinthus in rerum vulgò ſpecioſarum contemptione fuerit admirabilior, an in conatu piè laudabilitérque gerendarum. At quia neutrum genus rerũ ſileri ſine culpa poteſt & ordiri neceſſe eſt ab alterutro, exordiamur à primo. Erat igitur Hyacinthus familia pernobili ortus, & in ampliſſimo Poloniæ Regno natus, vbi Nobilitas antiquiſſimo iure, creãdis ſibi Regibus, ipſa ſibi liberè dominatur. Fuerat ab illuſtribus parentibus educatus egregiè: doctrinis eruditus non vulgaribus: erat Iuonis Cracouiæ (quæ ciuitas Regni Polonici caput, ac regia ſedes eſt) Epiſcopi copioſi, ac locupletis fratris filius: à quo & canonicatum erat in eadem Eccleſia cõſecutus. Quid præ- tereà? rebus grauioribus gerendis erat exercitatus a patruo, Romæ verſatus aliquãdiu, Romanæ curiæ carus, Pontifici qui tum Eccleſiam vniuerſam gubernabat, Honorio Tertio gratioſus: ac proinde non modò tenebat penè manibus Epiſcopatum Cracouiẽſem, ſed etiam ad ampliſſimos quoſque honores ſibi aperuerat viam. Quid hîc expectatis auditores! Poſitus in tam ſecundo rerum humanarũ fluentium ad voluntatem curſu, ætate, ingenio, nobilitate, gratiâ, opibus

Ferd. de Caſtiglio in hiſtor. generali ord. Præd. P. 1. lib. 1. cap. 8. & Seraphinus Razzil. de ſanctis Ordinis Prædic. Aug. Mõtalcinus Ordinis Prædic. in ſumm. vitæ & miraculorũ Hyacint.

bus,honoribúſque florens,ſponte ſua,diuina quadam animi celſitate præditus iſthæc momento tẽporis vniuerſa deſpexit, repudiauit,abiecit,ac meliora ornamenta vitæ præſentis,melioráq; bona conſequentis intuens,maluit nuncium Mundo remittens delicias afflictatione corporis,honorũ ſplẽdorem obſcuritate vitæ,diuitias paupertate religioſa commutare,gratiamque Dei gratiæ mortalium anteferre. O animum excelſum! ô mentem altiſſimam viri rés caducas omnes,ſed prudentiſſimè deſpicientis! Quẽ enim ordinem religioſorum in hac vitæ cõmutatione complexus eſt? cum nimirum, qui vnà cum Ordine Minorum à Franciſco Aſſiſiate Viro notiſſimæ ſanctitatis inſtituto,tunc primùm ad ſalutem Chriſtianorum efflorescebat, Ordinem,inquam, Prædicatorũ, viuente adhuc,atque illum recipiẽre in ordinẽ,ipſo Sanctiſſ.viro Dominico,qui hanc familiam, & fundauerat, & ducebat. Quo conſilio? qua mente? cuius impulſu complexus? eo ſanè conſiliò,vt ſibi per religioſã vitam faciliùs ad Cœlum aditũ pateſaceret: eâ mente, vt patriæ commodiùs prodeſſet ſuam operam depoſcenti: eius impulſu, qui quemque ad optima ſemper impellit. Cũ enim Iuo patruus,de ſuo grege ſollicitus Paſtor enixè peteret à S.Domini-

co,vt in Poloniām è ſuis ſodalibus mitte-
ret,qui populos illos verbo excolerent, &
exemplo:contra Dominicus affirmaret ſe-
ſe peritum religionis illius,ac linguæ, qui
mitti poſſit, habere neminem: Hyacinthus
derepentè diuino afflatus ſpiritu,Dominici
ad pedes accidit,ei ſe offert,nec opinanti:
nulla interponitur mora,induitur religioſo
habitu,recipitur in diſciplinam, conſecra-
tur Deo in familia Prædicatorum, Quam
cùm ego nomino(honoris enim,& verita-
tis cauſſa nominabo ſæpiſſimè)cupio vos,
Auditores,teſtatus Deum immortalem me
nihil gratiæ,nihil auribus dare,cupio, in-
quam,vos intelligere eum religioſorū ho-
minum cœtum optimis temperatum legi-
bus,perHonorium Tertium Pontificem ab
Apoſtolica ſæde comprobatūm, qui non
modò quatuórue Pontifices Maximos,
permultos Cardinales,innumerabiles pro-
pemodùm Epiſcopos Eccleſiæ peperit:non
modò viris doctiſſimis,qui Chriſtianorum
magiſtri verò habentur, per quadringen-
tos ferè annos floruit non modò Domi-
nicum parentem ſuum,Thomam Eccleſiæ
doctorem,Petrum Martyrem, Vincentium
concionatorem egregium,Anthonium.Epi-
ſcoporum formam, alioſque in Sancto-
rum numero ritè locatos edcauit :. ſed

Hier.Platus lib.2. de bono ſtat.reli. cap.2.

etiam, quod ego maximum duco, cum propria ſit, ac ſolida laus (illa enim cum aliis religioſorum ordinibus communia ſunt) iam inde ab ipſo ortu vſque ad hoc tempus perpetuus fuit, conſtans, & acerrimus, non ad ſudoris modò, ſed etiam ad ſãguinis vſque effuſionem, Catholicæ fidei, ſinceréque Religionis, & deffenſor, & propugnator, Magna laus hæc Hyacinthi eſt, Card. Illuſtris fuiſſe tantæ filium Parentis: magna laus familiæ tanti fuiſſe filii Parẽtẽ. Optimam Hyacintho dederat educationẽ Mater: maximum Hyacinthus reddidit decus Matri. dicam itetum, & clarâ voce atq; intentâ dicam, vt omnes exaudiant. Magna Hyacinthi laus eſt, ex Ordine prædicatorũ extitiſſe: verùm fortaſſe non minor illa eſt, fuiſſe ex primis, qui ſunt in hunc ordinem cooptati. Prudenter enim Vmbertus Quintus magiſter vniuerſi ordinis veſtri monuit, Patres optimi, vt in Eccleſia ſua fundãda Chriſtus Saluator noſter Apóſtolos excitauit, Viros, vt vno verbo dicam, tales, quales poſterioribus ſæculis omninò nulli extiterunt: ita religioſorum hominum ordines nutu diuino recens inſtitutos, diuino item inſtinctu, viri magni animo & prudẽtia rerum agendarum: magni ingenio, doctrinâ eloquentiâ: magni probitate, ac vir-

Humb. in c. 23. Reg. S. Auguſt ca 40.

tu

tutè complectuntur, quales eorum poſteri deſiderare magis quàm videre conſueuerũt. Quare cùm Hyacinthus ab ipſo Auctore Ordinis Dominico ſub initium erectæ familiæ in Prædicatorum numerum lectus, & adſcriptus fuerit, meritò dici poteſt, Apoſtolus veſtri Ordinis, & vel hoc ipſo nomine, quod inter primos adſcitus ſit, magnus, & ad magna vocatus à Deo putandus eſt. Dixi de rerum humanarum deſpicientia: reſtat de rebus geſtis dicendum. Hyacinthi porrò res geſtæ, aut actiones fuerunt virtutum, imitandæ, aut miracula admirãda, quę partim ab eo dum viueret, patrata ſũt, partim poſt felicem exceſſum è vita. Ac mihi quidem in Polonia, quo non multò poſt mutatam vitæ rationem, iuſſu Dominici, vineæ Euangelicæ cauſſa colendæ profectus eſt & vbi tanquã in latiſſimo cãpo diutiùs virtus eius quaquà verſus excurrit; mirabilis viſus eſt, in actione vitæ cũ cõtẽplatione, tẽperanda, mirabilis in reliquis virtutibus, quæ inter ſe pugnare videntur, mira quadam concordia permiſcendis. Etenim humaniſſimus erat in alios, aduerſus ſe ipſũ aſperrimus. Peccata in aurem ſibi confitentibus collacrymabatur, & in eorum animos aculeos reprehenſionis ſalutares iniiciebat. Interdiu ad laſſitudinem vſque defati-

gabatur agendo:& ad Sanctorum aras pernoctabat, in precibus, aſſiduus erat in concionibus, & terga nodoſis funiculis ad ſanguinem vſque verberabat. Peregrinabatur pedes & diem integrum ieiunus. Sollicitus erat de ſalute finitimarum regionum, nec tamen prouinciam ſuâm incultam deſerebat, Quis proh Deus immortalis! tot res, tam dificiles, tam inter ſe pugnantes conficere colligaréque potuiſſet, niſi diuina magnitudine animi, ac ſapientia fuiſſet instructus? O vir laborum victor, quàm anguſta erat pectoris tui latitudini Polonia prouinciarum omnium ampliſſima, cum de finitimorum regnorum ſalute cogitabas? cum in Bohemiam concionatores, euangelicoſq; operarios ſubmitebas? cum ipſemet luſtraturus vaſtiſſimas illas regiones ad Septentriones Oriẽtemq; porrectas, & fame diuini verbi laborantes ſatiaturus eò iter arripiebas? Attẽdite quæſo Auditores, rẽ ſingularem, admirabilẽ, inauditã; cum miraculis æquandam prophetarũ. Deligit tres è ſuis, itineris comites, & laboris: pedes iter ingreditur Maſoniam verſus. Peruenit ad fines eiuſdem prouinciæ (quæ Poloniæ adhæreſcit. Cum ad oppidum celebre, cui nomen eſt Viſogrodium, diuertere cuperet, incurrit in flumẽ (Viſtulam opinor) cũ per ſe magnũ,

tum verò liquefacta niue, fractóque gelu turgidius ſolitò atq; incitatius. Non pôs, nō linter ſe offerebat tranſeuntibus Charitas cupidam ante noctē in oppido cōcionādi, traijcere imperabat: ſed humana ſubſidia deerant charitati, Quid hoc loco cōſilij capiat, Auditores, Chriſti peregrinus? Nō erat ille Moyſes, qui virgâ Erithreum mare ſecans, aperuit ſuis viā inter tumentes flu-
*Exod.*14. ctus. Non ille Ioſue, qui Iordanē cohibere curſum incitatū iuſſit. Nō Eliſæus, qui pal-
*Ioſ.*3. lio diuiſit iā doctū hominibus parêre, Ior-
*Reg.*2. danem. Memor tamen eundem præeſſe atq; ineſſe rerum Naturæ Deum, qui omnia poſſit, memor Chriſti Domini ſui ſupra mare quōdam ambulant s, ſpe ac fiduciâ plenus, diuinitùs, vt par eſt, credere excitatus, audet rem tentare ſupra naturæ vires. Quid faciat? Dat ſe primùm in preces cū comitibus: deinde Signo munitus Crucis, nouo modò, non ante Chriſtum, vt reor, audito, neq; vſitato, fluuium, non fluentem aquis, ſed furentem vndis, ſed feruentem vorticibus, ſed ingētia glaciei fruſta voluentē, premit, calcat, tranſmiſſurus pedibus calceatis quaſi ſolidā tellurem nihil cedētem plātis Sodales metu perculſos pendentes animi inopes conſilij nihil fluctuās ipſe: nihil ſub fidēs, animare, inuitare, prouocare, vt ſe in

ſe qua

ſequamur: renuere illi rem metientes humano modulo, ſtupere, formidare periculũ hærere in ripa. Hîc Hyacinthus tergo fluminis ſuſtentatus, ſtans in gradũ, tanquã alter Eliſæus proiicit palliũ: eo vt explicato, pro nauigio vtãtur, imperat Illi tandẽ mirando Magiſtri ſui ſtatu minimè fluctuãtis animoſiores facti cõmitunt ſe pallio, credũt ſe vndis: & trahente inuſitatã nauiculam, gubernãtéq; Hyacinto, delati aliquantum amne ſecundo fluuiũ omnes tranſmitunt incolumes, ſicâ tunicæ talaris ora, ne ſoleis quidẽ madefactis. Quid in hoc miremur, Auditores? Fidemne in Dei prouidentiã, an factum ipſum? maxima fides: maximum factum: illa ſingularis, hoc planè nouum. Calcauit Chriſtus vndas intumeſcentis lacus: Hyacintus rapidiſſimi fluminis fluctus. Preſſit plantis ſimbriuinum ſtagnum placato æquore Maurus, ad imperium Benedicti Abbatis parendi magis cupidus, quã cogitans de periculo: Hyacinthus Viſtulã incitatiſſimo curſu præcipitantẽ, vltrò meditatus, periculi gnarus, pedibus preſſit. Scidit Eliſæus pallio Iordanem profluentem, vt vado ipſe tranſiret: ſuis hic diſcipulis de pallio lembum fecit. Chriſtũ imitatus Hyacinthus Maurum vicit in ſe, Eliſæum penè vicit in ſuis. conſtanti famâ accepimus, S. Frã-

Matth. 1 *S. Greg. l. 2. Dial. cap. 7.* *4. Reg. 2* *Ex Breuiario.*

ciſcum,cui à Paulo patria cognomẽ eſt, Siciliẽſe fretum;pallio ſuo pro cymba vſum traieciſſe,quod inhumani nautæ,ſine naulo tranſportare virum pauperrimum recuſaſſent ac deſeruiſſent in littore. Magna res, magnus animus.Fides æquè vt illa mirabilis. At quod longo interuallo poſt Hyacinthũ vixit Franciſcus;potuit ab Hyacintho didiciſſe,audere magna,fidere Deo. Neque enim indignum eſt,virum ſanctum, ſancto erudiri magiſtro.Mitto reliqua.Non enim eſt huius temporis,hoc eſt ſemihoræ, non dico explicare ornando,ſed percenſere numerãdo miracula omnia Hyacinthi,ſpectata;probatæ fidei,teſtata. Extãt publicæ tabulæ:extant diplomata pontificia:extat libellus ex hiſtoriis ea cõplexus vniuerſa.Ibi dicũtur mortui nõ pauci per Hyacinthũ ad vitã reuocati:mãcæ digitis manus redintegratæ:redditæ ſegetibus fruges,quas grãdo ſuſtulerat:depulſæ febres, eiecti dæmones de corporibus:cæcis videndi,audiendi ſurdis,claudis ingrediendi reſtituta facultas:ex dictis facite de reliquis coniecturã.Iã verò quãdo in eo primario tẽplo ſumus cui Beatiſſima Virgo Maria cura materna præſidet,fas non eſt præterire Hyacinthi religionẽ quà colebat eã glorioſiſſimã cœli orbisq; Reginã,quæ cũ omnium religioſorũ

ordinum,tum in primis prædicatorũ Patrona eſt. Is igitur nullum diem feſtum tantæ Virginis aduentare ſinebat, quin pridie ſe vino cibóque omni,præter panem abſtineret. Tantâ erat cum ea familiaritate piâ coniunctus, vt tanquam cum amantiſſima Matre filius ageret in precibus ſuis: illa viciſſim erga Hyacinthum,vt mater erga cariſſimum filiolum gereret ſeſe. Nam primũ oranti illi ad aram ipſius, pridie eius diei, quo virgo in conuentũ beatorũ corpore recepta eſt, viſa eſt repentè labi de cœlo incredibili circunfuſa ſplendore, quæ hunc filium ſuũ affata eſt ſuauiſſimis verbis,atque ad progreſſus in virtute continuendos adhortata vehementer. deinde cùm placuit Deo auctori vitæ,mercedem laborum reddere Hyacintho,ei pia Mater,quo paratior eſſet ad exitum vitæ mortalis,diem mortis, atq; horã prænuntiauit. Quin etiam eo ipſo die, quo Virgo quondam in cœlum abiit, Hyacinth' hortatus ante obitũ ſuos,ad vitã virtute colendã,ſacramẽtiſq; omnibus inſtructus,corp' quod corrũpitur in terra deſeruit, atq; in cæleſte domiciliũ beatorum euolauit. Poſtremùm, vt ſanctiſſimæ cuidã fœminę quę annos totos quadraginta ſummâ integritate vixerat,per viſum ſignificatũ eſt,eadẽmet Dei Parẽs multis beatarum

mentiũ comitata cohortibus,animum eius inuexit in cœlum; atque inter beatos non humili in ſede collocauit. Vix obierat,cùm ſepulchrũ coruſcare miraculis cœpit. Inter quæ illud, quod eximiæ cuiuſdam virtutis argumentũ eſt,nullo modo prætereũdũ videtur. In funere priſcorum Regum, Auditores,atque Imperatorum defunctorum,cùm eorũ impura cadauera de more cremarentur,vt fœtoris grauitas à naribus viuorum depelleretur,magna vis odoium in eundem rogum coniiciebatur. Ducentas,& decẽ lecticas odorib. precioſiſſimis refertas arſiſſe cum L. Sylla teſtantur hiſtoriæ:quin etiã in eodem ambitioſo funere,humanæ magnitudinis ſimulachra duo, alterum Syllæ, alterũ lictoris,ex diuerſiſſimis lectiſſimiſq; odoribus,quos Romanæ fœminæ contulerant,ficta,cum exſangui corpore, iiſdẽ flãmis incenſa fuere. Verùm diſſimilem voluit Deus mortẽ eſſe piorum, quorũ ſanctiſſima corpora,vt ab omni turpitudine,dum viuerent,abhorruerunt;ſic mortua, integra ferè, atq; ab omni corruptela diuino munere cõſeruantur aliena. Longum eſſet narrare de omnibus,quorũ è ſepulchris patefactis, ſepulchrorũm ve rimis,mira quędam,ac diuina ſuauitas odoris afflata eſt. Ac ne egrediar ex iſta veſtra familia prædicatorũ, Patres

Plutarc. in Sylla.

tres

tres optimi, vbi tot virtutum exẽpla ſuppetunt, & miraculorum: nónne veſtris annalibus proditum eſt, Dominici Familię conditoris, Iordanis qui proximus Dominico, in ordinis ductu ſucceſſit: Thomæ Aquinatis Theologorum Magiſtri corpora, de ſepulchris odorẽ ſpirauiſſe? neq; verò defuit diuinum hoc beneficiũ Hyacintho, cuius ad ſepulchrum procũbentes multi deprecaturi, marmorq; de more piè oſculati, ſuauiſſimum odorem effluere inde ſenſerunt, ac teſtati ſunt. Æquũ enim erat, vt cœleſtis odoris iucunditate, eius qui diuino quodam, nõ humano modo vixiſſet, ne mors quidẽ, quæ maximè putatur hominis propria, humana videretur. Sed quã virtutem, Auditores, ſignificari hoc odore, ac pręmio donari dicemus? eam opinor, quã Hyacinthus in Virgine Dei Matre tantopere ſuſpiciebat, adamabat, æmulabatur, Virginitatem. Huius virginitatis odor indicium; huius virtutis ſuauitas præmium fuit. Id quod Stanislaus martyr ſanctiſſimus Cracouiæ quondã Epiſcopus, Prandotæ Epiſcopo item Cracouiæ funeris curatori, orãti à funere, atq; obdormiſcenti cœleſti viſo ſignificauit. Quo viſo ſpecies Hyacinthi coronati, ac redimitti, Prandotę obiecta eſt; hoc eſt, pręter coronã auream gẽmis fulgentibus illuminatã boa-

titudinis ſummæ argumentũ; gemina ſerta cœleſtibus intexta floribus capite geſtãtis, quorũ alterũ Doctoris erat inſigne, alterũ Virginitatis ornamẽtũ. At hoc loco quęret quiſpiam ęx me: quãdo Hyacinthus in cœtum beatorum receptus eſt, ante ſeptem & triginta ſupra trecẽtos annos: atq; illâ ipsâ horâ, quâ ceſſit è vita, Diuinitas ſe illi in æternum cõtemplandã obiecit, quid ei factũ eſt 15. Kal. Maias, hoc eſt nudius octauus? Fateor equidẽ vera eſſe quæ dicũtur: abiit Hyacinthus in cœlum anno poſt Chriſtum natum, ducẽteſimo quinquageſimoſeptimo ſupra milleſimũ, beatitudinem eo temporis puncto, quo abiit, cõſecutus. At id Eccleſiæ toti, non ante diẽ quintũdecimũ Kalendarum Maiarũ conſtitit. Diuinæ igitur Naturæ conſpectu frui, beatique Hyacinthũ, vt ante id tẽpus piè credebamus, ita nũc certò ſcimus; ab eo tẽpore, quo Clemens VIII. Pont. Max. atque optimus, toto pectore in cõmune bonũ incumbẽs, hac Hyacinthinâ gemmâ, cuius fulgorẽ sãctitatis in Polonia Cardinalis, ac legatus Apoſtolicæ ſedis viderat, Eccleſiæ militãtis Paludamẽtũ exornauit. Qui gratificaturus Sigiſmundo Tertio Poloniæ, ac Sueciæ Regi optimo, & potentiſſimo, Regnóque Poloniæ nobiliſſimo per oratorem clariſſimũ virũ id poſtulãtib'

gratificaturus etiam vobis, Patres religioſiſſimi, votis aſſiduis idem, precibúſque à Deo expetẽtibus, ritu ſolemni, more maiorum, celebritate maximâ, decreto diuinitùs facto, Hyacinthum, & beatum eſſe, & vt ſanctum poſthac toto orbe terrarum templis, aris, ſignis, tabulis pictis, facibus, odoribus incenſis, ſacriſque colendum, inuocãdũ precibus, propitiandũ donis declarauit. Diu Hyacintho debitus honos, nõ illi ſublatus, ſed dilatus: non ereptus vlli, ſed reſeruatus multis: & reſeruatus diuinâ prouidentiâ huic tẽpori, quo peruerſi quidã homines adeò impiè in sãctorum cultum honoréſque inuehuntur, vt repetitâ conſuetudine à priſcis vſque tẽporibus referendi viros probatæ ſanctitatis in numerum beatorum, illi cõmutatæ religionis antiquæ coarguantur. Reſeruatus huic Pontifici, vt eius Clementiæ daretur inſignis occaſio, inſigniter benemerẽdi de familia veſtra, Patres optimi, Reſeruatus denique vobis: vt ſicut ineũte hoc ſæculo poſt ſalutẽ datã mortalibus decimoſexto, ideſt, vt planiꝰ dicã, anno tertio, & viceſimo, Antonio Florẽtinorum Archiepiſcopo alumno veſtro per Adrianũ ſextũ Pontificẽ inter beatos adſcripto, veſter ordo decoratus eſt: ita etiam eodẽ ſæculo exeũte, anno inquã quarto, & nonage-

ſimo,idē à Clemēte Octauo, nouo honore declaratæ Hiacinthi beatitudinis illuſtraretur, Verùm quâ pompâ id factū eſt, Deus immortalis? quâ celebritate? quâ lætitiâ? Dicere audeo, Patres optimi, nec opinor, temerè dicā. neminem ferè ex ordine veſtro, tāto cum honore ſanctū fuiſſe renūciatum, quāto Hyacinthum vidimus renūciari. Retulerūt quidem inter cœlites Gregori' IX. Dominicum Parētem, ac ductorē veſtrum: Innocentius Quartus Petrum, qui pro fide Catholica martyr occubuit: Ioannes XXII. Thomā Aquinatem, qui doctrinâ ſuâ prælucet Eccleſiæ. Pares erant auctoritate illi Pōtifices, Clemēti Octauo: nō nego. At vbi nam id præſtiterūt, Auditores? quā in celebribus, ac frequentibus Ciuitatibus? Reate Gregorius, in Vmbilico quidē Italiæ, vrbe vetuſtâ, atq; honeſtâ, quò valetudinis gratiâ ob ſalubritatē loci ſub æſtatē ſeceſſerat, ſed tamē neq; frequētiâ ciuiū, neq; magnitudine ſitus, Romæ cōparāda. Peruſij Innocentius, quæ ciuitas perantiqua atque illuſtris, licet ſua habeat egregia nobilitatis ornamenta, celebritate tamen populi, haud opinor cum Romana contendet. Auenione in Gallia Ioānes: qua in vrbe maximi Regni non magnâ, neque habitatorum multitudine cum Romana, neque ſplendore conferen

Platina in Greg. 9. Leāder in Italiæ deſcr. in Hermicis. Litera Canonizat edita ex reg. Vat. Gregor. 9. per Gerardū Voſſium.

ferenda, tanquam extorris Pontifex morabatur. Hoc neceſſitas tulit. Eſto: propterea ſanctitate magis ceremoniarũ, quàm celebritate locorum cohoneſtatos aſſero illos beatos viros. At Hyacinthus, à Clemente, Sãctus, ac beatus iudicatus eſt, nõ in aliquo orbis angulo, ſed in ampliſſima, celeberrima, & frequentiſſima Vrbe Roma, quæ vt quõdam caput orbis Imperio fuit, ita nunc Princeps eſt, religione. Quo in templo tãtæ vrbis, nempe in eo, quod quia Principi Apoſtolorũ Petro dicatũ eſt, & à ſummis Põtificibus certatim regiis ſumptibus inſtauratur magnificentiſſimè, & pulcherrimè exornatur, tẽplorum (vno excepto) Chriſtiani orbis obtinet principatum. In eo porrò auguſtiſſimo templo, quàm viſẽdus fuit apparatus? qui numerus Cardinalium? quæ religio ceremoniarum? quæ ſummi Pontificis pietas, & maieſtas? quę frequentia ordinum omnium? quod piorũ ſtudium? qui cõcurſus populi Romani gratulãtis? qui niſi templo fuiſſet excluſus, in tẽplum Romam ipſam, ſuis effuſam domibus, incluſiſſet. Quãtâ denique rerũ omnium religione tẽperata alacritas? quæ profectò tãta fuit, vt non modò mortales cũcti, qui intererãt, lætarẽtur. columnæ ipſæ tẽpli pretioſis, & auro fulgẽtibus periſtromatis conueſtitæ, parietes appa-
ratiſ

ſatiſſimi;tecta,muſicis vocib. cereis collu-cẽtibus,thure ceteriſque ſuffimẽtis, ſola feſta frõde,ac floribus ſtrata geſtire, cœlũ inſolitâ hilaritate ridere, gratulari aër pulſu cãpanarum,terra ſtrepitu bõbardarum applaudere viderentur;ſed etiam Hyacinthus ipſe de cœlo ſpectans honores ſuos,quia de nouo gaudere poterat,immortaliter gauderet. Neque verò temporis ac diei, quo res acta eſt,prætereũda eſt conſideratio. Nam primùm dies ille Dominicus, qui in Albis dicitur à maiorib. noſtris,tum quia numeratur octauus à Chriſti reuiuiſcẽtis cõmemoratione: tum quia, qui ſacro baptiſmate initiabantur, in togis albis viſebantur,ſemper lætiſſimus, ac religioſiſſimus eſt habitus.Deinde reor accidiſſe diuinitùs,vt qui caloribus æſtiuis,medio Auguſto mẽſe conceſſit ad ſuperos, eius beatitas innoteſceret medio. Verè ſcriptores enim rerũ naturalium diligẽtiſſimi prodiderũt,è vernis florib. Hyacinthũ florẽ ſuaueruben-tem maximè durare. Referte nunc cogitationem,Auditores,ad eius,quẽ celebramus, & colimus, nomen:nónne animaduertiſtis vocari Hyacinthum? Quid ſibi vult ergo Hyacinthum Põtificis oraculo beatum decerni, veſtitâ floribus humo, totâ ridente Naturâ,atque,vt planiùs loquar, Vere medio?

Plin. lib. 21. cap. 11.

dio?

dio? O admirabilē Dei ſapiētiam in hominibus vitæ, virtutique congruentibus imponendis!' Vere medio beatus decernitur Hyacinthus, vt nimirum intelligamus eum eſſe, qui nō modò familiam ſuam, patriam, Poloniam, Eccleſiam militātem, tanquam flos vernus caritate purpureus exornaturus eſt, verùm etiā in amœniſſimo illo, & florētiſſimo triūphātis Horto, vbi pro ſole Deus eſt: pro tēpore æternitas, pro quarta viciſſitudine tēpeſtatum, ver perpetuū, quaſi cœleſtis Hyacinthus diuinâ gloriâ ſuauerubēs in perpetuas æternitates duraturus. Lætare igitur Polonia, quæ pulcherrimū hūc florē edidiſti. Gaude Sigiſmūde multorū regnorum Rex ad auitā, hoc eſt, Catholicā Religionem patrio Succiæ Regno reſtituēdam nate, de tāto regni tui bono. Triūpha Cracouia de iſto theſauro corporis, intra ſinum tuum recōdito, quod quaſi florē, mortis falce ſucciſum, oriēte vitæ æternæ ſole viſura es aliquando reuireſcere. Exultate vos, Patres optimi, lætitiâ in tanto veſtro decore Hyacintho: quem mihi videre atque audire videor, ab illis beatorū ſedibus, vbi cum veſtris ſanctiſſimis heroibus ſodalibus ſuis, Dominico, Thomâ, Petro, Vincētio, Antonio, quos in Cōcilio cœleſtiū viuere certò ſcimus, de ſua veſtraq; dignitate lætus gra-

tula-

tulatur, appellare adoleſcentes veſtros, atque his propemodùm vocibus affari. Filij quos vnicè amo, quos in ordinem noſtrum lectos, Familia prædicatorũ alit, educátque. Videtiſne quò mea me virtus intulit? noſtis quibus officiorũ, & rectè factorũ gradibus in cœlum aſcẽdi? ſequimini paſſib. iiſdem, ac veſtigiis præeũtem. Habetis plura, quàm ego habuerim ad ſanctitatẽ adiumenta: habetis tot ſanctorum virorum noſtri ordinis, qui vos anteceſſerunt annorum fermè quadringentorum ſpatio, & mearum nonnulla etiam virtutũ exempla: accepiſtis maiorum mores, imbibiſtis præcepta, ingreſſi eſtis viam eorum illuſtrib conſignatã veſtigiis, quæ omnia ſuadent hominib exſpectare à vobis plura quàm arbitremini Videte, per Deũ immortalem, etiam atque etiã, & per ſigniferum noſtrum Dominicum videte, ne ſpem de vobis conceptã, ne fidem datã, ne exſpectationem fallatis. Intelligite nec ingredi, nec diu viuere in optimo inſtituto ſodalitio ſatis eſſe ad ſanctimoniã, niſi ſanctè integréque viuatur: nec miracula expeti à vobis: ſed ſtudiũ probitatis, rectè facta, virtutum exempla, morũ, ac doctrinæ integritatem, populorũ eruditionem, fidei Catholicæ Romanæque defenſionem. Atque hæc paterna monita, Auditores, nó modò ad ve-

ſtros

ſtros adoleſcentes,ſed etiam ad omnes religioſæ cultores vitæ, veſtrique ordinis imitatores referri poſſunt. Quare tandem aliquādo ad virū beatiſſimum Hyacinthū in tutiſſimo felicitatis portu locatū, orationis noſtræ curſum deflectamus.Debebatur tibi quidem ſanctorū prædicatorū flos Hyacinthe ſancti alicuius atq; eloquentis oratoris oratio. Alter Baſilius, alter Ambroſius,virtutibus tuis,alter Nazianzenus,alter Chryſoſtomus tuis laudibus debebatur,aut certè vnus è doctiſſimis, diſertiſſimiſque ſodalibus tuis in hūc locum te laudaturus aſcendere debuiſſet.Neque enim verendum erat, vt ne ſordeſceret laus in ore proprio:quādo qui te laudat,non laudat hominem ſed virtutem,quam in te impreſſeras: Chriſtū laudat,quem imitatione morū penè expreſſeras:Deum laudat,qui mirabiliis eſt in Sanctis ſuis.Quoniam tamen honorum tuorū ſociorum modeſtia voluit laudatorem tuū, profeſſione quidem, & habitu diuerſi ordinis eſſe, eiuſdem verò amore, eiuſdem inſtitutis ſuſpice paternâ beneuolentiâ non laudationem,ſed conatum laudationis, quā tridui ſpatio imbecillitas ingenij mei exorſa eſt,non contexuit, adumbrauit, non depinxit, atque apud Deum eſto deprecator ſalutis meæ.Deinde Eccleſiam, tot támque
graui

grauibus calamitatibus exagitatam: Clementem Pōtificem qui clauum tenet, Cardinales qui aſſident gubernanti, tuo patrocinio iuua. Sigiſmundo Regi clienti tuo, in Suecia pro religione Catholica laboranti, animos, ac vires impetra. Poloniam tuæ iamdudum commiſſam tutelæ atque receptam tuere. Sodales hoſce tuos adeò vtiles Eccleſiæ vbique gentium diſſeminatos foue: clerum denique populúmque Romanum, religioſorum omnium ordines, auditoréſque in primis qui mihi dicenti de tuis laudibus humaniter aures præbuerunt, eâdem charitate, quâ nationes omnes, ac gentes viuens in terris tuebare, nunc beatus in cœlo complectere.

ORATIO.
DE CHRISTI MORTE,
P. Io. Franciſci Carettonij Romani, è Societate Ieſu.

RECONDITVM eſt, incomprehēſum; & omni ex parte diuinum, P.N. ſacroſanctum reparationis humanæ myſterium: cui nos hodiernâ luce, ne dicā hodiernis tenebris, perſoluimus tributū annuum cōmi-

ſerationis & lacrymarum. Idcirco humana mens, dum ſe eius amplitudini parem intelligentiam, vel ſenſu afferre poſſe deſperat, nō affert illum ipſū, quem poteſt, & in ſtudio grati animi apparet ingrata. Eandem ob cauſam, ſi exoritur miſeratio ex cognita calamitate hominis miſeri calamitatem immerentis nullū erit argumentum accōmodatius ad hanc anniuerſariam lamētationē, quàm ſi breui ſimpliciq; percurſſione facti, planū fecero, Chriſtū dominū fuiſſe, vt Iſayas eū appellat propter excellentiā, VIRVM DOLORVM, quaſi dolorum Principem: *Iſa.* 53. hoc eſt, inter mortales calamitoſiſſimum: & eos innocentem ſubiiſſe corporis, animiq; cruciatus, quos ab vno homine perferri potuiſſe idcirco credim⁹, quia ipſe pertulit Quod enim, vt exordiar in hortis Gethſemani erit illud opus, cuius ſanguinea eſt vel idea? quale tam inauditū tormenti genus quod eliciat ſolâ cogitatione ſanguinē: quod noua quadam ratione, nō animū per corpus, ſed corpus vulneret per animū: quod cędem membris inferendā priùs adūbret, & quaſi experiatur in animo: quod antequā admoueatur exanimet: & morte valentius ſolū nudūq; hauriat Chriſti cruorē, hauriat animum, quod mors efficere nūquā potuit ſine armis, ſine choorte. Fabrum habet infā-

mem hoſpitem Sathanæ.Iudas magiſtro venalem in mercem expoſito, negotiũ proditione inſtituit,oſculo perficit,amoris armis abuſus:quippe qui nouerat gratũ amanti cibum,eoque venenum occultat. Sed recidit in eius caput.Is paulò ante pectori pro intincto pane,quaſi tormentarium puluerẽ incluſiſſet ei cuniculo facem applicuit, cũ ori ſuo Chriſti faciẽ deoſculãdã admouit: neque ita multò poſt igne ad inteſtina perlato;multiplicatis in arcto flammis quærentibus exitũ ſublatus eſt in altũ,& diſcerptus in partes. cũ nactus carnificẽ nequiſſimũ,laqueo ſe ipſe ſuſpẽdit,crepuit medi⁹& diffuſa ſũt omnia viſcera eius.dignus planè, cui nõ aquâ tantũ,& igni,ſed ipſo cõmuni ſpiritu,ipſa terra interdiceretur:quæ terra, vt dicitur nõ amplius recipere viuũ ſerpentem poſtquã percuſſit hominem, ita neque ſpirãtem ferre neq; extinctũ attingere voluit hunc hominis eiuſdemqueDei proditorem. Chriſtus verò nec vuln⁹,nec ſpeciẽ inſidioſã amoris aduerſat⁹ hoſtes admiſit?quos vt proſternere ſic preterere ſola nominis vmbra potuiſſet.Illuſtris quod,potuerit: illuſtrior quod noluerit. ab iis per varia tribunalia circũducitur, quando vnum capere tantam iniuſtitiã nõ poterat:neq; inueniebat locũ, vbi conſiſteret ſumma iniquitas niſi fortè

Plin.lib 2.cap.63.

apud

apud Sũmũ Sacerdotem,apud quem iuſtitię debuit eſſe principatus. Siſtitur ante Caiphã, ante hoſtem potiùs quã,ante iudicem: qui vt ſcelus artificioſè cõtexat,veſtimenta diſcindit:per quem reus priùs coniectus in vincula quã adeſſet errati ſuſpicio,antè cõdemnatur,quã dicat cauſã:vbi dũ accuſator pro crimine affert mendaciũ,reus pro pœna ſubit iniuriã:vbi tacere periculoſũ eſt, reſpõdere criminoſũ:ex quo ad primã emiſſã vocem,diuinũ vultũ,ſedem glorię furiali colapho impudentiſſima dextera miniſtri percuſſit.Neq; aruit,aruit fortaſſe,ſed ad cõtactũ vitę reuixit, in præmiũ quod veſtigia oſculi à proditore impreſſa deterſerit,Vbi deniq; mortẽ nõ iudiciũ intentãt:ideoq; calũniã nõ acuſationem adornant.Sed ipsâ nocendi cupiditate proſunt:nam teſtes dum multos producũt nullum habent, *quia teſtimonia conuenientia non erãt* Perdere per vim apertam nolunt:vt ipſi inſanire etiam in iudicio cognoſcantur: & Chriſti ſuppliciũ nõ minùs mẽbra dilaceret,quàm,dilaceret exiſtimationem,quod metuiſſe,& iuſta ſententia inflictũ eſſe videatur,Si teſtes nullos habetis,introducitePetrũ.Pręſtolatur in atrio. Eo teſtis locupletior erit,quò amicior eſt, munerum gratiæ princeps:& negando cõtra Chriſtum affirmat in primis,dũ tantùm

Marc. 14

Marc. 14

pudere ſe illius magiſtri demonſtrat: vt iureiurando ſibi neque cognitum eſſe confirmet, ô Petre, hoccine eſt ſolum amicũ perſeuerantem eſſe? tu, qui paulò antè deuorabas animo carcerem, crucẽ, mortem, pro ſecutus es, ad deſerendum: vt quò fueras audacior eo eſſes ceteris Apoſtolis nocẽtior: vt apud eminentiam illius confidentiæ huius pauoris receſſus atrior appareret. Sed

Luc. 22. *Dominus reſpexit Petrum & fleuit amore* Icta Petra adamantinis Chriſti oculis guttas emittit, nõ ſcintillas. Conglaciauerat miſer. Idcirco caloris egens ad ignẽ illũ perperam ſe calefaciebat is, cui radiis diuinis opus erat, vt liquaret concretum timiditatis gelu cor, funderet ex oculis amarũ imbrem ac timoris vulnera lacrymis, non infidelitate ſanaret. Fuit igitur Chriſtus dimittẽdus ad Pilatum, apud quem legũ inanẽ, ambitionis plenũ, magiſtratus Iudęorũ factus de iudice accuſator, de accuſatore teſtis, minore periculo, auctoritate maiore, more ſuo nõ cauſæ cognitionem expoſcat, ſed crucẽ: de ſupplicio priùs agat, quàm de ſcelere, reum, & reum tacentem, nõ crimine, ſed multitudine, nõ teſtimoniis, ſed clamoribus opprimat. Quid miraris? quid quæris aliã defenſionem, Præſes, ab eo qui condemnationem habet in voto: ſupplicia numerat in benefi-

ciis

ciis: qui iniuria eò ſe indigniorem oſtẽdit, quò illam animo æquiore ſuſtinet: pro quo declamat ipſum ſilentium, & probat innocentem tibi ipſi, vt Caiphę, vt Herodi probauit? Ergo fuit tribus in foris innocentia Chriſti cognoſcenda, vt tribus ſentẽtiis abſolutus ferret ſupplicium? an potius vt ſententiis illis iudicũ iniquitas cõdemnaretur: illis ſuppliciis peruerſitas ſynagogæ plecteretur? ipſe Pilatus ter verbo Chriſtũ pronũciat innocẽtem, ac triplici facto eripere conatur ab iniuria. Vt iuſtũ ex vnguibus ferarum ſubducat, ſeditioſum ſupponit, imbutũ ſanguine, homicidã, & populo ſitienti cruoris, cruorẽ propinat. Sed ij quemadmodum oppreſſerũt innocentem, ita ſceleſtum abſoluunt: vt omnes iniuſtitiæ partes impleãt, Quia puri ſanguinis effuſione delectantur, Barrabam liberant, Chriſto obſtrepunt, vt qui ſceleratis par futurus erat in ſupplicio, iiſdẽ inferior eſſet in iudicio. Quare Præſes vt ſanet liuorem Iudęorũ, vt mittatur ab iis sãguis inuidiæ, Chriſto iubet aperiri venas, eiuſq; mandat hauriri cruorem, vt nõ hauriatur animus, vt vita ſeruetur. Loco igitur criminis eluenda ſanguine eſt innocentia. O ſcelus execrabile! nudatur Deus. nuda conſpiciuntur membra illa candida, atque virginea. Rubet ſola pudore facies. Tũc ſol

in ſui conditoris obſequium ſubducta luce velaſſet illum opinor, tenebris, niſi ad nouũ ſpectaculum defixus in admiratione tã venerandi, atque diuini corporis conſtitiſſet. quæ vox, quæ lacrymæ, qui ſenſus æquare poterit lictorũ ſæuitiam, furorem, rabiẽ: calamitoſi rei tolerantiam, æquanimitatem, manſuetudinem: plagarum dolorem, numerum cruciatuum? iam nuſquàm apparet liuor, nuſquam flagelli veſtigium, vbique ſanguis, vbique vulnera. Nec iã vulnera ipſa dinumeres: quãtus eſt, vulnus vnũ eſt deficit plagis locus, plagæ non deficiũt: eſt plaga plagæ locus. Deficiũt lora, virgæ, flagela tortoribus vires non deficiunt. Iã & vires deficiunt. non deficit rabies. Vtq; fecit initiũ tundendi crudelitas, ſic facit finẽ crudelitas. Suadet enim, vt aliquid ſanguinis, atq; ſpiritus relinquatur ad mortẽ atrociorem. Itaque crudeles in verberando, in parcendo crudeliores, non parcunt, vt ceſſent, ſed ceſſant, vt ad crucem immanẽ reſeruẽt. Si tamen illa ceſſatio dicẽda eſt, in qua mutato, potius quã intermiſſo cruciatu, miſerum contumeliis acerbiſſimis dilacerant, in qua, vt cæteris prætermiſſis, palmare vnum attingam; diuinũ illud caput, gymnaſiũ ſapientiæ, regia honoris, honos gloriæ, omnibus infulis, thiaris, coronis auguſtiùs, illud,

inquam, ad ludibrium dicã, an ad cruciatũ, an ad vtrumq; ſpineâ coronâ præcingitur, atque trãsfoditur. Dicebam P.N. hunc Virũ eſſe dolorum. Iã verò ſi intẽdimus in eum oculos, non tãtùm virum, virum per excellentiam, principem dolorũ, ſed verè dolorũ regẽ eſſe cernemus. appellatus eſt à cohorte prætoria, quam audiuimus dicentem; *Aue rex Iudæorum*. Sedet in purpura, in ſceptro, in corona Hæc omnia regem ſignificant. Sed qualem regẽ? regem dolorum. Ludicra illa & ſordida purpura, arundineũ ſceptrum, ſalutationes, appellationes, in irriſionem fuerũt, atque cõtemptũ: corona verò ſi pro varietate materiæ aurea, graminea, laurea; principatũ quẽdã opũ, virtutis, fortitudinis indicat; per ſpineã certè regẽ ſignificabim⁹ dolorũ principem: & Rex dolorum non niſi ſpineâ coronâ præcingendus fuiſſe iudicabitur. Perſpexit Pilatus hoc regnũ calamitatis affabrè effictum eſſe, atque expreſſum manibus carnificum in Chriſti corpore: ſperauitque fore, vt ſatisfaceret oculis Iudæorũ huiuſmodi cælaturæ cupidis, ac peritis: quibus illum in bono lumine de ſuperiore loco dedit in cõſpectum dicens, *Ecce homo*. Quaſi vereatur, ne non agnoſcant; ne ſimulacrum, vel hominem exanimem, aut ſpirãs cadauer exiſtiment. Sed nõ placuit. nam immaniſſi-

Matt. 27.
Marc. 15.
Ioan. 19.
Ioan. 19.

mis immaniores,ne victi ſciētiâ crudelitatis,feritatis artificio videātur,deſiderāt aliquid,addunt aliquid de ſuo.*Crucifige,crucifige eũ.*O flagrãs&penit⁹ inſitũ odiũ,ad quod inanis erit aqua! Cũ nihil ſit alluuione tāti ſanguinis imminutum;reſtingui niſi diuino ſpiritu in illud efflato non poterit.Quid facit in tanto malo religioſus iudex,qui nefas ducit palmis immũdis cõmittere parricidiũ? manus lauat,&occidit,dum iuſtũ fatetur,& cõdemnat.*Sciebat,quòd per inuidiam tradidiſſent eum*:ſed dum actor iudici timorem incutit;iudex Cæſaris gratiam ambit,circũuenitur Deus in eo iudicio,in quo palàm accuſat inuidia,teſtificatur odium,crimẽ eſt innocentia,corrũpit timor,condemnat ambitio,plectit crudelitas.Illa, illa ſtatim vt Pilatus Chriſtum affigendũ cruci:Quid dicã? tradidit, an duxit? nihil enim abeſt à ſcelere is, cuius tantummodò manus abeſt. Illa, inquam,ſtatim ſemiuiuo, qui iam ſibi ipſe pondus erat, impoſuit immanem patibuli machinam, vt ſuam ipſe mortem priùs ferret,quàm inferretur: & quâ cruce mox erat extollẽdus,eâdẽ priùs opprimeretur.Hîc ego in hoc extremo actu,&quaſi capite actionis quando digniùs pertractari,quàm deficiendo,non poteſt libenter deficiam,ſacros Euangeliſtas imitatus,qui ſummã rei tantâ

Marc. 15. *Luc.* 23. *Ioan.* 19.

Matth. 27. *Marc.* 15.

breui

breuitate perſtrinxerunt, quantâ ſat erat ad non reticēdum. Duplici verbo, *Crucifixerūt eū.* Quarę nō perpendā crucis atrocitatem, *Matt. 27.*
adiunctorū acerbitatem, renouatos imbres *Marc. 15.*
ſanguinis, conſortium latronum, cōſpectum matris, voces pleniſſimas myſterij, multiplicem crudelitatem militū, qui non tātùm in ira; ſed etiam in obſequiis hoſtes, eo loco, eo tempore, ad ſitim ardentiſſimā acetū, atque fel adhibuerunt: vt intelligeremus, quò progrederentur in ſęuiendo ij, quorum miſericordia eſt ſumma crudelitas In tanto agmine dolorum Chriſtus Deus defunctus Patris imperio, noſtræ ſalutis cupidus, prodigus ſuæ, inclinato capite. O virum miſerrimum, qui diu qūæſiuit, vbi caput ſuū reclinet, neq; inuenit locum molliorem ad quietem, quàm mortem! In eius igitur gremio *Ioan. 19.*
inclinato capite tradidit ſpiritū. O Angeli pacis, moritur Deus, moritur Deus. Non vox, nō latera, nullum ſententiarum, verborūq; genus ſuſtinere huius argumenti dignitatem poſſūt. Opus ſilentio, mentis contemplatione, exceſſu. Quid ergo afferam? nihil prætereà. Moritur Deus, & moritur propter hominem. intelligentiâ veſtrâ perpendite, quàm multa duplici verbo complectar, cùm dico, mori Deum, & mori propter hominem. Addam aliquid, ſi ita loqui

fas eſt, admirabilius. Ieſus Deus, in cui' nomine habitat ſalus, qui profuit plus vnus omnibus, quàm omnes vnquam vni; qui noſtram non modò cauſam, vt ſponſor; non modò perſonã, vt reus: ſed vicariam quoq; mortem ſuſcepit, vt nocẽs occiditur propter hominem, & per hominẽ viuit auctor parricidij peccatum. O hominem non hominẽ, ſed cordis plumbei, & animi ingratiſſimi monſtrum! Obſtupuit mens perſtricta magnitudine facti, an aures aſſiduâ cõmemoratione obduruerũt? tradidit ſpiritũ Deus inclinato capite: vt eo tãdem animaret iacentium terrarũ orbem emortuum, atq; depoſitum: vt quoniam ſtatuerat nil ſibi reliquũ facere, quod pro mortalibus nõ exponeret, ceruice in latus deflexâ, ſecretum locũ indicaret, ex quo ad primum, quaſi certũ, deſtinatúmque ictũ exiuit ſanguis & aqua: ſimul ac ferinâ rabie vnus militũ lãceâ latus illud aperuit: cùm enim tum Chriſti caritas; tum rabies inimicorũ amplior eſſet, quàm vt eas capere poſſet corporis viuentis imbecillitas; effundenda vtraque fuit in cadauer, ex quo hinc Chriſtus exaggeràtam quandã patiendi cupuditatem oſtẽdit. nam ſuſcepit vulnera doloris etiam cùm dolorem vulnerum ſentire non poſſet: hinc illi rabiem declararunt inauditam, dum effusâ ſæuitiâ in

cum

eum,in quo neque ſæuitiæ locus, neq; ſenſus eſſet,ſine fructu crudelitatis guſtum crudelitatis habuerunt. Expalluit, contremuit, ac propè defecit natura ad huius carnificinę conſpectum. Lacerauit iam ſuperuacaneum velum templi,quando turpiter velatam faciem templi viderat, quando templi corpus nudatum,atque diſciſſum conſpiciebat: maius obſequium in cadauerib. inuentura, quàm in viuentib. mortuos exciuit è tumulis, vt obuiam Deo morienti procederent. Obduxit ſoli tenebras, vt parricidis ipſo cœlo, ipſo cõſpectu lucis interdiceret. Oppreſſiſſet coniectione ſaxorum,iã ſe ſponte frangentium,& agitantium in vindictã,vel obruiſſet terræ ſe cõmouentis, neq; hos homicidas ferẽtis hiatu:niſi vocem illã extremam audiuiſſet, quâ Chriſtus malis hominum grauiùs affectus,quã ſuis,propè teſtamento cauit,vt ignoſceretur. Iã verò,ô vir,ô Rex miſerrime dolorum, de regno tuo dubitatio nulla relinquitur. Regnas in regia Caluarij,in throno crucis,in purpura tui sãguinis cũ ſceptro clauorum, cũ corona ſpinea,ipſumq; regni titulum præfers, *Rex Iudaorum*,id eſt,Rex ciuium iniuſtiſſimorũ,id eſt,Rex hoſtium immaniſſimorum. circunfluunt loco aſſeclarũ reuiuiſcentes vmbræ, loco ſatellitum latrones,loco cohortis carniſi- *Matth. 15*

nifices. Iſthic, iſthic tanquam in tuo regno, in omni regia pompa, regióque apparatu triumphas. Habes pro bellariis fel, pro odoribus fœtorem, pro feſtis ignibus tenebras, pro ſymphonia blaſphemias, pro choreis terræmotum, pro periſtromatis, ſparsíſue floribus oſſa cadauerum, pro bulla pendente è monili plagam luculentam pectoris. Tale regnum talem regem decebat eſſe dolorum. Vtinam intelligamus: quales nos deceat eſſe ſub tali Rege, in tali regno.

FINIS.

INDEX
VBI ET QVO TEMPORE DEINCEPS HVIVS voluminis Orationes à Petro Ioanne Perpiniano ſunt habitæ.

PRimam de Societatis IESV *gymnaſiis, & de eius docendi ratione habuit Connimbricæ, Kalend. Octobris,* 1555. *cum Luſitaniæ Rex inuictiſſimus Ioannes hoc nomine tertius* Connimbricenſe gymnaſium Societatis IESV *tradidiſſet.* 1.

Secunda eſt laudatio funebris Ludouici Principis Ioãnis *tertij Luſitaniæ regis, germani fratris, quam dixit Conimbricæ, menſe Decembri, eiuſdem anni* 1555. 50

Tertia eſt primus liber laudationis in B. Eliſabetham Luſitaniæ reginã, quam habuit Conimbricæ, IV. Non. *Iulij, anno* 1556. 80

Quarta eſt liber ſecundus eadem de re, habita IV. Non. Iulij, 1557. 136

Quinta eſt tertius liber laudationis in eandem, dicta IV. Non. Iulij, 1558. 210

Sexta, de Rhetorica diſcenda, quã habuit in gymnaſio Societatis IESV *Romæ: cùm ſcholæ Rhetoricæ præpoſitus, ad explicandos M. Tullij de*

Ora-

Oratore libros aggrederetur, Pridie Non. Nouemb. 1561. 259
Septima, de perfecta doctoris Chriſtiani forma, habita Romæ, coràm aliquot Cardinalibus, in renouatione ſtudiorum menſe, Nouembri, anno 1562. 285
Octaua, ad Carolum Borromæum Cardinalem ampliſſimum, & Franciſcum Vargam regis Philippi legatum, quam dixit Romæ in ſchola Rhetoricæ, cùm ſecundum de Oratore librum explanaret: illi verò gymnaſium Societatis IESV, *beneuolentiæ & humanitatis ergò viſerent, menſe Septembri, anno* 1562. 327
Nona, de Deo trino & vno Opt. Max. & Eccleſiæ conſenſione, habita Romæ ſanctiſſimæ Trinitatis feriis, in ſummorum Pontificū ſacello, præſente Pio IV. Pont. Max. anno 1563. 335
Decima, ad Pium quartum Pont. Max. quam dixit Romæ in atrio gymnaſij Societatis IESV, *cùm id ille beneficij gratiæque cauſſa humaniſſimè inuiſeret, pridie Kalend. Auguſti, anno* 1564. 387
Vndecima, ad Romanam iuuentutem de antiqua dicendi laude recuperanda, quam habuit Romæ in gymnaſio Societatis IESV: *cùm Ariſtotelis artem Rhetoricam interpretandam ſuſcepiſſet, VIII. Idus Nouembr.* 1564. 392
Duodecima, de retinenda veteri religione, & falſa recentium hæreticorum doctrina reij-

cienda, Lugduni in publico gymnaſio Societatis IESV *commiſſo, ante ſacrarum literarum explanationem, præſentibus Archiepiſcopo, & Prætore, V. Non. Octobris, anno* 1565. 422

Tertiadecima, de retinenda veteri religione &c. habita eſt Pariſiis, III. *Non. Iunij,* 1566 *præſēte* Iacobo *Soriano Venetorū legato.* 467

Quartadecima, de eadem re dicta Pariſiis XVI. *Kalend.* Iulij, 1566. *præſente Præpoſito mercatorum & nonnullis Conſiliariis.* 507

Quintadecima, eadem de re habita eſt Pariſiis pridie Kalend. Iulij, 1566. *præſentibus* Iacobo Betonio *Archiepiſcopo Glaſguenſi, reginæ Scotiæ, &* Iacobo *Soriano Venetorum legatis aliiſque primariis viris.* 538

Sexdecima, habita eadem de re Pariſiis XII. *Kal. Auguſti,* 1566. *præſente Iacobo Soriono Venetorum legato.* 567

Septimadecima, habita Lutetiæ de eadem re III. *Idus Auguſti,* 1566. *præſentibus reginæ Scotorum & Venetorum legatis.* 602

Duodeuigeſima Pariſiis de diuina & humana phil. diſcenda, mēſe Octobri, 1566. 634

ORATIONES QVINQVE

NVNC ADDITAE.

I. ORatio P. *Gaſparis Conſalui Luſitani, Presbyt. Societatis* IESV. *habita in aula*

Pontificia ſedente Gregor. XIII. Pont. Max. in ampliſſimo S.R.E. Card. conſeſſu, &c. cùm introducti ſunt Regum Iaponiorum legati, anno 1585. 661
II. Oratio P. Stephani Tuccij Societatis Iesv, dicta Romæ in Vaticano ad ſacrum Collegium Cardinalium in funere Greg. XIII. Pont. Max. anno 1585. 676
III. Oratio P. Benedicti Iuſtiniani Genuēſis, recitata Romæ in Vaticano ad ſacrũ Collegium Cardinalium, in exequiis Innocentij IX. Pont. Max anno 1562. 692
IV. Oratio R.P. Iulij Nigroni Genuenſis, dicta Romæ in templo S. Mariæ ſupra Mineruam ordinis Prædicatorum, in laudem S. Hiacinthi Poloni eiuſdem ordinis, anno 1594. 774
V. Oratio R.P. Ioan. Franciſci Carettonij [illegible], de Christi morte, habita Romæ in Sacello Pontificio, anno 1595. 737

FINIS.

EMANUELE
BIBLIOTECA
ROMA